

Vera Effigies Illmi. Dni: Dni: Autoris FRANCISCI ALBERTI PELZHOFFER S.R.I. Lib. Baronis de Schönau: Nobilis Domini de Schnekenpichel, Sagoriz et Schwarzenbach. S. Cæsareæ Majestatis Consiliarii, Provincialis Inclyti Ducat: Carniolæ Prætorialium Judiciarū Aſseſoris, Teſtium Commiſsarii ac olim Deputati Statuum.

Iosephus à Montalegre ſc: Norimb:

TRACTATUS HISTORICO-POLITICUS DE ARMANDIA sive ARTE BELLICA ET OLEA PACIS.

AUTHORE

FRANCISCO ALBERTO PELZHOFFER,

S. R. I. Lib. Barone de Schönau, Nobili Domino de Schnekenpichel, Sagoriz, & Schwarzenbach; Sacr. Cæsar. Majest. Consiliario Provinciali, inclyti Ducatus Carniolæ Prætorialium Judiciorum Assessore, Testium Commissario, ac olim Deputato Statuum.

FRANCOFURTI,

Prostant apud JOHANNEM ADOLPHUM.

Anno MDCCXIII.

B3003867 2

PROTESTATIO AUTORIS AD LECTOREM.

MAgnum cœli munus eſt Princeps bonus. Beata ſub hoc Patre eſt patria. Neſciunt tunc jugum ſubditi, quandoquidem imperantis ſollicitudo ipſa onus portat & alleviat. Hujus vigiliis quies publica conciliatur, ſubmoventur procul mala, quæ ſive intus, ſive foris, in regni perniciem naſci poſſunt. Quis non felicem hanc dixerit Rempublicam? felicissimam tamen exiſtimo illam, à cujus ſano capite non degenerant membra, & Princeps bonis quibusque civibus imperat, à quibus conſilio, fidelitate, prudentique induſtria adjuvetur. Talis Reipublicæ Statum, ideamque in hac librorum decade efformandam ſuſcepi, vivis & æternum duraturis coloribus ita depingere adlaboravi, ut ſeu regas, ſeu regaris, inde legere poſſis, quæ muneri tuo conveniant, & in opus de-

ducta Reipublicæ inconcuſſam firmitatem adpromittant. Verùm, quia in præceptorum ſubſidium nonnulla & plerumque obvia ex ſcriptoribus exempla advocare oportuit, & in iis de Principum & Rerum publicarum ſtatu, juribus, progreſſu, ac prætenſionibus ſermonem fieri neceſſe fuit, opportunum duxi, palàm proteſtari, me, nullius nationis ſtudio, ſed ſolius doctrinæ univerſalis amore inductum, illa adduxiſſe. Nihil præterea iis decidere, nullius cauſam roborari, aut labefactari, nullumque juribus aut prætenſionibus ejusmodi pondus ac vim hoc opere meo addi aut demi velle. Quis enim me conſtituit judicem? Nec eò præſumptionis me quisquam deveniſſe credat, ut ſacra hæc profana manu auſim attingere; id enim ſemper ob oculos habui: Ut cuique ſuum dem, & reddam Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, quæ Dei, Deo. Vale.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM TRACTATUUM De ARMANDIA sive ARTE BELLICA.

CAput I. *De Bello in Genere & in Specie.* pag. 1.
Cap. II. *Ars Militaris Principi commendata.* 5.
Cap. III. *Armorum vis.* 10.
Cap. IV. *Cui Jus Belli competit & ejus movendi causæ.* 12.
Cap. V. *De Bello vicino.* 27.
Cap. VI. *De Bello sociali.* 31.
Cap. VII. *De Bello civili sive interno.* 34.
Cap. VIII. *De Disciplina militari.* 63.
Cap. IX. *De Apparatu bellico.* 75.
Cap. X. *De Milite.* 80.
Cap. XI. *De Tormentaria.* 87.
Cap. XII. *De Exercitu.* 100.
Cap. XIII. *De Castris & proficiscente Milite.* 105.
Cap. XIV. *De Acie.* 117.
Cap. XV. *De Fortuna Belli.* 123.
Cap. XVI. *De Seditione militari.* 129.
Cap. XVII. *Belli Ducis dotes.* 141.
Cap. XVIII. *Reflexiones Principis, circa Belli Ducem in capite.* 145.
Cap. XIX. *Monita ad Belli Ducem, præcipuè circa committendum prælium.* 154
Cap. XX. *Quid finito prælio agendum.* 175.

ELENCHUS CAPITUM TRACTATUUM De OLEA PACIS.

PARS I.

Agit de Jure Pacis transigendæ.

CAput I. *Pax interest Reipublicæ.* pag. 177.
Cap. II. *Qui pacem transigere possunt, & quando.* 204.
Cap. III. *Per quos transigendæ Pacificationes.* 210.
Cap. IV. *Quot species Pacis.* 215.
Cap. V. *De Amnestia.* 220.
Cap. VI. *Quæ conditiones pacis.* 225.
Cap. VII. *De fracta pace publica.* 236.
Cap. VIII. *De Banno.* 241.
Cap. IX. *De executione Banni.* 245.

Ejusdem Libri PARS II.

Cap. I. *Mens Autoris de variis pacificationibus Principum.* 248.
Cap. II. *De Pacificationibus inter Coronas Hispaniæ & Galliæ.* 250.
Cap. III. *Continuatio materiæ.* 275.
Cap. IV. *De quinta hac Pace amplius.* 290.
Cap. V. *Pacificationes post excessum Henrici IV. inter Galliam & Hispaniam.* 320.
Cap. VI. *Pacis transactiones cum Francia, sub* LEOPOLDO *Cæsare.* 351.
Cap. VII. *De pacificationibus Galliæ & Angliæ.* 371.
Cap. VIII. *De Pacificationibus inter Sacerdotium & Imperium.* 383.

TRA-

TRACTATUS HISTORICO-POLITICUS De ARMANDIA ET ARTE BELLICA.

CAP. I.

De Bello in genere & in ſpecie.

1.

DE Bello an tacuero, an dixero? perplexum reddit Pyrrhus Salluſtianus, objectans: Ne mihi de militiâ judicet, cujus aures Martialium tubarum clangor non circumſonuit. Audebo aliquid, ſed citra temeritatis aut levitatis notam. Iphicratis perſonam ſubibo, qui interrogatus aliquando: quis tu es, qui tantos tibi ſpiritus ſumis? utrum Eques, an Veles, an Sagittarius? Nihil horum, reſpondit, ſed qui hos omnes novi docere.

Alexander in Politicâ *Magnus*, ſed in Polemicâ & arte militari *Maximus* fuit: ad utramque ille genium tulit aptum: Sed quem in illâ excoluit Ariſtoteles, in hâc Homerus, neuter Vir

militaris, neuter ad Politica adhibitus. Quantus ab hiſtoriâ evaſit Scipio Africanus, Lucullus, Julius Cæſar, Alphonſus Arragonicus, & quamplurimi! Noſtra Europa, quantos Belli Duces numeravit, qui rudimenta jecerunt non in haſtatis agminibus, ſed in intimis penetralibus Magnorum Principum, & planè apud aras Divorum. Talem dedit Gallia Armandum Richelium, Ducem Belli non minus invictum, quam purpuratum Eccleſiæ Antiſtitem. Tales olim & nunc tulit Germania; tales aliquando habuit Hungaria non minùs gladio inſignes Belli Duces, quam pedo Apoſtolico zeloſos Epiſcopos, & ſagatos Antiſtites. Eumenius teſtatur de Antonino Cæſare, quod iſte procul à caſtris inter Palatii muros reſidens Belli totius imperabat auſpicia, ac velut in longâ navi retrò ad clavum ſubſiſtens, totius Velificationis, ac militaris curſûs gloriam dirigebat. Multum differunt manus à mente, multum miles ab Imperatore, multum à velitatione & ictu Ars militaris. Non tam artuum fortitudo in milite, quam prudentia & rectum conſilium in Duce aſſequuntur finem Belli.

2. Idvè concernit maximè hoc ultimum ævum, ubi Bella geruntur potius conſilio, præventionibus, diverſionibus, cunctationibus, inſidiis & ejusmodi occultis arcanis, quæ magis ſapientiæ alumnis, quam Bellonæ ſociis debemus. Adeò nihil Pallas, Sapientiæ Dea, diſſidet ab Arte Bellicâ, ut eam potius haſtatam & cataphractam, quam Togatam depinxerit Homerus.

3. Ad opus jam accingor, & *Bellum omni Jure* (ajo) *licitum, quia omni Jure, Naturæ, Gentium & divino, introductum eſt.* Inter prima naturæ nihil eſt, quod Bello repugnet; immò potius omnia ei favent: Omnes gentes eò, ut ſuum cuique ſalvum ſit, communi ope & conſpiratione, quod ſine publicâ vi non
Joſ. c. 8. obtingit, contendunt. Ipſe DEUS præcepit, ut Bella gerantur: Leva, inquit ad Joſuam, clypeum, qui in manu tua eſt, contra Urbem Hai, quoniam tibi tradam eam. Et Moyſem ex mandato DEI Bellum geſſiſſe, nec minus Davidem, ex ſacris itidem notum
Epiſt. 11. ad Hæb. eſt literis. Ipſe Gentium Doctor deprædicat Veteris paginæ Heroës, Gedeonem, Barac, Samſonem, Jephtam, Davidem, quod fortes

fortes facti ſint in Bello, & caſtra everterint exterorum. Denique, ut pro Milone ille dixit: *Ipſa Ratio* doctis, neceſſitas Barbaris, mos gentibus, feris ipſa natura præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, ab amicis, à Republicâ propulſarent. Fortitudo, etiam Sanctis Patribus, quæ vel in Bello tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit imbecilles, vel à Latronibus ſocios, plena Juſtitia eſt. Fallis, (ajebat Epaminondas ad Meneclidem, diſſuadentem Thebanis Bellum contra reliquam Græciam) Fallis cives tuos, à Bello eos avocans, otii enim nomine ſervitutem imponis. Pax quippe Bello paratur, & qui eâ diutinâ frui volunt, armis exercitati ſint neceſſe. Nemo facile fortem aggreditur, nemo, qui victorem non timet.

4. Theologorum vetus canon eſt: *Bella inter Chriſtianos & adverſus Chriſtianos ſuſcepta, ſi cauſis legitimis nitantur ad Juſtitiam vindicativam ſpectare.* Non excepit Religionem, nec hujus conditionem inſervit DEUS, cum Principibus gladium in manus dediſſet, ſed in pœnam & ultionem adverſus eos, qui malè acturi ſunt. Religio non vincit Jus naturæ, quod ſuam cuique defenſionem admittit. Immò ipſa Religio ſine armis vix tuta eſt. Belluinum ne dixeris: res ſuas Bello juſto repetere. Ratio & Jus arma legitimant contra eos, qui Jus & rationem violant. Jam olim ſequebantur caſtra mitrati Viri, & ſacri etiam Pontifices Bella geſsêre. Armatis iſtis, quis alios arguet? Cavendum tamen eſt, ne in abuſum abeat ex inſolentiâ, quod in tutelam conceſſum eſt ex neceſſitate. Bellare licet Chriſtianis, ſed etiam parcere, neceſſe eſt. Plus quam Barbarum cenſeri debet, in propria viſcera ſævire. Chriſti vincula & ſpiritûs firmiora ſunt, quam naturæ. Chriſtiana Religio unum corpus eſt unitum fide divina: Chriſtiani hujus corporis membra conjunctiores ſunt per ſacram fidem, quam parentes cum filiis, aut filii inter ſe ex jure ſanguinis. Bellum igitur inter Chriſtianos Principes, niſi arctiſſimâ neceſſitatis lege ſuſcipiatur, quaſi parricidium eſt. Nec inter Romanos olim, nec nunc inter Barbaros, quos una conjungit Religio, facile (niſi ex ſeditione) auditum Bellum; Chriſtianis

autem in Christianos planè consuetum, hereditarium, continuum, & tanquam fatali concussâ Erynnide unum ex alio semper resultans. O quanta Immanitas! Frater adversus Fratrem, membrum unius corporis contra sociale membrum, Christianissimus contra Catholicum, Baptizatus adversus Apostolicum, nemo contra Turcas, nemo contra Saracenos & Infideles. Sed actum ago, quod agendum semper. Nimiùm irrepsit jam æmulatio inter Christianos Principes, minimè Christiana; fames proinde omnium Bellorum sufficiens.

5. Bellum quasi per Antiphrasim dicitur minimè Bellmu; quia maximarum ærumnarum activè & passivè non solum est causa, sed etiam occasio scelerum, facinorosorumque hominum facile receptaculum. Est autem illud actio hostilis adversus hostes, injuriæ vel inferendæ, vel propulsandæ causa à Potestate absolutâ, contra absolutam suscepta. Unde rectè duplex Bellum cruitur *offensivum & defensivum.* Illud dicitur, quando aut injuriæ inferendæ, aut aucupandæ gloriæ, aut obtinendæ prædæ causa infertur. Non enim ignaviâ, rebantur Romani, magna imperia acquiri aut contineri, sed virorum armorumque jacienda in certamen alea. Duabus quippè artibus, *Audacia in Bello:* ubi Pax evenerat, *Æquitate* sequi; Remque publicam curabant illi. Sic maxima gloria in maximo Imperio dominandi fuit libido, cui jam olim in Asiâ præluserat Cyrus, & in Orbe prope universo Alexander Macedo, à Lucano *Felix terrarum Prædo* dictus. Quid enim aliud, quàm grande latrocinium nominare licebit, ubi populi nemini molesti solâ Regni cupiditate conteruntur, quod sat diffusè aliquando objectavit Alexandro M. gentilis ille apud Indos Sapiens (ut Curtius in vitâ Alexandri refert) possetque omni jure, nostroque rubore objectare etiam hoc ævo multis Principibus Christianis, quibus fermè alius non Belli finis, quàm vel dominandi libido, vel aliena usurpandi avaritia.

6. *Defensivum* verò Bellum publicæ defensionis causa suscipitur: ubi enim offensio est illegitima, ibi defensio est omni lege permissa, ex principio videlicet illo Naturæ: *Neminem lædere.*

Coin-

Coincidit ſæpenumero utrumque, & quantumvis Offenſivum eſſe videatur, tamen virtualiter meras defenſionis habet cauſas, quales ſunt, vindicare publicas injurias, amiſſa & avita recuperare &c. Tale modernum Bellum inter Auſtriacos & Galliam: quod licet Auſtriaci videantur moviſſe offenſivè, reipſa eſt pura avitæ hæreditatis defenſio adverſus uſurpatores Gallos, qui non amplius contenti appendicibus, ipſa interiora viſcera aviti Auſtriacorum patrimonii petunt. Alii Politici Bellum hoc ex utroque conflatum *Vindicatorium appellant.*

7. Rurſus diſtinguitur Bellum ratione *Cauſæ* in *juſtum* & *injuſtum*: Quia Bellum per ſe malum non eſt, ſed fieri poteſt tale per *accidens*. Ratione Objecti in vicinum & remotum: Ratione Subjecti Bellum movetur vel in causâ propriâ, vel in causâ communi. Illud ſuſcipitur ex cauſis ad ſolum Principem pertinentibus; hoc ex cauſis, quæ attingunt plures, puta Fœderatos, ſocios, vel integram factionem, quales erant in Italiâ Guelpha & Gibellina, vel in Angliâ Roſâ alba & rubra. Ratione temporis aliud eſt Bellum continuatum, aliud interruptum. Continuatum usque ad pacem agitur ſine interruptione, ut modo Auſtriacum & Fœderatorum contra Gallos & Gallo-Hiſpanos. Interruptum moram mediam patitur majorem vel minorem; inde induciæ breves & longæ, poſt quas vel Pax concluditur vel Bellum reſtauratur.

8. Ratione tandem Adjuncti aliud eſt Bellum civile ſive internum & domeſticum: aliud externum, quod, ajo, actionem hoſtilem in Principem aut populum alienum. Utrumque erit meta hujus libri.

CAP. II.

Ars Militaris Principi commendata.

1.

COnſideranti, ex quâ virtute potiſſimum Principibus opinione hominum accedat Gloria? Sanè *Prudentia & Ars*

Militaris, Apex quidam, & Corona mihi videtur omnis Gloriæ, quam in Regnante exigunt homines. Omnes quippe tuta quærunt, & ideò fortiori accedunt: omnes gloriæ fulgor perſtringit, quem illi ex victoriâ populorum, ſubjectione Provinciarum, depreſſione hoſtium & æmulorum, ex expugnatione Urbium metiuntur. Et quantumvis ſub talibus Principibus ſæpè immodicè premantur ſubditi, vix tantumdem ſentiunt, nec recalcitrant, quam ſub mitiſſimo Principe, cui non tanta à re militari fama & fortuna. Dico, quod ſentio: & ſentio, quod ex omni retrò hiſtoriâ patet: *Prudentiam militarem in Imperante præſtare cæteris omnibus.* Cæteræ virtutes, ſi abſint, facilius diſſimulantur in Principe, illa autem abeſſe ſine pernicie non poteſt. Quantum inter fortem & debilem, tantum diſcrimen eſt inter Principem Belli peritum & imperitum. Sicuti duo Reipublicæ tempora ſunt *Pacis & Belli*; ita duo Principi officia: *Regere & tueri*: ac exinde duplicem ei convenit ineſſe prudentiam: *Togatam & Militarem.* Hunc Canonem ipſe dictavit Imperator Juſtinianus: *Imperatoriam Majeſtatem non ſolum legibus armatam, ſed etiam armis oportet eſſe decoratam.* Majeſtatis præſidium majus domi forisque non eſt, quam armorum fama. Pacis & quietis publicæ non firmius vinculum, quam ſuſtineri à Viris fortibus. Quiete ii plurimùm populi, ait Thucydides, fruuntur, qui ita quidem ſunt inſtructi, ut injuriam nemini faciant, ſed viciſſim ita comparati, ut laceſſiti, paſſuri id neutiquam videantur. Non facilè provocabit, nec audebit offendere quisquam Principem, quem intelligit martialem, milite & omni virtute bellicâ expeditum, promptumq; ad vindicandum. Patria, libertas, Cives atq; adeò ipſi Principes latent in tutelâ ac præſidio bellicæ virtutis. Cardinalis Richelius etiam propiorem cauſam tangit: Principem militaris artis imperitum arbitrio Ducum ſubjici, ubi Bellum eſt gerendum: adeò ut ipſorum fidei qualicunque potentiam ſuam committere, neceſſum habeat. Quod malum tanto eſt conſideratius, quod Magnates Reipublicæ iſtud acroama imbibêre: Impotentiâ Principis ſuam fulciri autoritatem, nullo penſo perditæ

ditæ ſponte victoriæ ad emolumentum aliquod. Quod nimis verum eſt, ut etiam proximo elapſo ævo ejusmodi arcanæ perfidiæ exempla viderimus, quæ hîc referre, juſto metu abſtinemus.

2. Prudentiam militarem conſequitur Fortitudo & Exemplum Principis, quod revera mihi validiſſimum eſt ad omnes eventus optatos, niſi quidam exiſtimarent Politici, *Principem non debere intereſſe Bello.* Ita quidem eſt, ſi ætas, ſi virium defectus, ſi prolis ac ſucceſſionis orbitas, ſi Belli longinquitas, aut alia quævis his major ratio abſentiam exigat. Etiam frigeſcente ætate inerant Regi David Martiales ſpiritus, cum ſuis diceret: Egrediar ego vobiſcum ad prælium? Sed populus reſpondit: Non exibis: ſi media pars è nobis ceciderit, parum refert, tu unus pro decem millibus computaris: melius igitur eſt, ut ſis nobis in Urbe præſidio. Flagrante inter Auſtriacos & Bohemos Bello, cum ex hybernis educerentur, utrinque exercitus, Magnates tunc Auſtriaci ſciſcitabantur ex Principe Alberto V. quem Ducem Bello legeret? Reſpondit confeſtim: Si alium quam me Ductorem exercitûs petitis, fruſtra me Ducem Auſtriæ appellatis. Non erat olim rarum ſummos Regnantes videre in campo, ante aciem, in cuneis, & planè trans mare in arido Arabiæ, Syriæ, Paleſtinæ. Sed proh! tranſiêre cum ſæculis ſæculorum memoriâ digni Heroës! macte tamen animo: jam rurſus redeunt Phœnices, & antiquæ Aquilæ pulli, Joſephus & Carolus.

3. Diſcrimen hoc unum ex Arcano ſit: *Princeps virtutibus bellicis conſpicuus, ſi interveniat Bello, non ſolum partes optimi Ducis explebit, ut alius quisque Belli Ducum: ſed etiam his ipſis calcar addet ad audendum magna, & militibus certam victoriæ ſpem ex præſentiâ Regiâ, quæ deſperatis caſibus non facilè ſe committit, inſpirabit.* Multum promovit expeditionem Mirandulanam Julii II. Pontificis præſentia, qui, ut Guiccardinus teſtatur, continuo labore obequitabat caſtra, inſtantiſſime ſollicitans, ut machinæ bellicæ admoverentur quantocius Urbi. E contrariò. *Princeps non imbutus prudentiâ militari, ſi Bello adſit, majori*

eſt

eſt impedimento, quàm emolumento. Cum enim ex ipſa præſentia quamdam monſtret, vel jactet audaciam, facile incidet in temeraria conſilia & deſperatos auſus, magis innixus ſuæ opinioni, quam ſuorum Belli Ducum ſaluberrimis conſiliis. Ut malo ſuo fato expertus eſt Rex Portugalliæ Sebaſtianus & Carolus Burgundus multique alii. *Utilius è Republica agunt Principes, ut quod per ſe non valent, aut audent, agant per ſuos.* Maximè in re bellica, ubi omnis error ita fatalis reperitur, ut vix, vel diu non conſequatur remedium; damnum autem ſemper comitetur errorem. Carolus V. Franciæ Rex ideò Sapiens dictus, quod conclavi addictus per Fratres & Legatos, ſeu per manus & miniſtrantia membra conficeret pugnas & bella, & periculo ſubductus nusquam committeret aleæ rem univerſam. Statuerat quippe viâ contrariâ afflictam Rempublicam ſublevare, & ſolerti prudentiâ mederi vulneribus, quæ cœca Anteceſſoris generoſitas intuliſſet: ait ejus vitæ Scriptor. Juſtinianus Bella geſſit maxima nusquam præſens, ſed ad clavum Urbis Imperii conſidens, prudentiâ & virtute ſuorum Ducum Belliſarii & Narſetis, aliorumque, Italiâ expulit Gothos, Africam liberavit à Vandalis, & Græciæ inſultantes Perſas domuit.

4. *Ubi Belli Duces virtute ac prudentiâ militari præcellunt Principem regnantem, magis expedit, ut is per illos Bellum, aut ſi ipſe interſit, eorum conſiliis morem gerat.* Ludovicus XI. artium quarumque expertiſſimus Rex, vix unquam in hoſtem diſtrinxit ferrum, ſed per provectæ experientiæ Duces vicit Anglos, Aquitanos, Burgundos, Flandros, mutuatis inſuper à ſuo hoſte (ſed quos auro prius corruperat) Ducibus. In expugnatione quoque Leodienſi ipſe non erubuit à Burgundiæ Duce non ſolum accipere conſilia, ſed etiam Theſſeram militarem, nihil animo ſibi ducens, an hoc vel illo modo? dummodo hoſtes vicerit aut fraudaverit. Sæpe utrumque feliciter præſtitit.

Rurſus diſtinguo, & Princeps, qui in hoſtem movet, ipſe mecum diſtinguat: an nimirum hoſtis agat in caput Imperii, an in membrum? an hoc capiti proximum, vel longinquum? Si in caput

caput Imperii? obviandum eſt hoſti, etiam in perſonâ; vel ſecuritati ſuæ conſulendum. Si membrum petat, idve proximum: expediet prævenire hoſtem proviſo interea capite Imperii, ne periclitetur. Sin in longinquum? tunc nulla ratione caput Imperii deſerendum. Indecorum quippe Principi eſt, ſi una alterave civitas turbetur, omittat Urbem caputque rei, unde in omnia ſicut Regimen, ita Salus. Proſternit metu Subditos, ſe remque publicam in caſum exponit, qui caput Imperii negligit, aut deſerit.

5. Regula deinde apud Polemicos generalis eſt: *Ne Princeps locum, ſi in Urbe dominante reſidet, mutet, niſi aliud periculum, quod majus, quam ipſe hoſtis eſt, aut emolumentum aliud adverſus hoſtem manifeſtum, mutationem ſuadeat.* Ubi longius flamma flagrat, magis expedit próximos, tueri lares interſecto ignis pabulo, quam longinqua delere incendia, Urbemque univerſam, ob unam aliamque præſervandam ædem, diſcrimini ſubjicere. Perſarum Sophi, ſive Rex, limites Imperii ſui vix unquam egreditur contra externum hoſtem: ſin contra internum & domeſticum, egrediatur; (quod Regia lege conceſſum eſt) domi, ubi caput & Reſidentia Perſicæ Majeſtatis habetur; Pro-Regem, ſuis inſignitum faſcibus, & omnimodâ Majeſtate Autoritateque proviſum ſubſtituere, ex lege itidem Regiâ tenetur. Licet Germanorum legiones olim tumultuarentur ſub Tiberio, & Reipublicæ diſcrimen exigeret, & Senatus Populusque Romanus ipſe vellet, ut Princeps tumultum componeret præſentiâ ſuâ, quæ in ſimilibus diſcriminibus multum valet: intermittit tamen Tiberius, indignum ratus, caput Orbis & Imperii ob pedum infimos digitos relinquere. Interim metus tantum erat Tiberio, ne ſe abſente quidpiam moveretur in Urbe, quod magis concutere poſſet Statum Imperii, ſuamque autoritatem, quàm tumultus Germanici.

CAP. III.

Armorum Vis.

1.

TAnta armorum vis eſt, ut ab iis publica res in utramque partem pendeat, & elevari poſſit, premique. Abhinc libertas & ſervitus: inde alterantur, convertantur, & evertantur Regna, Imperia, & quidquid viciſſitudini obnoxium eſt in humanis. Non meo, ſed Ariſtotelis, Arcano: *In eorum eſt* (inquit) *qui arma tractant manu, ut maneat vel non maneat Reſpublica.* Vetera & recentiora hoc ipſum monent.

2. Cyrus apud Xenophontem ita proloquitur: Tum ſicut arma ceteris ademimus, ita nos ipſos ab armis nunquam deſtitui oportet, idque pro certo perſuaſum habere illis omnia, quæcunque velint, maximè ſua & propria eſſe, qui quamproxime ab armis abſunt. Fruſtra perſuadent Belli Duces, ubi gregarius miles armorum vim obtinet: fruſtra perorat popularis libertas, niſi Cæſar arma deponat. Auguſtus adhuc ante aſſumptum Principatum, Senatui Romano Conſulatum ſibi neganti, capulum enſis manu feriens, inſultare auſus eſt: faciet iſte, ſi vos non feceritis.

Ex Arcano igitur Statûs poſt Julii Cæſaris exceſſum, & nondum confirmata Principatûs primordia, quæ ſibi à longe arrogabat Auguſtus, hortabatur hunc Mæcenas: *Ut armorum ſummam penes ſe eſſe adlaboraret.* Hæc Regia erat via ad ſolium, hoc jaciendæ dominationis unicum inſtrumentum. Cujus conſilium ultrò ſecutus Auguſtus, primum curavit, ut Provincias ſibi & Senatui divideret; ſed eâ decempedâ, quæ ſenſim adimebat Senatui populoque Romano armorum vim omnem: Infirmiores etenim, ſed, quæ pacatiores erant, Senatui relinquens; potentiores verò, ſed, quæ plus periculi oſtenderent, ac vel hoſtes accolas haberent, vel per ſe commoveri poſſent, ſibi retinens; hoc veluti prætextu, ut Senatus potiretur pacificâ adminiſtratione, ſolus autem ille armis incumberet, & per hæc Orbis Imperio.

3. Quantum recentiori ævo armorum Imperio valuit Crom-

wel-

wellus in Angliâ, Auriacus in Belgio, Ghuiſius in Galliâ, Franciſcus Sforzia in Italiâ: quantum Bataviæ pugillus terræ in Oceano, & novo Orbe: quantum proximâ ætate Suecus in Imperio: quantum nuper ſubegit Gallus in Germaniâ: quanta ille molitur in Hiſpaniâ, palam eſt; hæc omnia referri ad armorum vim, ſine quibus omne magnificum, eſt inane, & Majeſtas ipſâ, umbra. Nihil metuit, cujus arma metuunt omnes. Inexſuperabilia aggreditur, qui ſuperari non novit. Legiones Romanæ ad Rheni ripam explodebant Cæcinnam, inſultantes: Sua in manu ſitam eſſe rem Romanam, ſuis victoriis augeri Rempublicam, in ſuum cognomentum adſciſci Imperatores. Quod ipſum non pridem apud Portam Ottomanam ante Auguſtales fores intonabant Janizzari, & quondam ſæpius: ut vel inde veritatis arcanæ inſtar habeant Regnantes: *Armorum Jus nemini plenè dandum, ſibi unicè reſervandum.* Tardum eſt, armatum Syllam in Jus vocare: periculoſum, ſeditioſas Provincias, ſine exercitibus compeſcere: Indignum, armato ſubdito credere: Vanum, ſine armorum terrore à perfidis expectare fidem. Experti id vidimus (an fato, an errore noſtro) in Ragozio & Hungariâ, in Auriaco & Belgio. *Miles in Provinciis, miles in confiniis, miles ad latus*, tria ſunt Regnantis præſidia. Horum quodcunque deeſt, jam vacillat Imperium.

4. *Principis gloria non ſolum eſt in ſuorum curâ; ſed in hoſtium exitio, quorum detrimento res Principis augetur.* Idem ſit Principi uſurpationibus obſiſtere exterorum, quam continere Subditos in obſequio. Armorum continuus motus domeſticos abſterret à ſeditionibus, externos ab uſurpationibus, omnes perplexos reddit, ne quo ſe vertant, rite ſapiant. Sic armatus ſecurè dormit Princeps, & illi præter naturam, motus, quies eſt. Perſpice Monarchias omnes; plures otio enervatæ, quam virtute Martiâ conſumptæ, periêre. Magni Principes ſine magnis auſis ſterileſcunt; tranquillitas illis plus nocumento eſt, quam armorum fragor. Pudet Regium animum inter Gynæcéi aut Morionum agmina diſtineri, cum interea hoſtes armorum pertinaces,

undique prædæ inhiant. Romani non rarò Bella traxêre, ut miles haberet, quod ageret; aliàs laſciviens, petulans; & exinde gravis Principi & Reipublicæ. Armatis Principibus nunquam deſunt anſæ, aut ſua tuendi, aut amiſſa olim, vel proximè repetendi, aut exſtruendi munimenta, aut hoſtem in ſolo hoſtico quærendi; aut perſequendi Barbaros, & Chriſti inimicos. Neque ab Auguſti temporibus tam alta Pax Mundum continuit (ne dicam Europam) quin ſemper miles gloriosè impendi potuiſſet. Deliteſcebat domi Childericus inter Veneris illecebras, cum Carolus Martellus exuſtam & deſolatam Galliam plusquam Martis fortitudine ex Magni Abdimari Saracæni manibus eriperet. Facinus Martelli, ut erat verè Regium, Regnum quoque in præmium habuit ultrò oblatum à Nobilitate Gallicâ, Childerico præter exauctorationem nullis planè faſtis commemorato, quaſi indignantibus villis ea mandare poſterorum memoriæ nomina, quæ ſua turpitudine languida nihil Martialis ſpiritûs contulêre in ſalutem Patriæ.

CAP. IV.

Cui Jus Belli competit, & ejus movendi cauſæ.

1.

ARma ſunt Principum. Ipſe nimirum Ordo naturalis mortalium paci accommodatus, ait Auguſtinus de Civitate Dei, hoc poſcit, ut ſuſcipiendi Belli Autoritas atque conſilium penes Principes ſit. Bellum etenim non Juris eſt primati, ſed publici: immò omnium maximum Imperii Jus eſt: Ideò ad publicam tantum Poteſtatem ſpectat.

2. Publicæ autem Poteſtatis ingens diſcrimen eſt. Una eſt, quæ per ſe Summam Imperii habet, nec ſuperiorem agnoſcit. Huic competit propriè Jus Armandiæ, movendique Belli: Alia Pote-

Potestas non suprema, neque absoluta est, sed superiorem agnoscit, quales sunt multi Status Imperii: hi licet durante necessitate seu periculo ineluctabili, injurias armis repellere possint; cessante tamen periculo abstinere debent ab armis, ac sententiam ejusdemque executionem à supremo Principe petere. Licet multis Statibus Imperii Romani, partim ex contractu, & investiturâ feudali, partim privilegio vel expresso, vel tacito communicatum sit Jus territorii, id est, æqualis potestas in suis ditionibus, quam Imperator habet in universo Imperio: attamen excipiuntur quædam Regalia, quæ Principum Maximo Principi, id est Imperatori, in præeminentiam & signum Majestatis expresse reservantur, qualia sunt, Jus præcipuè Belli, fœderum & pacis.

3. Hinc canon omnium Politicorum est: *Jus Belli Pacisque ad solam Majestatem propriè spectare.* Id si pluribus concessum foret, nunquam Respublica quiesceret, Belloque civili omnia perpetuò colliderentur: Uti miseram Germaniæ faciem nobis repræsentant historiæ eorum temporum, quibus *Diffidationum* usus vigebat. Ipsi deinde Principi à populo armato grave periculum accidere posset: immò credat, *Divisum se Imperium cum armatâ multitudine habiturum.* Eo inclinat Potestas omnis, quo arma. Armatus quisque Imperium facile exercere potest. Unde consuetum Romanis erat, pacem nequaquam facere cum eo, qui adhuc arma teneret. Stephanus Rex Angliæ, ut indulgentiorem se Subditis præberet, simulque contra Henricum II. se melius muniret, concesserat Subditis, in suo cuique territorio castella excitandi, muniendique potestatem: mox tamen pœnituit ipsum liberalitatis, cum eos inde experiretur factos obstinatiores. In quorum arbitrio sunt munimenta Regni, in eorum arbitrio est carcer Regis. In quorum manibus sunt arma, in eorum capite est corona. Majestas ibi residet, ubi armorum potestas imperat. Ab armis omnia pendent, quibus, qui prævalent, eorum legibus necessariò alii obtemperant.

4. Lex Julia Majestatis damnat: *Qui injussu Principis Bellum*

gesserit, delectumque habuerit, exercitum comparuerit. Involat Majestatem, Principi derogat, abutitur potestate publicâ, quisquis Subditus aut privatus, aut arma parat, aut infert, aut contrahit. Ad restitutionem damnorum ex privato Bello illatorum in conscientiâ teneri Belligerantes communis fert Theologorum sensus. In Imperio contra milites eorum, si, avocatione factâ per mandata avocatoria, non pareant, Bannum jure decernitur. Nec obstat Juramenti Religio, quo Ducibus Belli ex pacto beneficii, vel feudi ratione obstricti sunt; fides enim ad facinora non extenditur. Ita Principes Electores Anno 1620. in conventu Mülhusiano omnes feudatarios Friderici Palatini gravissimis literis dehortabantur à factione sui Principis, qui injustissima arma adversus Ferdinandum II. movens, totum Imperium commovebat. Similiter nuper à Leopoldo Cæsare iteratis mandatis avocati omnes, qui Bavariæ Duci, Galliæ injusta arma sequenti, militabant. Rectè cum Livio dixeris: *Privatorum Bella, latrocinia esse publica*, quæ nec toleranda sunt, nec per sequaces eorum fovenda.

5. Omne autem Bellum quatuor requirit conditiones. Prima est *Auctoritas* & *Potestas* Belli in Principe, Superiorem non agnoscente, de quâ jam dictum est. Altera est *Necessitas*, cum enim duo sunt genera decertandi, ut ex Cicerone jactat Machiavellus; unum per Rationem & Persuasionem, alterum per Vim: cumque illud proprium sit hominis, alterum Belluarum; confugiendum tandem est ad posterius, si non liceat uti superiore. *Bellum ratione & calamo prius experire, deinde ferro.* Prioris impossibilitas, secundi erit necessitas. Ense ipse perire vult, qui Justitiæ lancem non admittit. Nemo culpam tenetur alienam luere.

6. Tertia conditio (quæ Phœnice rarior est) prohibet Bellum inferenti *alieni cupiditatem.* Nam quantumcunque, sive autoritas, sive necessitas Belli, à justissimis procedat causis: attamen si pedissequam habeat cupiditatem, avaritiam, ambitionem, odium, & alios inanes aut iniquos fines, nihil minus quam *justum*

ſtum Bellum dici valebit. Recta Ratio, & Syndereſis Chriſtiana, accuſat & culpat nocendi cupiditatem, ulciſcendi crudelitatem, impacatum atque implacabilem animum, feritatem ſæviendi, temeritatem rebellandi, libidinem dominandi, quæ ſicut ſcoria auro ita adhærent etiam juſtæ cauſæ. A DEO accepiſtis Jus gladii, ô mei vos Principes! ſed non niſi in *Bonorum tutelam & malefactorum vindictam*: An à DEO commiſſa vobis arma acuet crudelis cupiditas? an Gedeonis gladium vibrabit inſatiabilis ambitio? DEI gladius non perturbat pacem publicam, ſed eam firmat, & quærit. Ipſe Ethnicus Cæſar Auguſtus, turpe rebatur ob coronam auream, argenteam, gramineam, vel triumphales plauſus civium vitas ac ſecuritatem velle periclitari. Quisquis Belli furore aliorum fata quæris, cave, ne in tua te præcipites. Qui alieno ſanguine vix unquam ſatiatur, peribit ſuo.

7. Quarta conditio *juſta Belli cauſa*. Hæc ſidus eſt prognoſticum, qualis Belli futurus exitus? Hæc in Principe fiduciam, in Belli Ducibus fidem & promptitudinem, in milite alacritatem & ſpiritum ad quidvis audendum commovebit. Huic ſocius Bellorum Deus, propitiusque ſemper aſſiſtet. Funeſto gloriæ exitu mala cauſa concidit, ejus teſtis eſt utraque pagina. Titubant Bellatorum animi, ubi ſciunt, ſe inferre, non propulſare injuriam. DEUM ſuum tentat, cujus ſi quiſpiam auxilium ad injuſta arma implorat, quantopere in ipſo Gentilismo juſta Belli cauſa celebrabatur, teſtantur Rhodiorum Legati; Certe quidem, inquiebant illi, vos eſtis Romani, qui ideò felicia eſſe Bella veſtra, quia juſta ſunt, præ vobis fertis, nec tam exitu eorum, quod vincatis, quam principiis, quod non ſine causâ ſuſcipiatis, gloriamini.

8. Aſt illud omnium malorum maximum eſt, quod Reges & Principes injuſtis Bellis impliciti, eorum uniter ad extremum (arguenti eos indeſinenter Syndereſi) deſperent, & ex deſperatione tandem contemnant, ſalutem, animam, & quidquid immortale eſt: exiſtimantes pro oraculo illud: Cœlum Cœli Domino, terram dedit filiis hominum. Etenim tot illi, tantorumque malorum,

lorum ſcelerumque rei ſunt; quot, quantaque per injuſtitiam Belli, ultrò citròque patrantur. Ex eorum manibus repetet divina Nemeſis tot mille innocentes animas, quæ vel innocenter & præmaturè perière; vel quas contagium militaris petulantiæ planè æternum perdidit. Nam ſicuti ex causâ juſtâ ſuſcepto Bello, quidquid ſiniſtrum perverſumque accidit, non in culpam trahitur, juſtè vel ſe defendentis, vel juſtè alium offendentis: Sed in ejus tantum crimen computatur, qui injuſtè Bello juſto dedit cauſam, nolens citra vim ſatisdare juſta repetenti. Ita, qui injuſtè ſuſcipit Bellum, univerſam Belli injuſtitiam contrahit, ſeque reum facit omnium vaſtationum, uſurpationum, cædium, impietatum, & quidquid dirum, Numinique adverſum patrare ſolet effrenis Belli furor. DEUM immortalem! an non cum Senecâ Ethnico liceat conqueri Chriſtiano! Homicidia compeſcimus, & ſingulas cædes: quidnam injuſta Bella & occiſarum gentium erit glorioſum ſcelus? Non hic avaritia, non modum novit crudelitas. Ex Senatusconſultis, plebisque ſcitis ſæva & immania exercentur, & publicè jubentur vetita privatim. Hæc inſania quædam eſt ruentium in pejus ſæculorum, quaſi vero, quod leges damnant, id arma excuſent, quod ſcelus in Republicâ eſt, in Bello & caſtris ſit virtus. Solent quidem ejusmodi politicè dici: *incommoda Belli, quæ prohiberi non poſſunt*: Ita eſt, me caſtor, ſi Bellum ex juſtâ aſſumptum eſt causâ: Sin ex injuſtâ, tunc reatus tuæ injuſtitiæ ſunt, & peſſimus partus tuæ ambitionis, crudelitatis, avaritiæ & dominandi libidinis.

Quippe ubi fas verſum atque nefas: tot Bella per orbem,
Tam multæ ſcelerum facies.

9. Verum propiùs cauſas Belli expendamus. Eæ autem mihi citra omne dubium juſtæ ſunt, quas vel DEUS ipſe juſſit, vel approbavit. Et fermè decem & duas in ipſis divinis literis comperio.

Primò, *Ex juſta causâ inferuntur arma in eas Regiones hoſtiliter, ubi non ſolum DEUS blaſphematur, ſed etiam non admittitur*

titur Prædicatio S. Evangelii, & Evangelizantes ipsi persecutionem patiuntur. Fundatur in Deutoronomio, ubi præcepit Dominus populo suo, ut devastaret loca gentilium, uti idola colebantur. Hoc jure proximis sæculis Rex Castellæ & Lusitaniæ penetravit in Indias, an zelo magis DEI & Religionis, an Regnorum aurique cupiditate? hæreo, cum earum partium historiam lego. Finis si fuit ille in Regibus: media profecto ad finem non erant tam sancta in Ministris, ut multæ desuper querelæ piissimorum virorum ex Indiis, perstrinxerint aures Caroli V.

Secundò, & à fortiori licebit bellum movere adversus Regna Regesque in Apostasiam cum subditorum perversione, & ecclesiasticorum bonorum direptione prolapsos.

10. Tertiò, *justum est, bello cogere tributarios & feudatarios Principes, qui obsequium & tributa præstare negant.* Mesa, Rex Moabiticus, bis centum mille hœdos & oves tributi loco pendebat Regi Israël, post mortem autem Achab negabat tributum. Igitur Joram, novus Rex Israël, Achabi filius, congregavit exercitum contra Moab, promittente Domino, per Elisæum Vatem, se traditurum Moab in manus Israël. Ex hac causa multoties armis concussa fuit Italia à Fridericis & Henricis olim Imperatoribus: Novissimè à Ferdinando II. Mantua ideò expugnata, & ad incitas tunc fermè redacta ab exercitu Cæsareo, quod investituram petere respuebat. 4. Reg. c. 3.

11. Quartò, *justissimum in Rebelles Subditos Bellum est.* David, Rex secundùm cor DEI, in rebellem Sobam movit arma, nec pepercit. Philippus II. in Belgas, sed suo malo fato. Feliciùs Ferdinandus II. & III. in Bohemos. Multoties Leopoldus in Hungaros, nunc & olim sæpe recidivos, indignosque Josephi veniâ, quâ toties abusi sunt in genitore. 2. Reg. c. 20

12. Quintò, *adversus Protectores, aut Detentores Rebellium aliorumque facinorosorum hominum, legitimè infertur Bellum.* Vix atrocius aliud, quam ex hâc causâ legitur in antiquo Testamento Bellum. Abusi erant Gabaonitæ uxore cujusdam Levitæ Ephratensis, ut ex multiplicato coitu concidere & mori Jud. c.

debuerit. Tanti facinoris cauſam ſuſcepit in ſe totus Iſraëliticus populus, & quadringentis armatorum millibus ex caſtris, adverſus tribum Benjamin, quæ Gabaonitas protegebat, neque in condignum ſupplicium ad preces Iſraël extradere volebat ſceleſtos viros, confidenter progreſſi ſunt. Ter pugnatum eſt, vincente bis Benjamin, occiſis ex populo Iſraël in gemino conflictu quadraginta millibus. Tertiò pugnatum eſt, jubente Domino, ſed tantâ Benjaminitarum ſtrage, & Iſraëlitarum victoriâ, ut totam fermè non minus fortiſſimam, quam numeroſiſſimam tribum extinxerint, internecioni datis in tertio prælio viginti & amplius, in fugâ verò octo & decem millibus ex tribu Benjamin. Magnum quoque Bellorum incentivum ſunt Principes transfugæ, qualis erat Ludovicus XI. apud Burgundum usque ad mortem Patris Caroli, Regis Franciæ: & Condæus ſemel & iterato apud Hiſpanos &c.

13. Sextò, *Injuria publicè irrogata juſtam publicè ulciſcendi cauſam præſtat.* Ultus eſt David injuriam Legatis ſuis ab Ammonitarum Rege factam, quorum iſte barbam ad medium mentum raſerat, & veſtes, usque ad nates præciderat, illato in Ammonis Regnum militari exercitu, & expugnatâ Rabbâ Regni capite. Corinthus à Romanis everſa, ſolum, quia Romani Legati durius appellarentur. Et in Illyrio ſtrictæ in Principum colla ſecures, Legatorum manibus litavêre, ait Florus Romanus. Quantum noviſſimè ſenſerit Ludovicus XIV. injurias ſive ſibi, ſive ſuis Legatis in exteris Provinciis irrogatas, abundè conſtat ex deprecatione Ducis Genuenſis & Legati Alexandri VII. Pontificis, publicè in coronâ Principum, evulgatisque per Europam libellis, Pariſiis factâ.

2. Reg. c. 10

14. Septimò, *juſtiſſimum eſt Bello repetere, quod ereptum eſt.* Sic David pugnavit contra Isboſeth tam pro Regiâ Virgine Michol centum Philiſtæorum præputiis emtâ, quam pro Regno Iſraël poſt exceſſum Saulis ordinatione divinâ in Davidem devoluto. Ex eâdem causâ (raptæ nimirum Helenæ) exortum eſt Bellum Trojanum, ſupra decennium continuatum, utrinque ex Græcis

Græcis & Trojanis ſupra unum & dimidium millionem hominum extinctis.

15. Octavò, *ut repellatur hoſtis.* Quemadmodum David Philiſtæos & Moabitas repulit. DEUS quippe quibusque populis & nationibus ſuos Adverſarios dedit, ut periculorum metu in officio continerentur, uti Iſraëlitici populi exempla hoc abundè teſtantur. Habuerunt iſti Madianitas, Moabitas, Philiſtæos aliosque hoſtiles gentes, ut nunc Chriſtiani Turcas, Saracænos, Barbaros, quorum vim ſemper repellere, eorumque conatus præoccupare & reprimere licet. 2. Reg. 8.

16. Nonò: *Contra hoſtem inſurgentem & æqua prohibentem.* Inſurrexerunt Ammonitarum Rex Sehon, & Og Rex Baſan contra populum Domini, tranſitum pacificum petentem per loca illorum; negantibus autem illis opus erat his ferro parare viam, quam tantâ Iſraëlitæ confecerunt fortunâ, ut cæſis & planè extinctis incolis facti fuerint, ex peregrinis Dominatores, utriusque Regni Ammonitarum & Baſan. Num. 21.

17. Decimò: *Contra eos, per quos hoſtis noſter roboratur.* Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ, & qui communicaverit Superbo, induet ſuperbiam. Eadem ratio defenſionis & offenſionis eſt contra Principalem aut ejus ſocios. Hoſtis erat Adarazer, Rex in Sobâ, Regis David in Juda, jamque felici Marte fermè ſubegerat David Sobanum Regem; cum Syriæ populus, & qui Damaſcum inhabitat, ex improviſo ſuppetias ferens Adarezer Belli aleam quaſi ancipitem reddiderit: Verum David in virtute Altiſſimi aggreſſus auxiliares Syriæ & Damaſci copias, memorandam tulit victoriam, cæſis duobus & viginti millibus virorum: ſervavitque Dominus David in omnibus ad quæcunque profectus eſt. Eccl. 12. 2. Reg. c. 8.

18. Undecimò: *Ad Amicos & confœderatos ab hoſtibus liberandos.* Abraham contra decem Reges, qui Loth in captivitate detinebant, pugnavit fortiter, & glorioſè devicit, in libertatem aſſerto nepote. Divina fermè actio eſſe videtur infirmos adverſus potentiores tueri, & ab hoſtium injuriâ immunes præſtare. Gen. 14.

19. Duodecimò: *Adversus Tyrannos.* Quia Tyranni sunt omnium hostes. Quos olim erat Subditis honestum necare, quantò nunc magis æqualibus licitum Bello persequi. Ab omni planè humanitatis consortio exterminandum, quidquid belluinum, quidquid immane, quidquid omnium odium meretur. Nullæ leges Tyrannis securitatem præstant. Oportebit enim, c. 16. ait in Proverbiis Salomon, illis, sine excusatione quidem, supervenire interitum exercentibus Tyrannidem. Licet Tyranni vo- c. 17. luntate DEI aliquando præsint, ut Jeremias deplorat: id respectu Subditorum intelligendum magis, quam respectu eorum, qui Imperio absoluti sunt, & divinâ ordinatione portant gladium in vindictam improborum. Maximus naturæ humanæ hostis Tyrannus est, & feritate sua ipsa Belluarum naturam exsuperat. Leones, Ursi, Tigrides, Lupi & Dracones ceteraque immanissima animantia à suâ specie abstinent, & tuta est inter feras similitudo morum: at Tyrannus homo in homines, Civis in Cives sævit & pascit crudelitatem suam cognato sanguine, omni ferâ immanior. Ideò Dominus excitavit Judam contra ejusmodi Tyrannum Adonibezec, qui jactavit, se septuaginta Reges mutilasse Jud. c. 1. v. 7. manibus & pedibus. Surrexit igitur Judas contra Adonibezec in Bezec, & fugato Tyranno occidit inibi decem millia virorum. Idem legitur in fastis Regum Samuelis contra Tyrannum Jesbibenob, & alios quamplures; ut vel inde constet, Jure divino Bellum legitimari adversus Tyrannos. Et hæ fermè duodecim causæ sunt ex ipsis sacris literis erutæ: Jam videamus occultiores & politicas.

20. Multis videtur *Jus omne in gladio*, ut Tragœdus dixit in Hercule: Jus est in armis: opprimit leges timor, quasi omnis armorum Justitia consisteret in Potestatis supremæ arbitrio. Minimè hoc gentium. Jus enim non vi, sed ratione constare debet. Bellum necessitatis tantum est. Non enim Pax quæritur, ut Bellum exerceatur, sed Bellum exercetur, ut Pax acquiratur, ait D. Augustinus.

Deflexit ab hâc sanctissimi Episcopi mente Cardinalis Richelius,

lius, ubi Regi ſuo ſuadet: Si utilitatis ratio Principi Pacem domi firmandam exigit, nihilominùs Bellum apud Principes vicinos ſuſtinebit, ut, tutandis rebus, occupati Galliam faciant miſſam. Eæ artes Ludovici XI. per hiſtoriam laudantur, qui conſiliorum, quæ Anglus cum Burgundo inierat, gnarus, tantas excitabat inter eos turbas, ut illi exequendis conſiliis non ſufficerent. Qui anguillas volunt, turbant ſtagnum; & in turbido capiunt, quod in ſereno nequeant: Ita Regnantes, ut vel domi pacem habeant, vel rebus turbatis quidpiam ex prætextu quocunque lucrentur, inter vicinos & externos Principes excitant Bella, ultrò citròque ſuggeſtâ diffidentiâ. Occupant illos invicem, ne occupentur ab illis. Incendia ibi ſuccendunt, ubi ex inſidiis prædam expectant. Altera quoque maxima Richelii fuit: Juſte ſuſcipi bellum, ubi melius eſt periculi, ne Bellum Principi vel ſuo exercitui intentetur, tametſi operto Marte ille non ſit læſus. Hâc ratione multoties Sabaudo Bellum fuit illatum. Et juſtè quidem, ut multis evincere conatur Cardinalis libro 7. c. 15. in ſuo Miniſterio.

21. Alii regnandi & pomœria proferendi causâ Bella movent exiſtimantes cum Politicorum Principe Tacito: *Non ignaviâ magna Imperia contineri, ſed virorum armorumque faciendum eſſe certamen.* Annal. 15. Crevit primùm Labore & Juſtitiâ Reſpublica Romana, nec facilè laceſſivit Bello quempiam, niſi prius laceſſita vel in ſe, vel in ſuis fœderatis. Tandem deflexit etiam in occultas cauſas, quas reticebat quidem, & alios quosque armorum prætextus arripiebat. Quemadmodum illi gravibus verbis exprobrat Ammianus Marcellinus propter occupatam Cyprum. Nec piget (ajebat ille) effari, avidè magis hanc inſulam populum Romanum invaſiſſe, quam juſtè. Ptolomæo enim Rege confœderato nobis, & ſocio, ob ærarii noſtri anguſtias, juſſo ſine ullâ causâ proſcribi: ideoque hauſto veneno voluntariâ morte deleto, & tributaria facta eſt, & velut exules ejus exuviæ claſſi impoſitæ, in Urbem advectæ ſunt per Catonem. Et ſic deinceps à Romanis Jure Regni, ſive dominandi cupiditate Reges maximi

ximi Bello domiti, nationes feræ, & populi ingentes vi ſubacti, Carthago, æmula Romani Imperii, à ſtirpe interiit, cuncta maria terræque patebant Romanæ Potentiæ. Enim vero Pſeudo-Politicis juſtum eſt, *minus Fortem Potentiori cedere, Jureque nobis deberi, quidquid vicinum eſt, ſi commodum.* In omnibus fermè Bellis ejusmodi occultæ cauſæ latitant, licet per programmata & Manifeſta publica, omne aliud prætexatur.

22. Ejusmodi prætextus fucatos, & indignos, Guſtavus Adolphus, Sueciæ Rex, quibus extremam illam Gloriæ & Dominationis, quam animo indefeſſe coquebat, libidinem obtegens, commentus eſt in Manifeſto publicato adverſus Imperatorem Ferdinandum, jam jam armis Suecicis invadendum. Nimirum, quod Cæſar contra morem Majorum mare Balthicum ſuis navibus navigaret: Poloniæ Regi contra Sueciæ coronam tuliſſet ſuppetias: literas quoque à ſe Betlem Gaborio miſſas intercepiſſet: quæ cauſæ non tam diutini atrocisque Belli incommoda, ſed ne quidem ipſius Manifeſtum excudentis Typographi laborem merebantur. Quis enim Cæſari prohibeat navigare maria, omnibus gentibus communia? vel an magis id Sveco, quam Romanorum Cæſari licebit? an deſes iſte, & à longè obſervabit Imperator Svecorum conatus contra Imperii Urbes ad mare Balthicum ſitas? Cur Poloniæ Regi negaret Cæſar opem contra Svecum invaſorem Stralſundæ Imperialis Urbis? aut non interciperet literas à ſuſpecto Rege, transmiſſas ſuo vaſallo Betlem Gaborio, multoties Rebelli, & nova quæque meditanti. Id, me caſtor, licebat omnino Cæſari; ſed Bellum tam injuſtum, quam atrox, minimè licebat Guſtavo, quod ipſe tandem ſuo malo fato luit, præmaturè in pugnâ Luccenſi ex ferali globi ictu deperditâ vitâ. Hic verè appetendo aliena, amiſit vitam propriam, & cum hâc omnia. Veſania quædam eſt, nullâ cogente neceſſitate, de vitâ, de Regno, Belli dubio eventu experiri, & velut ad caſum aleæ periclitari. Unde *cauſa Belli res talis eſſe debet, quæ mereatur, ut pro eâ Bellum ſuſcipiatur.* Etenim gravitas malorum, quæ ex Bellis ſolent oriri, & moraliter prævidentur oritura,

tura, ex unâ lance ſtateræ appenſa, cum cauſa, ſive re, ob quam ſuſcipitur, in alterâ ſtateræ lance librata examinari debet, an hæc tanta ſit, tamque vel gravis vel neceſſaria, ut, intermiſſo Bello, gravior ſit, quam ipſum Bellum, vel quod aliâ viâ, quam Belli calamitate haberi non poſſit.

23. Porro Belli juſtitiam in duplicem refundit cauſam Cyrus: nempe, ſi jam injuria vel illata nobis ipſis, propulſetur à nobis, vel amicis, ſociisque laceſſitis, & petentibus auxilium feratur. Juſtum eſt Bellum, quod propter res non reſtitutas ſuſcipitur, quale erat Romanorum adverſus Albanos. Quemadmodum ab adverſo injuſte infertur ei, qui & res repetitas reſtituit, & auctores Belli una cum ipſorum bonis dedit, & de damno in Bello dato cavet. Ideò malè Romani Samnitum conditiones rejecerunt. Bella prius examinata, & à viris ſapientibus probata, vel ſuaſa (præſertim in conſcientia tribunali) non ſolum in ſe juſta ſunt, verùm etiam multum in hominum animis operantur, ut largiùs contribuant, victoriam ſperent, alacriter in campum eant, fortiter pugnent, nullisque periculis terreantur, confiſi cauſæ bonæ, quæ tandem ſemper triumphat. *Semper juſtum Bellum eſt, quibus neceſſarium omnino eſt: Semper pia arma, quibus nulla, niſi in armis ſpes vitæ poſita eſt, omnibus aliis rebus æquis & juſtis tentatis & oblatis.*

24. Ab hoc proxima cura ſit Principis: *Ut Bellum etiam juſtiſſimum:* (quale jam diximus) *quam minimo ſuorum detrimento, quamque minimâ ſanguinis profuſione & brevi finiatur.* Nam Bellum non ſolum ex causâ juſtâ & legitimâ, ſed etiam ex modo & tractatione illius oportet juſtum eſſe. Bellum quippe ex juſta causâ ſuſceptum, ſed injuſtè geſtum, injuſtum tamen eſt. Quod rarò expendunt Principes, & minimè imitantur Lucullum Archiſtrategum illum Romanum, qui dicebat: *ſe malle unum militem ſuum, aut civem ex hoſtium manibus, quam univerſas hoſtium fortunas ſibi vindicare.* Bellum juſtum, nec facile longum, eſſe debet, nec cum cruenta victoriâ. Qui faciles ad arma ſunt, raro aut juſtam cauſam, aut modum, aut finem legiti-

mum

mum Belli habent. Ideo Ferdinandus Arragonius, quanquam cauſas habebat juſtiſſimas Bello petendi Ludovicum Sfortiam, ægrè tamen id voluit, ne quietem Italiæ, quam rebus ſuis neceſſariam videbat, turbaret. Injuſtè Bellum ſuſcipit, qui ad communes ſocios diſceptationis, & querelarum cauſa provocatus non comparet, ſed ſtatim arma infert. Qui ex inopinato invadunt, ſignum malæ cauſæ habent. Per feciales prius tentandum, & noſtræ apud hoſtes querimoniæ exponendæ. Ludovicus XIV. Anno 1673. minimè id obſervavit, nec præmiſit feciales, ſed ex improviſo aggreſſus Hollandos, eorum præcipua, & fortiſſima munimenta fermè omnia, uno halitu occupavit. Barbaris & Scythis olim id indignum viſum, ſcribit Herodotus.

Bella etiam ab iis injuſtè ſuſcipiuntur, qui primi fœdera publica ruperunt. Sic olim arguebat Carthaginenſes Polybius, & ævo noſtro forſan planè condemnaret Gallos: ſino hos, & à vetuſtate peto exemplum. Cum Julius Cæſar ſuas copias, inducíarum tempore in Uſipetes (ut nuper Ludovicus XIV. in viſcera Germaniæ) duxiſſet, ingentemque ſtragem edidiſſet, graviterque populi illi de eâ queſti fuiſſent apud Romanos, Cato in Senatu dixiſſe memoratur (cum ad decernendas ob victoriam ſupplicationes ſententiæ inclinarent) Cæſarem potius dedendum eſſe Barbaris, ut violati fœderis Religio illius ſupplicio expiarentur, auctorque diras capite lueret. O ſi talem Catonem talemque Judicem haberet Europa, non tantum deprædicarentur Gallorum olim victorioſa arma! Poëta præcinit:

Militiæ quondam partes, ac jura fuerunt,
Tutari patriæ dulcia tecta ſuæ.
A ſociis arcere minas, pepuliſſe Tyrannos,
Hoſtis & incurſus continuiſſe vagos.
At nunc quid Bello petitur? prædare; nec hoſtem,
Sed ſocium, vitâ, eſt, expoliaſſe decus.

26. *Bella colorata prætextibus, ſemper injuſta ſunt.* Quia ſupprimunt veras cauſas & reales, quas injuſtas novêre. Fucum præfigunt, ſed rei veritatem reticent, quam plerumque vel tempus

pus detegit, vel Belli exitus oſtendit. *Tam verum eſt Juſtitiam in Bellis ſuſcipiendis requiri, ut ii etiam, qui Bellum ambitiosè, aut avarè aliis inferunt, ac proinde injuſtum, iidem prætextum tamen aliquem quærant honorificum, qui re ipsâ longè abeſt.* Crœſus Bellum intulerat Cyro, elatus certâ ſpe de evertendo Regno Perſarum, quod dolebat creſcere: metuebat enim, ne, ſi ſurgeret altius, vicina Regna opprimeret. Sed prætextus erat, quo ſimulabat juſtam Belli cauſam, nimirum, oportere ſe ulciſci injuriam Aſtyagi illatam, cui Regnum Cyrus ademerat, in captivitatem abducto Aſtyage, Crœſi affine. De Ludovico XI. Comminæus refert: is, cum adverſus Carolum Burgundum moveret bellum, & tamen vellet videri, ſe non ſine causâ bellum ſuſcipere, (quod tamen potiſſimum ex æmulatione & cupiditate vindictæ oriebatur) conventum egit apud Turrones: in eo exponit, quanta moliretur Carolus in res Galliæ, licet fide eſſet illi obſtrictus, & cogeretur ei ſubſidia in bellum ferre. Communi tandem conſenſu decernitur, Carolum citandum eſſe Lutetiam in Parlamentum. Sciebat etenim Rex (doloſis machinis plenus) quod Carolus ad hunc modum citatus, aut ſuperbè reſpondebit, aut quidpiam in contemptum Senatus admittet: unde major in ipſum belli ſuſcipiendi cauſa liquebit, ut & factum fuit.

27. *Subditi Belli movendi juſtam cauſam haud unquam habere poſſunt.* Conſtat id ex antedictis, quia in Subditis nullum Jus Majeſtatis eſt, ad quam ſolam Jus Belli & Pacis ſpectat. Major difficultas eſt, circa Status Imperii: ſed neque his bellum gerere, absque Imperatoris conſenſu, licitum eſt. Suos tamen Subditos, ſi refractarii ſunt, armis coërcere poſſe, negandum non eſt, pro modo ſcilicet & quantitate Jurisdictionis, quam in illos habent. In pacificatione Pragenſi cautum eſt, ut omnes exercitus Imperatoris & Statuum unum corpus ſint, atque uno nomine Imperii exercitus indigitentur. Multùm & graviter Majeſtatem lædunt illi Status, qui continuò armati excubant, aut contra alios Status, aut contra ipſum ſupremum Principem Statuum. Unde fermè nunquam in Germaniâ firma pax, ſed fomenta ad

arma continua, & externarum coronarum insidiæ, fabricantibus sibi acinacem, in cervicem propriam Germanis.

28. Nulla denique belli causa propius Justitiam attingit, quam ubi per Bellum Pax quæritur. Etiam victoriæ, ait divinus Plato, quandoque victoribus sunt funestæ: itaque bellum per se nunquam optandum, sed Pacis tantùm causa suscipiendum est. *Pax tuta cuivis bello, etiam justo, est præferenda; adeò, ut ne magnæ quidem alicujus prosperitatis inexpectato eventu recusari debeat oblata.* Arcanum hoc verè Christianum est: cui addo etiam hoc Politicum: *Bellum suscipiendum omninò nunquam est, nisi cum major emolumenti spes, quam damni metus ostenditur.* Si verò Ministri quidam Martem nimiùm spirare videantur, & Principem ad arma capessenda plus æquo sollicitant: optimum erit talium hominum frænum, si ipsimet belli incommoda & pericula subire cogantur. In deliberatione de bello suscipiendo non iis temerè credendum, qui hostium vires per contemptum diminuunt. Immo potius: *Quicquid ex æquitate & justitiâ faciendum est, licet sæpe non ex dignitate Principis fieri videatur, nihilominus faciendum est, ut bellum & calamitas imminens evitetur.* Sabaudiæ Duci, aliquando Henricum IV. Galliæ Regem tentanti, ut cum Hispano pacem, reassumto bello Mediolanensi, ad quod ille omnes vires offerebat, infringeret, ita respondit Rex: Verbum Regium plus mihi cordi est, quam coronæ meæ Mediolanum. Absit à me non offenso bellum. Nunquam belli justitia est, quo data fides violatur. In pace hostilitas, est defraudatio publicæ fidei.

29. Paucis complector totum caput. *Causa belli à belli principio differt. Est enim causa ratio, quæ in deliberationem de bello suscipiendo proponitur, facitque, ut bellum decernamus: Principium verò belli, est prima in bello jam decreto actio hostilis,* id est, *in hostem tentata. Utraque in bello justa esse debet, non solum causa, sed etiam actio.* Nam neque bona causa patrocinari valet malæ & injustæ actioni, neque optima actio, ex malâ causa & fine, justitiæ coronam meretur.

CAP.

Cap. V.
De Bello vicino.

1.

Omne vicinum bellum ſuſpectum. Etenim plerumque ſecum trahit etiam nolentes bellum vicinos, iisdemque malis involvit. Primùm leve diſſidium inter Corinthios & Corcyrenſes univerſam commovit Græciam. Rarus, cui licet vicinas calamitates absque proprio diſcrimine ſpectare. Multos fefellit calliditas, qui ad vicinorum calamitates deſides, belloque abſtinentes, tandem acerbiſſimas pœnas ſolvêre. Eſt quippe prudentiæ etiam pars, interdum cum aliis periclitari. Sanè vicino periclitante otiari minimè expedit. Res tua tunc agitur, paries cum proximus ardet.

2. Qui populi per ſe, & ſinguli ſunt vicino hoſte imbecilliores, peſſimè ſibi conſulunt, & manifeſtum exitium ſibi accerſunt, dum ſinguli & ſeorſim adverſus eum bella ſuſcipiunt & gerunt. Ubi omnes vincere poſſunt, vincentur ſinguli. Virtus unita fortior: Solus cum ceciderit, non habebit ſublevantem ſe. Diviſi Græci, periêre. Conjuncti Helvetiorum populi, audent obſiſtere cuique Europæ Potentiæ. Id verò curent præcipue Regnantes, ut vicinis prius ſuppetias ferant, quam à Potentioribus opprimantur; nam iis oppreſſis, poſteà facile ii ipſi in prædam cedunt, qui illos juvare neglexerunt. Serum conſilium, ſerum auxilium, eſt plerumque magnorum conatuum certum exilium. Hinc Germania ſæpe ſæpius Hungariam contra Turcas ære & milite ſublevat, quia judicat, illam ſuæ gentis eſſe propugnaculum, quo devicto, illa prima foret Turcarum opima præda. Ex more etiam Reges Hungariæ, præſertim Auſtriaci, prima depoſcunt à Germanis Principibus auxilia, quia norunt, cum ſua agitur, rem agi ſimul Germaniæ. In vicini populi, & qui facilè, & qui citò opem nobis ferre poſſunt, potiſſimum tutelam ſe committere oportet.

Magnum autem, ad conciliandam ſibi vicinorum Principum amicitiam, in bello momentum habet *Fama*, vel de infeſtandis communibus hoſtibus, vel de vindicandis iis, qui tyrannide opprimuntur, vel liberis populis à ſervitute indignâ liberandis. Sub quibus tamen multi prætextus latitant. Nam Tyrannus ſuorum ſubditorum cenſeri non debet, qui Rex eſt & Princeps eorum, unctus ſacro Chrismate, cuique ab illis jurata fides. Liberi non amplius populi ſunt, qui licet olim liberi fuiſſent, poſteà vel ſe ſponte ſubdiderunt, vel à legitimo Principe ex causâ perduellionis per ſe victi, vel ex uſurpatoris ſervitute erepti ſunt. Quod jure belli partum eſt, ad victorem ſpectat. Non aliam tunc illi libertatem habent, niſi qualem Victor concedit. Malè proinde ab externis Principibus, licet vicinis, ſubmiſſa ſunt rebellibus Hungaris ſubſidia, ſive in ære, ſive in milite. Non hæc auxilia cum bonâ ratione dici poſſunt, ſed attentata adverſus Regem hoſtilia: non auxiliares ſuppetiæ, ſed rebellium fomentationes & colorati tituli maximæ injuſtitiæ, tam contra Jus Gentium, quam divinum. Hiſce tamen non immoror.

3. Initiis Potentiæ vicinæ, nimium ac manifeſtè creſcentis, ſagaces Principes vicini ſat maturè occurrunt. Quia omnis nimia ex vicino Potentia parit invidiam: hæc machinationes & obices: tandem comminiſcitur bellorum cauſas, quæ, cùm ad invidiæ vitium ſpectant, colorantur aliis honeſtioribus prætextibus, ſi non invidia, ſaltem æmulatio quædam eſt, nimium creſcentis Principis potentiam maturè ſiſtere & reprimere. Romani Carthaginenſium potentiæ obſtiterunt, Mammertinis ſuccurrentes. Creſcunt autem Principes bifariè: Primo: in ſuo Principatu per exactam œconomiam, applicationem, parſimoniam, nuptias, induſtriam, ut olim Albertus & Philippus in Auſtria & Hiſpania, Henricus IV. in Galliâ, & modò Medicæi, Archi-Principes in Hætruria. Secundò: in alieno ſolo uſurpando, invadendo, infeſtando alienas ditiones & Regna, ut nuper acerbè patiebatur Europa à Galliâ. Primum augmentum conſiſtit in benedictione divinâ, & virtute ſpeciali Regnantium. Alterum in Tyranni-

de,

de, uſurpatione, & malignis prætextibus; juxta vetus diverbium: Si Jus violandum eſt, Regnandi gratia violandum eſt. Primis ſe opponere, aut obſiſtere, ſicut nulla permittit ratio, nullum jus, nulla æquitas; ita ſecundorum iniquos conatus infringere, reprimere, avertere, ipſa exigit ſupremæ Poteſtatis ratio, cui cœlitùs datus eſt gladius in vindictam malefactorum. Sic modo ob uſurpationem Monarchiæ Hiſpanicæ in fœdus coaluit ferme omnis Europa contra Galliam.

4. Magna Imperia non niſi ex vicinorum ruinis primùm crevêre, quibus in ſuam poteſtatem ſubactis, aliorum populorum, etiam remotiorum ruinæ ſequuntur, & ab iisdem ad incitas redactis conflata exſurgunt. Innumera erant olim Regna, jam facile numerari poſſunt. Regna nimirum ex Regnis, Imperia ex Imperiis conflata. Gallia quot continet Provincias, tot Regna: Hiſpaniæ Corona ſex & decem coronat Regna: Anglia Tri-Regno utitur: paucis Regibus jam tota ſubjicitur Europa, pars mundi populoſiſſima. Veſtrâ id vicini Principes factum olim eſt culpâ, otio & conniventiâ. Proinde & vicini, & remotiores populi debent conjunctis viribus emergenti ex uſurpatione alieni, cuicunque potentiæ, & futuro terrori metam figere, & audentius contraire. Priore ævo cum primum ſe armatus movit Hiſpanus; illicò tota Europa armis excanduit: ævo autem noſtro ad Franciæ ſub Ludovico XIV. immodicos progreſſus omnes proſiliunt ad arma Europæ Principes, metu nunc & olim juſto, ne tandem una Potentia in omnes arbitretur, vel omnes planè opprimat. Novus à potente Principe belli apparatus omnibus vicinis umbroſus & ſuſpectus ſit. Ingens illa claſſis Philippi II. totam Europam perplexam tenuit, quia ignoravit, quò detinaretur. Quod autem vicini Principes non capiebant, Auſtrales venti diſſiparunt ad litus jam fermè Angliæ, in cujus damna excurrebat.

5. Inter vicinos Reges ſiti populi liberi, & iis imbecilliores, duo ſe tuendi media habeant: vel enim utrorumque Majeſtatem, quantum in ſe eſt, colant: vel ſe mutuo (ſepoſitis etiam in tem-

pus inter se dissidiis) conjungant, obfirmentque sua vicinis belligerantibus proxima munimenta, provideantque annonæ, militiæ, ne à victore imparati obruantur. Sæpe enim vicinos Principes communis calamitas conciliat in sui mutuum tutamen, ut Helvetii sæpenumero cum fructu fecêre, privatarum ad tempus injuriarum obliti, in communem hostem æquali ferociâ ruentes. Quæ Provinciæ, vel populi, aut Principes inter vicina & magna Imperia intermedii jacent, multis utrinque injuriis petuntur, & vicinorum direptionibus obnoxii sunt: ut vidimus in bello Belgico; quantum ibi passæ sunt Provinciæ Clivienses, Juliacenses, Colonienses, Leodienses, Monasterienses, quæ intermediæ sunt inter Batavos & Hispanos Belgas? Utrinque tulêre cladem disjunctæ, conjunctæ terrori fuêre.

6. Vicinis inter se bello decertantibus potentior vicinus sese interponens, facilè inter eos pacem & fœdus conciliat, fuit hæc quidem mens Polybii. In contrarium verò suffragantur acutiores Statistæ, & summè vetant, ne potentiorem inter se tolerent armatum ex quocunque fine, ac ne quidem talem facilè in arbitrum admittant: quia ejusmodi hospites adhærent jam uni, jam alteri, vel eos invicem concitant, ut propriis armis enervati, tandem cedant in prædam potentiori. Alcibiades Tissapherni suasit, ut si vicinos suos superare gestiat, vel eorum potentiam metuat; discordias inter eos ferat, & fomentet, inferiori adversus superiorem assistat; utrumque sic debilitabit, ut eos amplius metuere non opus, sed vincere fas erit. Ottomanni tunc nobilissimâ Europæ parte potiti, cum Guelphi & Gibellini Cæsareæ ac Pontificiæ factionis excogitata nomina, universam Italiam discinderent. Denique magna Imperia vicinis populis & Principibus sunt semper metuenda; nec enim facile antea conquiescent, quam cum omnia domuerint. Vocare autem ea in societatem & auxilium plane exitiale esse, dixit Agesilaus in concilio Græcorum.

CAP.

CAP. VI.

De Bello ſociali.

1.

BElla inchoantibus, & ſocietates veteres recognoſcendæ, ac novæ comparandæ, ſed non temerè; cautè magis, & ad omnes poſſibiles ſe reflectendo eventus. Ex ſociorum quippe, ſive fide, ſive ſtrenuitate, ſive ſegnitie & perfidiâ ſtant res noſtræ. Socii, quorum opera ſtrenua in bello fuit, aut non accerſendi nobiſcum, aut temerè non dimittendi. Inde enim ſuſpiciones graves, & ſimultates, ac poſtea bella naſcuntur. Ægypti Princeps acciverat Saladinum Tartarum, ut Chriſtianos de Syriâ dejiceret: disjecit; ſed ipſe Imperium occupavit, Ægyptios exarmavit, & Tartaricam militiam invexit, relicto poſteris florentiſſimo Imperio, quod tandem Selymus, Turcarum Imperator, ſuis pomœriis adjecit. Societas ea temeraria eſt & periculoſa, quæ ſpretis vicinis, longinquorum populorum amicitiam quærit, & præfert, vel peregrinorum & ignotorum fidei, ſe committit. Ille ſocius extra omnem perfidiæ ſuſpicionem eſt, qui quamvis potentior, tamen aliis ſociis oppida & præſidia, à ſe capta, reſtituit & non detinet, aut uſurpat. Contra magni & potentes Principes facile in ſocietatem populos afflictos admittere contendunt; ut ex liberis aut faciant ſervos, vel ſaltem ſibi obnoxios clientes.

2. Bellum moturi, in ſocietatem adſciſcant, vel ſolicitent omnes, qui eorum ſunt hoſtes, aut eos oderunt, in quos bellum paratur. Illi etiam potiſſimum adſciſcendi, qui armis, viris & pecuniâ valent, ſuntque bellis exercitati, eâdemque formâ Regiminis & Politiæ utuntur. Optimè ſibi conſulunt tenuiores Principes & Reſpublicæ, à potentioribus laceſſitæ, quæ prudenter & propoſitâ periculi magnitudine & vicinitate pelliciunt alias reſpublicas, aut Principes in ſuam ſocietatem, eâ tamen ratione & conditione, ut nullam tenuioribus ſervitutem imponant, aut damnum inferant.

3. So-

3. Socios plus æquo petentes ſuſpectos habe, volent illi aliquando leoninam diviſionem, niſi præoccupes. Externi Principes, qui ſocietatem belli petunt, ut plurimum jactant ſuas vires, opes, multaque pollicentur falsò: Ne credas facile iis, niſi re exploratâ & undequaque tutâ. Calliditas illa aſt usque eſt non modicus, ſi Princeps vicinus duorum vicinorum pacem conciliat, ac propterea ſe interponit; ut utrorumque injurias & fines, præſidio in utrorumque finibus conſtituto, cum ab eo petitur, ulciſci valeat.

4. Sociis laborantibus, quam primum ferendum eſt auxilium, ne deſpondeant animo, aut de fide policitâ dubitent. Qui totius ſocietatis Dux non ſuccurrit per ignaviam parti ſociorum, vel oppreſſæ, vel in magna victoriæ ſpe conſtitutæ, ſed illius ſpem fraudat, eſt diducendæ ſolvendæque illius ſocietatis occaſio maxima, ut An. 1705. in Imperio inter Confœderatos fermè contigiſſe vidimus. Superſedeo rei notoriæ. Socii quippe, quibus in tempore promiſſum non defertur auxilium, facilè ad hoſtes deficiunt: ſic Faliſci deſcivêre à Romanis ad Hætruſcos. Illi, quorum maxime intereſt, ſi dimicare & pericula ſubire recuſant, occaſionem ſociis ad fugam, vel defectionem, & juſtam, & facilem præbent. Denique in communi ſocietate, quæ pars ob non latum ſibi auxilium, & inſtans tamen periculum, nihil in commune amplius contribuit, ſed in unius ſui cauſam & defenſionem ſua tributa reſervat, peſſimè tandem, & ſibi ipſi, & toti ſocietati conſulit. Antwerpienſes hoc carò luêre: ſolebant illi cum ſociis Hollandiæ Statibus ad militare ærarium contribuere ſummam congruentem, ſed poſteà renuebant per irriſum, dicentes: ſe caligas ſuas tam firmiter conſtrinxiſſe, ut eas diſſolvere Hiſpanus nunquam poſſet. Quibus repoſuerunt Hollandi, caverent, ne carnes caligis incluſæ tandem putreſcant. Quod deinceps factum Duce Parmenſi, tunc arctè eos obſidente, ut deſperato omni commeatu, aut putreſcere, aut dedere ſe debuerint.

5. Magnas clades magna ſociorum defectio ſequi ſolet: commoda enim quique ſua ſequuntur, nec facile firmantur, ubi emolu-

emolumentum non ſperant. Inter plures diverſos Principes tamdiù durat, quamdiù ſpes eſt, aliam ab aliâ ſubſidium acceptu-rum eſſe. Ubi verò talis ſpes deficit, illicò etiam deficit fides, & quisque ſibi, ſuisque rebus conſulit. Sic priore ævo Hollandi in bello ſociali cum Cæſare & Hiſpanis adverſus Galliam primi à fœdere deſciverunt, initâ cum Gallo particulari pacificatione. Interim honeſtè & jure recedunt à ſocietate ii, quibus pacta ab aliâ parte non ſunt ſervata, ſed aut priùs violata, aut, ut violarentur, manifeſtè tentata. Eodem modo citra læſionem fidei recedere fas erit ab iis, qui communem libertatem aut cauſam opprimere conantur, aut communi Domino, qualis Cæſar in Imperio eſt, refractarii ſunt. Sic in bello Gallo-Battavico priore ſæculo, poſtquam Gallus hoſtiliter invaſiſſet territorium Imperii, omnes fermè ejus fœderati ſocii, qualis erat Palatinus, Brandeburgicus, Bavarus, &c. ab ipſo deſciverunt, indignum rati, communem Imperii libertatem, Cæſarisque dignitatem, amicitiæ Gallorum poſtponere.

6. Magnum eſt ad potentiæ famam conſervandam, & ſocios belli in officio continendos, momentum, *non abduci Rempublicam per prætextus à propoſito, & ſemel ſuſcepto negotio, licet aliunde prematur.* Alterum: *Felix rerum incertarum initium, ſemper belli ſocios ad majora audenda invitat.* Tertio: *Ubi inter armorum ſocios eadem eſt cauſa, eadem periclitandi ratio, & ſpes commodorum eadem, vix verendum eſt, ut à ſocietate deficiant.* Quarto: *Majori prædæ parte donandi ſunt ſocii, hybernis melioribus providendi, optio illis in acie danda:* ejusmodi beneficia ſocios belli fovent & conſervant; ſi ſecus, diſſolvunt. Præ cæteris autem omnibus hoc cavendum, ne per faſtum noſtrum, vel negligentiam, vel æmulationem, vel perfidiam ſociis, & præſertim fidis & ſtrenuis, paciſcendi cum hoſte occaſionem præbeamus: vel propter novos commodioresque ſocios, veteres ſocios perfidè violemus aut relinquamus. Quam cruentis bellis ſe Romani implicuerunt, cum illi veteres ſocios Samnites propter Campanos deſeruiſſent, teſtatur abundè Livius.

Denique illos Principes aut Respublicas præstabit in societatem belli vocare, & hostibus eripere ; qui amici plurimum in bello prodesse, vel inimici nocere possunt. Hæc ferme de bello sociali.

CAP. VII.

De Bello Civili sive interno.

1.

BEllum civile deterius est omni bello externo : Seditiones & Rebelliones deterrimum. Imò infelix bellum, paci, quæ seditionem domi movet, præferendum. Si omnia seditio desolat, an pacem appellamus, ubi solitudo est ? Misera pax, vel bello benè mutatur. Nam *bellum tutius suspectâ pace*, dixit Tacitus. Gentis unius in seipsam frequentes seditiones, & discordiæ ipsius gloriam, incrementum & res præclarè gestas corrumpunt, & hostibus delendam exponunt. Effato hoc divino: *Divisum in se Regnum, desolabitur.*

2. Seditione semel iritati, ac mutuis injuriis lacessiti cives, vix, ac ne vix quidem, priùs conquiescunt, *quam parte unâ, ab alterâ prorsus exstinctâ*. Ex intestino bello rubræ & albæ rosæ, id est, Jorkiæ & Lancastriæ familiæ in Angliâ, non amplius semestri spatio ter amissum, ac recuperatum Regnum fuit.

Quantum in Hætruriâ sanguinis effusum ; quod per factiones Stroziorum & Medicæorum collapsæ nobilissimæ Florentinorum familiæ, donec una & sola redderetur factio Medicæa. Quoties totam Italiam commoverunt Gibellinorum & Guelforum factiones, concitatis Pontificibus adversus Imperatores & Imperatoribus contra Pontifices. Quoties Religionem armarunt propter Imperii æmulationem ; & Imperium vocarunt in correctionem Religionis. Sic Christianus Orbis in factiones divisus sibi fuit scandalo, Barbaris opprobrio, hostibus solatio ; Ecclesiæ & Imperio exitio.

3. Sa-

3. Sapientes Principes antevertunt bella civilia *Juſtitiâ & Providentia*: Et ne populus in ſeditionem erumpat, præſertim *abundantiâ* rerum, ad victum & amictum ſpectantium; Populus Iſraëliticus licet immani ſervitute preſſus, attamen propter rerum abundantiam & Ægypti fertilitatem proſtituere non curabat propriam libertatem ; ubi aliàs in deſerto ob ſolum defectum aquæ confeſtim ſeditione commovebatur. Satur populus quieſcit magis, quam tumultuatur. In quovis igitur Reipublicæ ſtatu eſt ſemper inopiæ publicæ cavendum, ne plebs eâ laboret. Nam laborans facilè ſeditionem movet, eſtque intolerabilis. Nihil magis requirit à Principe vulgus, quam panem in piſtrino & frumentum in foro. Tiberius, ut factiones, murmura, & tumultum, qui jam ex caritate annonæ cœperat, in tempore ſedaret ; ſtatuit frumenti pretium, binosque numos, loco emptoris, ſe additurum negotiatoribus in ſingulos modios. Ceres & Bacchus duo Numina præ omnibus adorantur à vulgo, & hæc coli vult non tolli: nec faciliùs in quemquam iram concipit, quam qui hæc Nomina avaro & parco thure profumat. Apud Italos in diverbium venit: *Panis in foro, juſtitia in tribunali, ſecuritas ubique, boni Imperii ſigna ſunt.*

Coſmus Medicæus Bentivolium ad Bononienſem Principatum jamjam properantem, hoc præcepto inſtruxit: *Annonæ curam ſedulò ageret: omnibus nullo diſcrimine jus diceret: ab alienis uxoribus abſtineret.* His tria contraria infallibilia incitamenta ſunt odii popularis, & ex odio longo, ſeditionis univerſalis. Impoſſibile eſt, non amari publicè beneficum. Leones & urſi ac alia fera animantia, ut conſtat; & de crocodilis teſtatur Nierenbergius, cicurantur paſtu, obediunt, amantque ſe paſcentem, ac poſt longum intervallum cognoſcunt benefactorem, tuentur adverſus aliarum ferarum inſultus, cibum procurant, etiam ſuo lacte nutriunt, lambunt vulnera, & ejusmodi plura, quæ hiſtoricâ veritate accepimus. Ita vulgus, licet Tacito ſit ſævum, inſidiorum inconſtans ; nunquam tamen inſultat Principi, Rempublicam ita ordinanti, ut pretia rerum

egenos non gravent, nec labores exſuperent vires ; nec tributa facultates ; nec vectigalia commerciorum lucra ; ſed ſuus cuique integer maneat panis quotidianus. Petrus Æmilius refert de Carolo Flandriæ Comite, quod è proprio fiſco, ſcienter egenos alebat, prole obrutos ſublevabat, ſtipem ſuâ manu miſeris erogabat. Publicanorum & fœneratorum, qui annonam flagellant, & clauſis horreis ſupprimunt, nequitiam reprimebat, apertis conditoriis, triticoque in egentes diſtributo; quâ piâ providentiâ apud ſuos ſubditos tantùm meruit, ut poſt ejus lugubre fatum, cadaver Caroli, tanquam ſanctas reliquias venerarentur, oſculaque imprimerent, & quod unguium capillorumque habere poterant, privata religione aſſervarent. Denique primi Imperatores, Auguſtus & Veſpaſianus, Severus & Antoninus, Aurelianus & Coriolanus, parabant & firmabant ſibi Imperium largitionibus & beneficiis in populum collatis: populares annonâ providebant, milites ſtipendiis cumulabant, omnes oblectamentis, ludis, ſpectaculis reficiebant, & atrabilarem illum humorem, in ſeditiones & machinationes pronum, publicâ hilaritate attemperabant. Auguſtus Imperator (quo nemo quietiùs, nemo longiùs rexit) ipſemet publicis ludis & ſpectaculis intereſſe ſolitus, palàm fecit, quantam curam populi recreandi habeat. Duo mala premunt Rempublicam, vel cum Imperans exoſum, & tetricum, ad quem nullus additus, apud quem nulla popularitas eſt, ſuis ſe oſtendit ſubditis, vel cum ipſi ſubditi ſe ſuo Regnanti exoſos reddunt. Utrumque malum, ſi ſe invicem concutit, veluti ſilex ſilicem, illicò erumpet flamma ſeditionis: an populi, an Principis magis causâ? norûnt Superi. Plutarchus magno encomio extollit Annibalem, non à tot cumulatis ſibi tropeis, non à toties devictis hoſtibus, non ab expugnatis Urbibus, non incuſſo Romanæ Reipublicæ, quæ aliàs terror Orbis fuit, metu: ſed quia tanta autoritate & prudentiâ pollebat, ut ejus exercitus ex colluvie gentium Hiſpanorum, Afrorum, Gallorum commixtus, nullâ unquam vel minimâ ſeditione aut diſſidio commoveretur. Prima laus Regnantis eſt, ita noſſe continere multitudi-

tudinem, ut nec inter ſe diſſidere nec contra Principem audeat. Ageſilaus (Ectypon illud Imperantium) in eo collocabat Regiam Providentiam, ut nondum aliorum meditatos conatus præmeditari, & à longè quo velit, flectere, aut ſuſpendere calleat.

4. Verum rebellionis ac ſeditionis, haud unquam juſtam cauſam habere poſſunt ſubditi : quia nunquam licitum eſt in Majeſtatem ſummam inſurgere : qui enim poteſtati reſiſtit, divini ordinationi reſiſtit, cum omnis poteſtas à DEO ſit. Neque etiam ipſi facilè rebelles apertè colluctantur adverſus ſuos Imperantes ; ſed communiter alios colores quærunt & prætextus obvertant, quibus cooperiunt malignum ſuum ſpiritum. Audiamus Gallos apud Thuanum : Nunquam ſe de conjuratione in Regem aut ſuos cogitaſſe, & male ſe millies mori, quam ut quidquam tale in animum inducerent. Eò ſe conſilio Meldas veniſſe, ut quam demiſsè poſſent Regem ſupplices orarent, revocaret ſententiam inſtigantibus inimicis in ipſos, & omnes, qui de Religione emendandâ proteſtantur, latam & executioni proximam, contra quos ſolos, inimicos nimirum ſuos, arma ſumpſerint. Eadem proteſtatio fuit ſub Philippo II. Belgis, eadem ſub Leopoldo I. Hungaris, eadem Ferdinando Bohœmis, qui tamen omnes, omnium ſcriptorum calculo rebelles fuêre. Adeò Regiæ Poteſtatis ſanctum, verendumque nomen eſt, ut etiam à malis hominibus non niſi per indirectum peti queat. Lib. 42.

5. Verum prætextus iſte, ſumma iniquitas, vafrities, & inpoſtura eſt, hominum plus omni aſtu deſpumatorum. Ridiculum planè eſt, credere, Miniſtros peti, ubi plerumque cataſtrophen finiunt Reges. In Angliam provoco lectorem : Ibi quam animo coquebant in Regem, effundebant iram in miniſtros; mox deinceps facti perduelles Regi. Accuſabant enim Regis Miniſtros, intereà materia accuſationis ad Regem ſpectabat, quia tributa & portoria, (quæ ad jura Majeſtatis referunt omnes Politici) arguebant & dicebant Angli repugnare libertati populi & Parlamenti. Res omninò ſpecioſa populo, & plebi grata, cui ſemper durum eſt dare, accipere nunquam. Intereà peſtilens

& contagioſus iſte humor *de non dando Cæſari, quod ex jure Majeſtatis eſt Cæſaris*, ita invaſit majora & minora membra Regni, ut Regi non expediverit amplius ſe committere furori populari, ſed Urbe capitali excedere libuerit. Exinde res in apertum bellum non contra Miniſtros, ſed contra Regem devoluta, totam Angliam proſcidit in factiones eâ fatalitate, ut interempto ſecuri parricidali Rege, nihil aut parùm in Miniſtros actum: Cromwello turpi infamique homine in ſolium aſſumpto, nihil penitus Angliæ, libertatis acceſſerit, ſed Cromwelli abſolutum, quod Regis legitimi, limitatum Angli nolebant, Imperium ferre debuerint. Sic improbiſſimi homines Miniſtros primùm petunt, mox libertatem & ſpecioſa nomina prætexuntur tandem, quo collimabant, Regis caput involant. Sanè omnis Rebellio, & in Regium caput ex quacunque cauſa etiam honeſtatis aut æquitatis coloratâ, videtur tam deteſtabilis, & abominanda, ut ejus Autor omnem imaginariam & poſſibilem injuriam, damnum, calamitatemque potiùs ferre deberet, quam tam abominandum conamen, (qualis ſeditio aut Rebellio eſt, DEO hominibusque inviſa) in ſe ſuccipere. Barbari abhorrent proditores, & tota humana natura reſiſtit perfidiæ. Quis bonum unquam dixit Proditorem? quis felicem vidit perduellem? cui unquam ex voto ſincerisque ſuffragiis parentatum eſt, qui Regem ſuum prodidit, fidem juratam corrupit, honoremque ſuum ob vile pretium calcavit? Natura, ait Empedocles, non utitur alio medio in deſtructionem Sublunarium, quam ſeditione inter ſe diſſidentium elementorum. Thucydides bellum civile & ſeditionem in Regnantes, ait malorum omnium eſſe Encyclopediam veram & realem. Hæc enim tollit DEO cultum, homini Religionem, & obſequium illi negat, cui debet ex jure divino. Jus naturæ confundit, quod vetat, ne inferiora inſultent ſupernis, ſed cuncta ſuo gradu & ordine conſiſtant. Jus gentium convellit, quo Ordinem Imperantium & Obſequentium ſtatuit, corrumpit mores, tollit leges, contemnit juſtitiam, æquitatem non reſpicit, cæca ruit in omne inſolentiæ genus, atque vitia, cru-

crudelitatemque in fortitudinem & virtutum nomina magno errore commutat: humanitatem agnatam homini efferat in belluinos motus: occasionem præbet antiquis & horribilibus ultionibus: non recordatur amicitiæ, non parcit cognato sanguini: ab eâ longo fluxu derivant omnia Reipublicæ incommoda, violentiæ, rapinæ, confiscationes, incendia, expilationes, proscriptiones, homicidia, fugæ, & præcipuè angariæ & extorsiones, quia utraque pars se invicem collidentium, nervum belli à miseris subditis extorquet. Horum malorum præsagiens metus ita Davidem Regem commovit, ut potiùs elegerit sibi in flagellum patratæ culpæ pestem ipsam, quam civile bellum, salubrius existimans, incidere in manus Domini, quam in ejusmodi furias seditiosas. Pithagoras tria detestabilissima mala enumerat: *Pestem corporum, ignorantiam animi, & seditionem populi.* Ultimum causat duo prima, & alia quæque mala. Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, cum Athenienses viciset, illachrymatus est patriæ: O misera Græcia! quæ te ipsam consumis intestino odio, & vires tuas, quibus par fores omnibus Barbaris, in tuam necem convertis jam prostituta gentibus, sibi ingrata. Arcanum erat Thebanorum consilium ad Mardonium. *Quos populos conjunctos nequis vincere, factionibus excitatis inter se committe.* Hoc Arcanum fuit olim Romanorum, posteà Turcarum, aliquando Hispanorum, nunc Gallorum. Esaias cum vaticinaretur præcipitium Regni Judaici, causam prædixit: *interna Judæorum dissidia.* Ex intestino namque duorum fratrum bello Hircani, & Aristobuli, ut testatur Josephus, devolutum est Regnum Judææ in Romanorum potestatem. Hierosolymam collapsam luget idem Historicus ob dissidia Joannis, Simonis, & Eleazari. Æmulatione & divisione duorum Imperatorum, qui se invicem bello attenuabant, utrumque Turca oppressit, sibique addixit Constantinopolitanum, & labefactavit valde Romanum Imperium. Ipsum Bizantium tunc cecidit, cum seditionibus omnis Italia redundabat, hinc Guelphis, illinc Gibellini omnia susque deque commoventibus. In summâ: *Intestina bella manifestum signum sunt, brevi dissolvendi Imperii.*

6. Præ-

6. Præ omnibus vero ſeditionum cauſæ inveſtigandæ. Primam, eamque univerſalem, ex Paradiſo, in principio ſtatim ipſius creati mundi adduco: Ubi primus noſter Monarcha, cum prævaricatus fuiſſet præceptum ſui Creatoris per eſum pomi ab Evâ propinati, rebellionem illicò ſenſit membrorum ſuorum ferrique hoſtiliter carnem in ſpiritum, & hunc adverſus carnem moveri. Pœna contemptæ legis divinæ hæc fuit, & in multos alios deinceps malos Principes relapſa. Id in Saule teſtantur ſacræ literæ, & paſſim hiſtoriarum monumenta de aliis impiis, Deoque refractariis Regibus & Imperantibus, qui ob impietatem, ingratitudinem, legisque prævaricationem abominabiles in conſpectu DEI facti; juſto judicio per ſeditiones, fraterna odia, ac ſubditorum rebellium conatus de ſolio præcipitati, Regnis exuti, privati prolibus & amicis; multoties etiam vita extincti. Æquum quippe eſt rebelles DEO Principes, infeſtosque Religioni, ex pœnâ Talionis per ipſas etiam rebelliones & ſeditiones ſuorummet ſubditorum plecti, multarique.

7. Aliæ cauſæ autem, ſicut in omnibus, ita etiam in ſeditionibus, & bellis civilibus, ac rebellionibus reducuntur ad quatuor. Efficientem, materialem, formalem, & finalem. Efficiens duplex eſt, proxima & remota. Proxima ſunt ipſi Autores ſeditionum. Remota, ſunt cauſæ particulares, quæ populum in ſeditionem movent, & provocant. Per materialem cauſam intellige eos, contra quos ſuſcitatur ſeditio, quales ſunt Reges, Principes, Respublicæ, pars civitatis aut regni, contra alteram, vel Civitas contra Civitatem, Status contra Statum, ut Sæcularis contra Eccleſiaſticum, Equeſtris contra Senatorium, populus contra nobilitatem & vice versâ &c. Familiæ, ut Jorkiana & Lancaſtria &c. Factiones, ut Guelpha & Gibellina &c. Formalem ajo ipſum ſeditioſum motum, ut ſublevatio, conjuratio, armorum inſultatio, conflictus, deprædatio, & totum, quod bellum civile hoſtilitatis ſecum fert. Finali Ariſtoteles attribuit quatuor fines: Utilitatem & honorem, damnum & infamiam, ad utilitatem refert, quidquid bello civili acquiri obtineri-

nerique poteſt, ut opes, poſſeſſiones &c. Sub honore includit Magiſtratus, officia publica, Præfecturas, ob quas primum æmulationes, poſteà ſeditiones & planè bella civilia oriuntur &c. Per damnum intelligit communem inopiam; per angarias & tributa aliasque calamitates cauſatum. Sub injuria comprehendit contemptum ſubditorum, raptum matronarum, bene merentium oblivionem &c. Coincidit finalis cauſa cum efficiente: Eadem enim efficere & provocare poſſunt ſeditionem, eademque eſſe, propter quam conjuratur, & ſeditio ſuſcipitur. Alias cauſas particulares enumerant Politici, quando à publico murmure populus, non adeptâ ſatisfactione à Principe, in ſeditionem apertam prolabitur, ſuntque: Avaritia regnantis, ambitio particularium, nimiæ opes privatorum, aut ipſa eorundem inopia, contemptus & injuriæ graves in ſubditos à Principe commiſſæ, neglectus juſtitiæ tam commutativæ, quam diſtributivæ, luxus, otium & delictorum publicorum impunitas, Neglectus curandæ Reipublicæ, oppreſſio ejusdem libertatis, Religionis, legumque fundamentalium. Quæ omnes ſive univerſim, ſive particulatim acceptæ cauſæ ſufficiunt tamen, nec juſtificari indè poſſunt ſubditi, ad reſiſtendum ſeditiosè Poteſtati ſummæ, quæ non populo ſive ſubditis, ſed Imperantibus tantum à DEO communicata eſt. Intereà etiam verum eſt, plerumque præfatas omnes cauſas, ad duos principales fines, (in quibus nos etiam cauſam finalem unius cujuscunque ſeditionis, bellique civilis, & interni reponimus,) referri, nimirum ad *Dominandi libidinem*, aut ad *libertatis evincendæ conatum*. Reliquæ accidentales ſunt, & meri prætextus; facilè diluendi, niſi primi illi fines obſiſtant, qui licet in *manifeſtis publicis* nequidem tangentur, infixi tamen ſeditioſorum animis ita latitant, ut ad illos veluti lapidem Lydium omnes actiones ſeditioſas expendant, eòque dirigant, nullâ aliâ contenti cynoſurâ, quam Dominationis aut libertatis.

8 Belgium eorum, quæ dixi, ſpecimen exhibet. Nam multi multifarias illius longævæ & terribilis contra Philippum II.

legitimum ſuum Principem rebellionis, civilisque belli cauſas adducunt, ſed prætextus & colorati tantum tituli erant; re autem ipsâ tam in fœderatis Provinciis *aucupatio libertatis*, quam in Orangio Principe *Dominationis æſtus* palpabatur.

9. Primam cauſam allegabant *retentionem militis Hiſpani* in Provinciis, ſed planè caducam: ſiquidem paulò poſt annum, quàm Philippus Belgio in Hiſpanias abceſſit; Hiſpanæ indè legiones transmigrarunt; ſicque à Rege ſatisfactum Belgis; ſeditione tamen illorum non ſopitâ.

10. Alteram prætexebant *auctum Epiſcoporum numerum*, qui in Abbatum, quos mori contingeret, locum ſufficerentur. Verum quid hoc ad ſubditos? cur licebit illis ideo Domino ſuo obniti, & palam diſſentire? an fas illis pietatem ſui Principi carpere aut impedire? Quippe nihil decedebat indè bonis Laicorum, quia illa, in quæ ſufficiebantur Epiſcopi aliundè Abbatum & Eccleſiaſtica erant; ac reſiduum dotis ſacræ, Rex ex proprio conſtituebat. Verum hoc ipſum etiam magis meditatum, quam à Rege in opus redactum fuit: In Brabantiâ enim nihil penitus immutatum, & in cæteris Provinciis pauculi Antiſtites ſuffecti: ſeditio autem propterea nequaquam extincta.

11. Tertiam ſuggerebant Rebellionis cauſam *ſacrum inquiſitionis Tribunal.* Quod quia novum & inſolitum, ſtante Principis juramento, quo in ſuâ inauguratione ſtatibus promittit, ſe non impoſiturum ſuis populis novas judiciorum formas, introduci nequibat. Equidem non diffiteor, fuiſſe hanc deprecationis aliquam, ſed nullatenus excitandi ſeditioſi tumultus cauſam. Cum conſtet præfatum Tribunal, non ſolum poſteà ſupremi Senatus decreto, ſed etiam Regis permiſſione ſublatum fuiſſe, verum ſeditionem ex hâc Regis conniventiâ refrixiſſe, aut imminutam fuiſſe non lego.

12. Quartam obtendebant cauſam *nimiam Autoritatem Cardinalis Granvellani.* Undè Orangii, Procerumque Belgii in eum odia, invidia, æmulatio, publica murmura, & tandem ſcommata.

mata. Aſt ſola æmulatio, odiumque conceptum in Miniſtrum non tam cauſa efficax eſt, ut Rebellionem indè excitet, & in civile planè bellum deflagret, niſi majores habeat fines vel uſurpandæ dominationis, vel excutiendæ ſervitutis. Verum in hoc etiam perſuaſus Rex, ut ex Belgio evocaret Granvellanum, & non quidem ad ſe, quod unicè deſiderabat, ſed in Burgundiam velut exulè dimitteret; exiſtimabat equidem bonus Princeps ſe exindè omnem umbram à ſuis ſubditis avulſarum : non tamen eorum malignum animum à ſe avulſit, perſiſtente nihilominus poſt abſceſſum Granvellani Belgarum ſeditione. Non erant hæc remedia, ſed fomenta magis rebellionis, ut videlicet proſcriptis è Belgio Regi fidis Miniſtris, felicius ab illo diſſentirent Provinciæ. Ne dicam de ſervitute minùs æquâ Ducis Albani ? quia etiam hunc, ut ſeditioſos placaret, avocavit Rex contra omnium Politicorum mentem dicentium : aut non debuiſſet ille mitti in Belgium, aut miſſus non avocari. At ſi Ariſtoteli credimus: qui cauſam tollit ſeditionis, hanc ipſam ſuſtuliſſe videri ; conſequenter Belgis aliæ ſubeſſe cauſæ debuerunt rebellionis, quam, quas illi prætexebant ; cum Philippus Rex omnes ultrò ſubmoverit, ut tandem modum poneret æſtuenti ſeditioni. Quod cum neutiquam factum, *unicam* jure allego, eamque ferme omnibus ſeditioſis communem, Orangii videlicet *immodicam dominandi libidinem*, quam animo profundè obtegebat, & ne ut illicita, ut ſcandaloſa, & apud gentes etiam deteſtandor conſpiceretur ; ſuggerebat ille confœderatis ſuis Belgis alias cauſas, queis concitabat populum in Regis odium perenne, indè occultos ſuos fines promoturus. Et quia ſupra libertatem populo nihil magis acceptum, hanc ſuadebat confœderatis Provinciis, quarum dominium jam animo coquebat. Id candidè perſcripſit Regi Margarita Gubernatrix Belgii. *Orangii conſilium eſſe, inter eos tumultus Belgii dominatum invadere, ac Socios, inter quos id convenerat, in partem adſciſcere.* Ita illa. Et hoc affectatæ Dominationis virus, quod prius occulebat animo, palàm coram Ordinibus Belgii in Antwerpienſi congreſſu evo-

muit ; ubi *Dominatum Hiſpanorum intolerandum ; incidendum aliquando vinculum fidei cum hujusmodi Rege, qui obedientiam exigat à populis, ut à ſuis, ejuratâque illius dominatione Regem deponendum*, nefario & indigno ore aſſeverabat. Satis etiam mentem ſuam aperuit in Aulâ Margaritæ Gubernatricis, ubi non verebatur publicè loqui : *Nolle ſe oppidis fortunisque ſuis per cujusquam injuriam ſpoliari : & Flandriæ quidem commodè potituros finitimos Gallos : Arteſiæ vero Hannoniæque jam pridem eosdem ſeſe profiteri candidatos : reliquis autem Provinciis Dominos non defuturos :* & tamen illas ipſas Provincias *libertati aſſerendas* ſpe continuâ lactabat, cum intereà ille *dominatum illarum meditaretur*. Sic extremè rebellis Orangius, Regi rapiebat Principatum, & Provincias fallebat libertatis prætextu. Quod totum facto tunc complevit, dum ex Franciâ Ducem Alenconium evocatum, Brabantiæ Principem, primus ſalutavit, & ab ipſo ſibi Hollandiam & Zelandiam dono impetravit.

Strada dec. 1. l. 5.

Verumtamen filum hoc jam nimis protractum ſeditionis extremæ, non tam Parca, quam divina præcidit Nemeſis ; ubi Orangium non apoplectico fluxu, quem ille ſemper metuebat (expertus jam ſemel ipſius motum,) ſed Burgundi juvenis (Girardi nomine) fiſtulâ ferreâ è vivorum numero rapuit ; fato rebellionum autoribus communi, & ſemper verendo.

13. Porro ſicut in corpore humano quidam morbi ſunt jam inhabituali, ut eos tollere nec fas, nec poſſibile ſit. Talis eſt ille, de quo Muſa:

Tollere nodoſam neſcit Medicina podagram.

Ita in corpore Politico Regni aut Reipublicæ reperiuntur quædam mala, pravæque prætenſiones, continuos tumultus cientes, ut non tam remedio tolli, quam tolerantiâ longanimi perferri queant. Experta eſt hoc Germania & Italia plusquam tribus ſæculis in Gibellinorum & Guelphorum, Pontificiâ unâ, alterâ Imperatoriâ, factionibus. Martem agebat Cæſar, Bellonam

nam Eccleſia : ille arma ſtringebat ferociter in Italiam ob affectatum (ut Imperator rebatur) à Pontificibus ſæculare Imperium : hæc cenſuris & diris nunquam feriabatur contra Germaniam propter læſam per Cæſares ſacrorum immunitatem; donec arma ceſſerint togæ, pedo gladiis, & Papæ Cæſar : ſic ſenſim imminutis Gibellinorum & Guelphorum factionibus rurſus redibat quies diù optata, & ex conjunctione duorum primorum Orbis Luminarium ſerenior. Interea tamen Regnantes in ejusmodi diſcriminibus extremè vigiles ſunto, nec adoleſcere mala ſinant, ſed in herbâ opprimere ſatagant: adultis enim vix, & tardum remedium. Ad centenarium quercum multa ſecuri opus, ad ceſpitem nec cultro, ſed digito flecti, & manu extrahi valet.

14. Quid igitur ? paucis te monebo, mi Princeps, vel ducam potius, tu ſequere. Vel enim tale ſunts ſeditiones, quibus Princeps prævalet, iisque eſt ſuperior ; vel vero inferior viribus, & periculo proximus ? Primo caſu vi utendum eſt, ac principiis obſiſtendum, & eâ quidem velocitate, ſilentio & obtecto, quam poſſibile eſt, animo & vultu. Uſitatiſſimum hoc erat olim apud Romanos: Pompejus in Hiſpaniâ perduellionis reos Albium Calenum, & Atrium Umbrium carnificis manu percuſſit : Druſus Vibulenum & Percennium. Ludovicus XI. Comitem S. Pauli & multos alios. Henricus IV. Ducem Bironium. Philippus II. Egmontium & Hornium, & quam plurimos : quæ autem proximè acta ſub Leopoldo noſtro, notoria ſunt. Omnes ſeditionum Autores hoc fatum ſibi præſagire debent, antequam periculoſam hanc telam ordiantur. Nec facilè credant complicibus ; iſti quippè ipſi proditores, proditorem manifeſtabunt, ut proditionisveniam mereantur. Seditionis initia ſunt periculoſiſſima, quæ niſi ſubitò extinguantur, augebunt ſe ſeditioſi, & ad alias ejusdem Reipublicæ Urbes & populorum diſtrictus deferent incendiarium hunc ignem. Id in Belgio attonita ſpectavit Europa. Ubi ab æmulatione primum Aulicâ, in tantum exarſêre odium Regis Nobiles, civitates, oppida,

pida, & ipſa plebs, ut æſtuanti huic rebellium pelago, nullum litus amplius, nullâ repagula, nullus obex opponi quiverit.

Sub initium nimis diù diſſimulatum fuit cum Orangio, Brederodio, Fratribus Naſſoviis, & aliis confœderatis Nobilibus. Albano tunc Duce opus erat, cujus rigor profuiſſet adhuc rebus integris. Poſteaquam verò Orangius ex morâ Gubernatricis, audaciore ob hæreſim ſuſceptam plebe factâ, Urbibus aliundè, aliquibus jam in defectionem pronis, aliis de Feloniâ ſuſpectis, aut recidivis, plurimis in contumaciâ perſiſtentibus; Nobilibus plerisque in odium Regis confœderatis, viam ſibi ad Dominatum ſterni vidiſſet, nihil ſibi feriandum rebatur, ſed mox maturandæ & augendæ rebellionis negotium ſuſcepit. Adeò ex tempore ingraveſcunt mala, ut corruptâ remediorum tempeſtivitate reconvaleſcere nequeant.

15. Circumſpectione autem magna opus eſt, an ejusmodi rebellionum incentores publicè vel privatim tolli debeant? Si nondum ſeditio compreſſa, ſi ſeditioſi præſentes, vel proximi ſint; ſatius erit in occulto habere, & peragere ſupplicium, quam novum pabulum præbere ſeditioni. Ita Mutianus Calfurnium Galerianum, & Vitellius Bleſum & Tiberius Agrippam & tot alii millenos alios, ſine ſtrepitu & ſpectantium accerbitate morti dedere. Ducum & Virorum illuſtrium longa memoria eſt, præſertim, ſi lugubre eorum fatum, coram ſpectatum fuit. Conſultius eſt clam punire Magnos Viros, quam exacerbatæ adhuc multitudini per ſolemnia ſupplicia inſultare. Ubi vero ſeditio compoſita, nec cum reis populus implicitus eſt, fermè expedies per publicam pœnam pompam addere tragœdiæ in majus ſceleſtorum odium, & poſteritatis exemplum.

16. In altero autem caſu, ubi ſe Princeps inferiorem videt ſeditionem machinantibus: *Vincendum erit, cedendo ſapienter furori.* Nam adverſus populi ſeditioſi temeritatem non facilè (niſi benè parato & ſecuro) irâ & violentiâ certandum, exemplo ſuo, Quinctius Conſul Romanus docuit. Nocuit olim antiquas rigor, ait Tacitus, & nimia ſeveritas Galbæ, cui jam pa-

1. Hiſt.

ria

ria non erant Urbis vitia. Conſtat enim potuiſſe conciliari animos ſeditioſorum militum quantulâcunque parci ſenis liberalitate, ſed cum intempeſtivâ ſeveritate legi à ſe militem, non emi pronuntiaſſet, vitâ & Imperio excidit.

Quæ primum ab irato populo vix impetres, temporis ſucceſſu planè ab eodem, & quidem lubente obtinebis. Seditiones enim usque dum per oppoſitionem armorum aut ſupplicorum non irritatæ fuerint, facilè ex ſe langueſcunt, vel in diverſa trahentur, vel ex faſtidio inquietæ vitæ, ſenſim ſe deperdent.

Quamdiù ſeditionibus Urbs aliqua agitatur, nihil illi eripias: concede magis, cum furere deſierit, recipienda. Si poſtulata eorum cum Reipublicæ ſalute pugnent, aliis beneficiis oblatis ea redime: vi vix auferes, ſed majorem eorum vim in te concitabis. Ideò tamen præſentiam tuam illis non deneges nec ſubtrahas, quoad usque ſine periculo fieri poteſt, in quo valdè culpatur Henricus Tertius, Rex Franciæ, qui à tumultu Pariſienſi nimis tempeſtivè ſe ſubtraxit. Abſentia ſiquidem ſtudiosè facta, imminuit reſpectum, autoritatemque Regnantis, & ſeditionum Autores ad majora audenda excitat. Carolus V. poſt perceptam Gandavenſium rebellionem, tam equis quam navibus curſoriis quantocius trajecit ex Hiſpaniis in Flandriam, ſuâque præſentiâ confeſtim repreſſit rebellionem, Urbemque ampliſſimam, ſediotioſorum hominum conſortio evacuavit, inſuper arce impoſitâ in frænum Urbis. Licet deindè ſub Philippo undequaque per Belgium pleno æſtu graſſaretur Rebellio aperta in Regem, tamen mox nutare cœperat ob evulgatum creditumque adventum Regis; multi quippè ex confœderatis timidiùs rem agebant, aliqui in ſpontaneum exilium ſe committebant, quorum multi ab Albano Duce ex fugâ intercepti publico ſupplicio luerunt perduellionis crimen. Ipſe Brederodius, quo præter Orangium nemo contumacior, tamen ex famâ adventantis Regis reconciliationem tentabat, ſed incaſſum: Ideò ſibi uni periculi molem incumbere videns, fugam ſemel & itera-

iteratò repetiit. Tantùm concutiebat rebellium animos ſola fama adventantis Regis ; quantum concuſſiſſet adventus ipſe & præſentia tàm magni Monarchæ , qualis erat Philippus II. facilè eſt arguere.

17. Homerus populum ſeditioſum appellabat *belluam multorum capitum* : quæ non unâ arte flecti, vincique poteſt: ſed opus eſt jam unum tentare caput, jam aliud, & ſingillatim, uti expedierit, hoc manû mulcere , aliud virgâ terrere, uni capiſtrum imponere, aliud ferro præcidere, donec multiceps iſta bellua cicuretur. Ita prorſus variæ viæ tentandæ ſunt, ut furentes ſeditioſorum animi, à væſaniâ remittant, & rurſus in ordinem redigatur præceps & inquietum vulgus. Agrippa pacificavit plebem Romanum recitando illi unà fabulam. Colavinus ſeditionem Capuanam hoc conſilio : ut priùs novos quam antiquos trucidarent Magiſtratus eligerent rarâ felicitate compoſuit. Franciſcus, Soderinus Florentinus, Archiepiſcopus Pontificali habitu indutus aſſiſtente toto Clero , hâc ſacrâ pompâ ſeditioſos cives ab ulteriore inſolentiâ abſterruit. Sacri Præcones in ſeditionibus utiliter adhibentur ad reducendum populum, ſi ſpiritu DEI pleni, nec moribus corrupti ſint : Qualis erat Savanarola , de quo ſcribit Lipſius. In hâc materiâ ſeditionum, Machiavelli præceptum vix rejiciendum : ubi, ait, inter Cives diffidentiam ſerere quam plurimum expedire Principi. Divide, & impera, vetus adagium eſt. Seditioſos ſubditos in factiones mutuas disjunge : & vinces optimam diſſolvendæ ſeditionis rationem, ſi inter ſe committantur ſeditioſi, dixit Vegetius. Tolle deindè caput ſeditionis quoquo modo: & confeſtim illa deficiet. In ſuſpicione ſeditionum imminentium, caporiones plebis maturè aut vinciendi , aut amovendi , aut corrumpendi: his amotis nihil audebit vulgus. Seditiones, quæ adverſus Principem non ſuſcipiuntur, ſæpè huic utiles ſunt. Qui abſolute imperant, à concordiâ civium : Qui limitate : à diſcordiâ magis, ſuæ autoritatis augmenta ſperent. Regibus olim Poloniæ in Nobiles exigua , in Senatores vix ulla erat autoritas niſi

ſi diſcordiarum, quæ inter Nobiles & Senatum frequenter oboritur, occaſio eam ſubindè auxiſſet. Concordes Vaſalli & ſubditi faciliùs malum, quam diſcordes bonum Principem præcipitant, neque etiam valent præcipitare malum, quia eorum diſcordiâ utitur in ſuum emolumentum, ut Dionyſius Syracuſanus.

18. Imbecilles Principes diſſimulando potiùs, quam palàm obnitendo vincunt ſeditioſos: magis quippè expedit, ut in præpotenti rebellione non magis ſuccendantur animi, aut cum contemptu Principis, aut cum deſperatione ſeditioſorum. Vix enim ſine alterutrius excidio redibit ſerenitas publica. Quod fermè toties contigit, quoties vidimus Respublicas mutari in Principatus, vel Principatus in Respublicas. Præſtat igitur quandoque diſſimulare, quam ex dubiâ aleâ periclitari. Clam & diſſimulanter cum paucis viribus plus ſagaces Principes obtinent, quam palàm nimiùm ardentes cum magnis viribus. In Tiberio id antiquitùs, in Ludovico Undecimo Franciæ Rege recentiùs mirantur Hiſtorici. Sanè nemo plures quam Ludovicus tulit à ſubditis injurias, conjurationes, inſidias, & ſeditiones, quarum plerasque diſſimulatione, conniventiâ, aſtu magis, quam vi ſopivit domuitque, &, quod mirandum, nemo facilè Regum, ita clam affligere novit ſubditos, nemo tot ſeditioſos præcipitavit & oppreſſit, nemo toties ulciſcendi tàm contra Magnates Regni, quam externos, Princeps nactus eſt occaſionem, quam Ludovicus, unicum illud identidem ingeminans. *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare:* quod illi tàm feliciter ceſſit, ut licet plurima bella externa, nullum fermè tamen domeſticum & civile ſuorum ſubditorum adverſus ſe paſſus ſit.

19. Cum verò ex factionibus non rarò oriantur ſeditiones, & ex his bella civilia: quid de primis ſentiendum? Nota proindè Factiones univerſim exſurgere, vel inter optimos Viros, & virtutis magis, quam vitiorum amantes (quod ætate hâc rarò contingit (vel ut frequentius) inter præpotentes & ambitioſos. Si inter optimos & virtuoſos, ut Romæ inter Lepidum & Ful-

vium, inter Camillum & Scaurum, inter Scipionem & Fabium: Athenis inter Themiſtoclem & Ariſtidem : non facilè ejusmodi Virtutis certamina ſopiri, imò aliquando foveri debent, quia non ſunt ſeditioſæ factiones, ſed optimorum æmulationes propter virtutem, bonam famam, aut gratiam Principis, quam ſuis meritis quærunt, & in præmium aucupantur.

20. Factiones verò inter præpotentes & ambitioſos exortæ periculoſæ ſunt, ideòque à Principe nequaquam tolerandæ. Nimia enim unius aut alterius Viri in Regno, in ſuâ dignitate ſibi aut retinendâ, aut amplianda, aut aliis præponenda, neque ulli communicanda obſtinatio, magnas ſæpè, easque cruentas, ac toti Regno & Reipublicæ funeſtas ſeditiones excitat. Plebiſcito apud Romanos cautum erat, ne quis eundem Magiſtratum intra annos decem repeteret, & hoc graviter in Julio Cæſare improbat Suetonius, eumque jure propterea cæſum exiſtimat. Maneat apud Autorem Opinio; Julius Cæſar in exemplum factionis nobis non ſervit, quia Princeps fuit, non privatus. Magis expendamus Marium & Syllam : Neque enim alia cauſa Mario fuit, cur ſe tàm ſeditioſum gereret, quam quod modico tempore tot bellorum ei credita adminiſtratio, & Conſulatum ſextum inter pauciſſimos annos obtinuerit: Neque Sylla, quam quod plurimis annis absque intercapedine exercitibus præfuerit ; poſteà Dictator, Conſul & (ſi quid aliud Romæ magnificum) ad illud evectus ſit. Hâc quippè naturâ laborant homines, ut poſtquam multos annos in poteſtate tranſegerint, eum non ſolum reddere ægrè poſſint, verum etiam minores nunquam, ſed Majores, quod absque contentione haud contingit, videri velint. Experientiâ conſtat juvenes facilius mori, quam ſenes, quia illi non tantùm Mundo aſſuevêre, quam iſti. Guilielmus Orangius tot à Carolo V. donatus Principatibus, Dominiis, Civitatibus & Oppidis aliisque ſummis prærogativis: à Philippo II. autem Hollandiæ & Zelandiæ, & qui Hollandiæ adjacet, Trajectenſi ad Rhenum agro, prævalidis terra marique provinciis, Præfectus cum magna poteſtate impoſitus ; Quia ta-

tamen ſpe exciderat univerſæ Belgarum Præfecturæ, quam ſibi ultro deberi prædicabat, ſub *Ruartis* (qui ſupremus poſt Principem ab antiquo honos fuit) nomine evocatâ in id munus à Rege, Margaritâ ſuâ Sorore, & Caroli V. filiâ; extremè indignatus in Philippum fuit, querelis hinc indè primum ſparſis; donec clam ſeditionis fundamenta, qui meri prætextus erant, in Nobilium, civiumque ac populi animis jaceret; confectisque in hanc rem etiam cum externis Principibus confœderationibus in apertam rebellionem prorumperet. Undè Principes, ejuscemodi præpotentium conatibus maturè à longè, & antequam ſub cinere latitans favilla flammam concipiat omnibus viribus, uno aliove modo clam vel palàm, vi vel aſtu, amotione vel ablegatione ad ſpeciem honorificâ, obſiſtant. Quia *omne malum naſcens facilè opprimitur, inveteratum fit robuſtius.* Ignis non faciliùs extinguitur, quam ſubtracto pabulo. Confidenter pronuntio: Bella Civilia, ſeditiones, Rebelliones præcipuè Virorum potentium, ſi in principio ſtatim non ſopiantur, tamdiù non quietura, donec una aut altera pars intereat. Romanam expende hiſtoriam; ſi verò hæc vetus; recentem in Belgio, vel noviſſimam in Galliâ lege; & veritatem invenies. Nam Romanæ Reipublicæ tamdiù flagrabant ſeditiones; donec incineraretur antiqua illius libertas. Nec in Belgio ceſſatum à bello internecino, usque dum non ſe in libertatem aſſererent confœderatæ provinciæ. Gallia ſub tot Regibus & in viſceribus ſuis colluctans continuis rebellionibus, & Bellis civilibus, anteà arma non poſuit, quam ſub Ludovico XIV. Hugonotiſmo (tantorum malorum una & ſola ſcaturigine) extirpato, & in exilium perpetuum relegato. Sapientes Principes præmeditantur pericula: fruſtra eſt deprehendi in illis. In tempore proſpiciunt ſecuritati; ex morâ quippè omni hæc quam primùm patitur, Maturè omnem, vel quieti publicæ adverſantem, vel Majeſtati ſuæ nimis propinquam, potentiam ſupprimunt: actum agunt, ſi illa ingraveſcat. A longe ejusmodi aquilis præcidunt alas, & Leonibus jubas. Ad quid tot in unum cumulandæ divitiæ, aut

honores communicandi, aut clientes permittendi, aut præfecturæ delegandæ, aut Poteſtas indulgenda? Antequam ejusmodi homines apicem attingant, vel ſolio ſe neceſſarios aut proximos faciant, temperandi ſunt ſub prætextu amovendi, onerandi extraordinarii præſtationibus (æquum enim eſt, ut redundent divitiæ, unde fluxerunt.) Nam immodicis honoribus & opulentiâ excitari bella civilia, dixit Polybius.

21. Porrò factiones hæ præpotentium Magnatum, vel ſunt ad invadendum Imperium, vel inter ſe, ob privatas vel publicas cauſas & injurias? Si Imperio inhiant? rurſus diſtingue: vel factioſi illi Potentes ambo ſunt in Regno, vel unus intra, alter foris, vel ambo armati in campo? (nam ſi plures quam duo ſint, vix metuas: quia ſeipſos diſtruent) Si ambo ſunt in Regno? neutri aſſiſtendum. Imò ſeverè ordinavit Solon: ut, ne ex factione duorum oriatur ſeditio multorum; nemo civium ſe adjungeret uni vel alteri ſub pœnâ corporis & confiſcationis bonorum. Si verò unus præſens in Regno, alter abſens ſit? Abſens omninò captivandus eſt benevolentiâ, promiſſis, largitionibus, & beneficiis, ut vel à cœpto deſiſtat, vel ſuſpendat conatum. Alter verò nullâ ratione fovendus, minùs armandus: Uterque autem, ſi vires ſuppetunt, disjiciendus ille clam, iſte palam, oſtendendumque utrique: An? & quæ via pateat ad Imperium. Si verò uterque in campo armatus, ut Cæſar, & Pompejus in Pharſalicâ pugnâ? promovendum erit prælium, non tardandum: ne ex morâ in viſceribus Reipublicæ exſurgant partialitates: nevè vicinis & inimicis occaſio præbeatur, opprimendi ambos, & invadendi Rempublicam.

22. At, ſi aliud ſuadeant circumſtantiæ, videlicet, ne vel potens aliquis vicinus imbecilliorem ex ejusmodi factioniſtis aggrediatur, & Rempublicam inde majori periculo exponat, tunc omninò ſuadent Politici, ut debiliori aſſiſtat Reſpublica, & armis, viribusque exuat potentiorem. Debilior facile in fœdus coibit cum Republicâ, quia accedent illi vires adverſus potentiorem. Potentiorem autem attenuabit Reſpublica negando illi ſolum, commea-

commeatum, paſtum & ejusmodi neceſſaria; præcipuè verò abducendo illi confœderatos, corrumpendo milites &c. Clodius uſus hâc arte contra Lucullum, eâ felicitate, ut militem illi abduxerit, &, qui ſe jactabat prius Ponti Dominum, vix juſtæ phalangis Ducem, ſe cum rubore viderit.

23. Verum, ſi potentes illi factioniſtæ nihil adverſus ſtatum moliantur, ſed inter ſe ex privatâ causâ tantum decertent, rurſus diſtingue: Vel illi in factionem trahunt unum aliudve membrum Status, vel omnia? ſi unum, aliudve? parum referet: Quia modicè diviſo ſtatu, facilius eſt imperare, præcipuè malo Principi vel iniquo Magiſtratui. At ſi omnia trahat? omninò præveniendum, reſiſtendum. Quia, ſi vires Principi aut Magiſtratui à factione abſtrahantur omnes, quid illi remanebit aliud, quam umbra dominationis, ut Carolo IX. & Henrico III. Franciæ Regibus; Navarri & Ghuiſianorum plus æquo potente, & in ſe omnia attrahente factione, obtigit. Ejusmodi pericula, ut Princeps vel Magiſtratus præveniat, tertiam, inter duas, factionem exſuſcitet, vel ſeipſum Autorem illius ſtatuat, ac ſi non majorem, tertiam ad minus partem ad ſe trahat. Diviſio Status in tres partes propter diſparitatem nullum facilè diſcrimen Reipublicæ cauſabit; Quia ſemper uni extra ſphæram agenti obſiſtent duæ aliæ, & ſic ſenſim evaneſcunt omnes tres. Si verò duæ etiam inter ſe committuntur, tertia ſui ſecura ſpectabit utriusque ruinam; Nam cum altera alteram obruet, laſſitudine & clade mutuâ conficientur integrâ permanente tertiâ. Sic Henricus III. Rex Franciæ inter Navarræam, & Ghuiſiam factionem, tertiam ſuſcitavit mediam & Regiam, quam opibus, clientelis, provinciis, domeſticis externisque circumvallare præſidiis ſatagebat, eo nimirum fine, ut Regia Autoritas, quam non modicum attriverant Navarri & Ghuiſii factiones, paulatim inſurgeret. Quod inventum multis videbatur magnum Arcanum Politicum, niſi Rex nimium indulſiſſet ſuo genio, & inter arma factionum, ſuæ tamen quieti & Aulicæ teneritudini velificari ſtatuiſſet. Felicius ceſſit Alberto ſuperioris Saxoniæ Duci, qui acceptam à Maximiliano I. Fri-

ſiam Occidentalem, in duas factiones diviſam invenit. Una faction dicebatur Schiring, altera Vetkoper, utraque obſequii & paritionis parum aſſueta: ambas tamen brevi tempore Saxo domuit, exſuſcitatâ tertiâ factione, quâ uni ſe junxit & debilitavit alteram & per hanc illam tandem totam ſibi Friſiam ſubegit.

24. Præter dicta accedunt duo univerſalia remedia ſiſtendi ſeditionum & rebellionum impetum. Primum eſt, generalem veniam confeſtim, & in principio, & antequam radices agat malum, omnibus impertiri. Primæ flammæ modicâ extinguuntur aquâ, ubi in aperta incendia abierint, opus eſt diluviis. Venia ſi protrahatur, non tam dubitant, quam deſperant de reconciliatione rebelles, & dilatâ etiam Veniâ protrahitur ſeditio, hâc protractâ, augetur eorum ſcelus, ut tandem veniam ſe mereri diffidant. Multoties tentavit Regem Philippum Gubernatrix Belgii Margareta Parmenſis, ut rebellibus populis generalem veniam largiens, eos contineret, ne à Patriâ peregrinabundi, alibi ſuam libertatem cum patriæ pernicie quærerent. Quod ipſum per externa ſymbola rebelles indicabant præferentes in galeris, peregrinorum more, præter manticam numis inſculptam, tornata viatorum bacilla in crucem commiſſa, quibus ſe peregrè abituros luculenter monſtrabant. Verum Gubernatrix parum proficiebat apud Regem, qui veniam ſecuritatemque Belgorum in aliud tempus conſtanter differebat; & contemnens pericula fermè cum faſtu reſpondebat: *ſe parentis Cæſaris exemplo nunquam hoſtes formidaſſe, ita nunc paucorum hominum ſeditionem fidelium ſuorum Procerum virtute & operâ brevi compoſiturum.* Sed ſpem fefellit eventus, & pavorum, ut ille ſcribebat, hominum ſeditione plures Provincias coronæ ſuæ inſertas ex veniâ importune dilatâ, turpiter deperdidit. Morbus omnis ex dilatâ medicina neglectus, contrahit majores vires ad conſumendam vitam hominis, culpâ in genti in Medicum refuſâ. Non melior, non facilior ſeditionum medicina eſt, quam benignitas Principis, ultrò delinquentibus veniam elargiens. Venia, quos concernit, ſtringit in obſequium: Qui de ea deſperant; & tamen con-

consequuntur; conterit in resipiscentiam, & culpæ confessionem. Conscii autem desperatæ veniæ, extrema tentant, nec salutem suum committunt amplius illi, qui veniam differt, vel negat. Arcanum Sapientiæ Regiæ est: *Nosse uti in tempore veniâ, ubi vindicta in desperatione frustra opponitur.* Ex morte præclarissimi Ducis Ezii, à Maximo intempestivè suasâ Cæsari Valentiniano crevit seditio & inde occepit præcipitium Cæsaris, & ascensus Maximi solium. Egmontii & Hornani Principum lugubre fatum libertatem dedit Batavis, & Orangio prætextum affectandi dominatus in Belgio. Vindicta magis ex imbecillitate naturæ procedit, quam venia. Hæc solum in magnis animis reperitur, vindicta in quibusque. Regium, immo divinum est parcere: dixit Augustinus.

25. Alterum universale seditionum remedium (de quo quidem supra insinuatum) in eo consistit, ut Princeps quamprimum causas rebellionis intelligat, tollat, & indulgeat ea, quæ sine Reipublicæ pernicie & citra offensam DEI, jam pridem indulsisse illi fas, & facile erat. Sæpe enim subditi justa petunt, & injusta deprecantur, sed rarò exaudiuntur. Et hinc lachrymæ. Non tanti faciat Princeps seipsum, suosque Magistratus & officiales in iis omnibus, quæ populo universim displicent, vel pactis contrariantur, emendare; quanti si per continuatam subditorum seditionem Regno, opibus, ac vitâ ipsâ, sive justè, sive injustè excidere posset. Horrendum est incidere in manus multitudinis. Extrema nemo expectet. Prævidere oportet illa, & ne eveniant, in tempore desuper deliberare, & inter duo mala minus eligere. Sunt autem præcipua, quibus læduntur, & in seditionem moventur subditi fermè hæc: Privilegia abstracta, negata, Urbium, Tribuum, Nobilium. Raptæ Virgines & thorus honestorum virorum à Principe contaminatus. Angariæ & extorsiones insolitæ. Ministrorum major, quam par est, in subditos arrogantia, contemptus. Prodigalitas Regnantis, sive profusio æris publici ad inhonesta, inepta, & Reipublicæ perniciosa. Annonæ caritas & flagellatio, fœneratorum impunes usuræ. Religionis suscipiendæ rigidioris, quam par est, coactiones. Successor incer-

tus

tus ex filiorum coronæ orbitate. Supplicia & animadverſiones continuæ in viros innocentes & Reipublicæ ſtudioſos: Mutationes ineptæ vel abolitiones abſolutæ Magiſtratuum, quæ aliàs ex Civium, vel Nobilium ſuffragiis dependent. Hæc & ſimilia ſunt, quæ minùs, quam interitum, populus pati poteſt; præſertim ubi ſeditioni accedit vel domeſtica, vel externa autoritas. Unde Boterus lib. 4. c. 1. in ejusmodi exceſſibus & populi juſto dolore, nomen ſeditionis mitius accipit, nec eſſe vult talem concitatum furorem, ſed ardorem aliquando optimorum hominum, qui bonum commune ſtudent defendere. Atque hinc eſſe, ait, quod dicit Ariſtoteles: *Virtute excellentes viros, juſtiſſimè ſeditiones commovere poſſe.* Ideoque ejusmodi ſeditionem tolerandam ait, ne Phalaris, Nero, & Dionyſius regnent.

26. Verum vix convincit hæc opinio: Seditio quippe nunquam toleranda, quia deſolat patriam, Majeſtatem offendit, & ordinationi divinæ reſiſtit. Ariſtoteles (aliàs in ſuis libris Monarchiæ addictus) per ſeditiones potius intellexit; quæ omninò utiles ſunt, ſalutares & neceſſariæ. Bonum commune defendere, omnibus ſeditioſis eſt commune refugium & prætextus iniquiſſimæ impoſturæ. Ne Phalaris, ne Nero, ne neget Dionyſius ad ſupernam diſpoſitionem ſpectat, quæ dat, tollit, transfert Regna; quæ, cui & quando vult: nos alii ex obſequio gloriam expectamus. Non à vertigine populi, non à ſubditorum partiali affectu dependent exautorationes Regum. Sat illi grave judicium â DEO expectant.

27. Præfatæ omnes ſeditionum correctiones juvant ſolummodo, quando jam cœpta eſt ſeditio: ſed ne illa nunquam, vel facilè incipiat: quid facto opus? Arduum eſt quidem hoc præſcribere, quia diverſæ gentes, diverſum habent genium, non vero omnes fræno continendæ. Suggero tamen hæc arcana. *Nunquam ſinere potentiam & Autoritatem privatorum, licet illi Magnates & in Magiſtratu conſtituti ſint; nimium inſurgere; neque populum nimis opulentum, neque extremè inopem ferre.* Quoad primum membrum arcani, ſemper ſibi Regnantes integrum

grum jus reſervent in omnibus Juribus Majeſtatis, quæ delegunt ſuis Miniſtris & Præfectis Aulicis, civilibus, & præſertim militaribus, ſtabiliendi, deponendi, moderandi; idque tum perſonæ, officii, & circumſtantiarum ratione. In magnis muniis & præfecturis ſocios ſive Legatos adjungant, aliquando etiam æmulos excitent; ſit denique omnis precaria poteſtas præter unam Regiam, videantque ſubditi in ſolo Principe fontem, immò pelagum eſſe, ex quo fluunt refluuntque omnes poteſtates velut rivi & minora flumina. Suſpectos ſibi habeatur Imperans omnes potentes vaſallos, præcipuè degradatos, vel qui aulam ſequi dedignantur, ſuisque ſtant viribus. Plerumque iſti ſunt velut domus aſylares eorum, qui turbas excitare ſtudent; quales priori ſæculo fuere Principes Salernitani, Tarentini in Regno Neapolitano; Orangius & Brederodius in Belgio: Navarrus & Ghuiſius in Gallia: Ragozius & Tekelius in Hungariâ: præcipuè ſi accedat poteſtas, ut Fridlandiæ Duci: tunc ſibi

Nihil non arrogat armis.

28. Quoad ſecundum Arcani membrum, ipſe Salomon à DEO petiit: *Inopiam & divitias, ne dederis mihi.* Sciebat etenim duo extrema eſſe *nimias opes*, *& magnam inopiam.* Utrinque homines extrema moliuntur: illi ex inſolentiâ, iſti ex neceſſitate. Inflant divitiæ & pervertunt judicium: pauperies adſtringit ad illicita ex neceſſitate, quæ vincit omnem legem. Ideo ſeditioſorum Autoribus quisque opportuniſſimos, cui neque ſua cara, quippe quæ nulla ſunt, & omnia cum pretio honeſta videntur. Plato Cyrenis, ut leges, ex quorum præſcripto viverent, præſcriberet, rogantes modeſte deprecatus, dixit: Difficile Cyrenis leges præſcribere, quamdiu in illâ fortunæ proſperitate ſtarent; Inſolentia etenim & faſtus, qui ex magno affluxu divitiarum naſcitur, circumſcribi non vult. Rem totam Ariſtoteles lib. 2. & 3. Politicorum cap. 3. & 4. complectitur, ita differens: Qui in exceſſu rerum ſecundarum aut amicorum vivunt, imperio parere nolunt; neque rectè imperare ſciunt; molles enim ſunt, rudes, contumelioſi, invidi, & inviſi omnibus: civitas ergò ea, quæ ex Eccl. 30.

mediis constat, optima habetur. Insuper optima civitas est illa, quæ vitam civium virtute conjunctam habet: cujus item cives facile obtemperant rationis judicio. Talis est autem civitas ex mediis civibus constans, ergo optima. Ita Aristoteles.

29. Alterum Arcanum est: *Populum* (præsertim bellicosum) *externo bello divertere.* Tacitus confidenter asseverat: externis bellis extingui domesticas factiones. Quod ratione & exemplis comprobat Livius: Quia metus ab externo hoste fortissimum vinculum est domesticæ unionis. Nolunt factiosi, ut ex eorum proprio & domestico dissidio, tertius gaudeat, aut ex intestino bello mutuâque clade illorum, hostis externus, victoriæ fructus colligat. Græca olim & Romana Respublica multoties divisa, semper tamen, litigio privato in tempus seposito, conjunxit se, ubi externa arma sibi minari præsentiebat. Quamprimum vero Romana Respublica, devictâ Carthagine, Numantiâ eversâ, Annibale prostrato velut nullum amplius supereset certamen suis viribus dignum, quam validæ illæ essent, in seipsam experiri voluit. Ex hoc enim tempore cœperant domesticæ factiones, seditiones, divisiones & planè bella civilia, quæ usque eo perdurarunt, donec à suis ipsis civibus confecta Romana Respublica penitùs interierit. In primâ seditione verecundius processum, ubi Tib. Gracchum ejusque socios subselliorum fragmentis (cum in civem ferrum stringere nefas putarent) occiderunt. Sed ut feræ quædam, quæ humano cruore semel gustato in apertam rabiem moventur, ita Romana Respublica suorum civium sanguine semel atque iterum infecta, in tantam domestici cruoris sitim exarsit, ut justâ acie sit nonnunquam inter cives, in parentum & natorum conspectu, mediâ urbe dimicatum. Hinc nefarium illud C. Marii & L. Syllæ seditiosum certamen, quod tot millia civium patriæ abstulit, dirum futuri seditionibus, bellisque civilibus rudimentum. Ut diffusè ex Diodoro describit Sabellicus lib. 2. Ann. Unde rectè dicebat quidam: ternum ab externis bellum non tantum nocet Reipublicæ, quantum unum internum. Bellicosæ gentes semper occupari debent foris, ne intus

intus seditionem moveant. Hoc egregiè nunc præstant Galli post extinctum in Regno Hugonotismum, qui unicum erat per tot Annos continuati Belli civilis incentivum impedimentumque usurpationum externarum, quas modo experimur. Scipio Nasica nunquam noluit deleri Carthaginem, ne occasione careret Roma impendendi suos Martiales spiritus magis foris, quam domi.

30. Tertium Arcanum est: *Conventicula privata & suspecta non solum tollere, sed etiam in eorum acta per subornatos inquirere.* Sic enim animus conspirandi collegis demetur, & conjungendi se occasio subtrahetur. Quosdam ex illis semper suborner & sibi adjungat Princeps, nec parcat æri, nec promissis tentare erubescat. Ex hoc subitò per se inter eos suspiciones emergent, confidentia debilitabitur, & neuter planè fidendum alteri amplius existimabit. Quos Princeps jam suspectos habet, observet sagaciter, per se, & exploratores: & non facile permittat inter illos connubia, ne arctiori fœdere connectantur. Clandestinos congressus sub pœna interdicat, & clandestinos etiam contractus invalidos pronuntiet, si non coram publico Notario authentisentur, & hoc quidem sub prætextu justitiæ, licet securitatis publicæ causâ fiat. Hic enim tota ars Principis consistit, ut se in similibus ita obtegat, ne quidpiam suspicari, aut de ejusmodi scire videatur. Autores vero similium conventiculorum maturè amoveat, & occasionem quærat, eos ex alio culpæ prætextu relegandi, aut puniendi. Paulus Æmilius, quo Macedones retineret pacatiores, Primores ipsorum unà cum filiis in Italiam abire jussit. Carolus Magnus, quo Saxonicarum seditionum finis esset, Nobilitatem Saxonicam in Galliam transtulit. Ludovicus XIV. ut se liberaret Hugonotorum seditionibus, omnes è Regno ejecit. Male cum Regnante agitur, ubi subditi sua habent munimenta, suas civitates, suos congressus, sua colloquia, & sua planè dicasteria; Quæ omnia à multis annis fundatam gravemque suspicionem contra Hugonotos incutiebant Galliæ Regibus. Præcipuam causam, quæ Venetiarum Rempubli-

publicam quietiorem reddit, ac tuetur, in eo ponit Boterus: Quod tota civitas infinitis canalibus quasi dissecta, populi congressus difficiliores reddat, & antequam turbæ motæ sunt, suo molimine retardet. Eodem modo Ægypti Sultanus non minùs seditiosam illam, quam numerosissimo incolatu subditorum refertissimam Urbem Cairum, ut seditiosos congressus præverteret, profundis ac latis fossis distinxit. Augustus seditiones metuens, Satellites suos intra Urbis mœnia in tres cohortes divisit, & ne plures convenire simul possent, ædes proprias habere, illis omninò denegavit. Adeò ab omni ævo sagaciores Principes in hoc intendebant; ne seditionibus ansa præberetur ex congressibus clandestinis, in quibus communiter malitia fit audacior, & quasi in latebris secura, nihil veretur, primum ambigua, mox acerba, tandem seditiosa in Principes & Magistratus publicos loqui. Congressus ille Bruxellanus, Brederodio Ductore, in ædibus Calembergii, à præcipuâ Belgarum Nobilitate factus, plane fatalis fuit Belgio; Abinde enim insurrexêre omnium malorum montes, primò contemptus gubernatricis, per violentum illum illâ insciâ & non rogatâ ingressum aulæ, eorumque postulationem iniquam, vel magis expostulationem seditiosam. Secundò, conjuratio sub nobilis concordiæ nomine. Tertiò, abjuratio fidei catholicæ, & ab omnibus Augustanæ confessionis publica facta professio. Quartò, fœdus initum cum hæreticis Germaniæ Principibus & à Constantinopolitano Tyranno petitum auxilium. Quintò, delectus militum contra Regem, ut credebant, adventantem in Belgium. Sextò, Consilium Gandavi initum de ejiciendâ è Belgio Regis militiâ, & excutiendo ejus imperio, & mille alia immanissima, quorum fundamenta jacta fuêre in primo illo Bruxellano congressu. An fato, an naturâ tantopere dissidebant à suo Principe Belgarum populi, nescio dicere: hoc tamen historicâ veritate constat, eos, præsertim Flandros & Brabantinos descendisse à Saxonibus, quorum Carolus Magnus olim irritatus continuis seditionibus, integram familiarum myriadem (ut paullò

paullò ante dictum) eò transvexit. Phlebotomia hæc politica est, evacuare Rempublicam à corrupto sanguine.

31. Quartum Arcanum est: *In tempore, & ex inopinato exarmare populum suspectum.* Quoties Julius Cæsar Urbem occupavit sine vi, aut deditione accepit, primæ ejus fuerunt Victoris leges, ut omnia arma, equos, quosvè ex optimis quibusve, atque ex omni juventutis robore ipse delegerit, atque segregaverit, sibi obsides habuerit. Sic omni robore consilioque Urbes & populos à se expugnatos, ne in seditionem moveri possent, nudavit, suæque securitati consuluit. Ottomanni Principes, quia suspectos Christianos habent, omnibus interdicunt arma qualiacunque, atque ità inter Barbaros exarmata Christianitas vivit, ut olim sub Pharaone Ægypti Rege, populus Israëliticus. Ita egit olim Thodoricus Rex Gothorum cum Italiâ: ità Diocletianus cum primis Christianis. Nec arma solum, sed etiam ipsam materiam, ex qua cudi solent, immo ipsam cudendi artem subtrahere licebit. Morbus quippe gravissimus Reipublicæ est seditio: nulla hic cura, nulla sollicitudo, nulla cautela, nulla præoccupatio superflua est, ad morbum hunc sive præveniendum, sive avertendum: nullus hic obex est, sive à patriis legibus, sive ab avitâ libertate; quia hæc sive suspendere, sive tollere, non tantum malum est, quantum in Republicâ seditionem pati. Boterus audacter libro 5. de Politicâ loquitur. Omnis apparatus bellicus, & tormenta, terrâ marique commeatus, munitiones, arces, quas aut natura, aut ars humana obfirmavit: & principale illud medium, quo facile omnia confici possunt, nimirum pecunia, genti suspectæ & in seditionem inclinatæ, tollenda. Metuebat Imperator Heraclius, ne Saraceni & Arabes Imperii jugum excuterent, quatuor millia virorum, quasi stipendia mererent, illis subtraxit, occasionem rebellioni sustulit. Turcarum autem Imperator à fiduciariis sibi Christianorum provinciis, immò ab ipsis Tartaris exigit Regios pueros, Procerumque primariorum filios in obsides; qui autem Christiani sub ipso degunt, pati debent filios à maternis vulvis

abſtrahi & in militiam educari, ſic ſuæ ſecuritati proſpicit Barbarus, & ideò raræ, aut nullæ in Turcico dominatu ſeditiones, ſive populorum ſúblevationes audiuntur, ut apud nos Chriſtianos paſſim hinc indè cum dolore & ruinâ noſtrâ experimur. Arcanum quoque Tyrannorum eſt, de ſeditione ſuſpectum populum ſenſim effæminare: ut Ariſtodemus fecit cum Cumanis. Ne videlicet in trucidatorum filiis, Patrum vulnera recrudeſcerent, callidè illorum virtutem ſupprimere conatus eſt, dum usque ad annum vigeſimum eos fæminarum more molliter educari juſſiſſet, ſicque eos ex adoleſcentibus puellas, & ex viris fæminas, licet non mentito ſexu, ſed imbecillioris ſexûs naturâ imbutos, mollesque & minimè fortes effecit.

32. Quintum Arcanum eſt: *Rebelles devictos ita contemptim habere, gravare, multare, ut ex eorum tolerantia ceteri rebellionis crimen abhorreant, ſeque ſponte contineant in obſequio & fide.* Nam perduellionis crimen, â quo cœpit lex Majeſtatis, aliunde, capitale eſt, & omni exquiſitiſſimarum pœnarum genere perſequendum. Quia vero pœna ad paucos extendi, metus autem ad omnes pervenire debeat; neceſſe eſt, poſt funeratam per ſupplicia maximè ſontium rebellionem, reliquos ſervitute perpetuâ, & ſi quid eâ pejus eſt, onerare. In rebellionem igitur prolapſi omni libertate exuuntur: Liberi ex illis nati, ſervi hoc ipſo & mancipia redduntur. Decidunt omni honore, privilegiis, gradu, & à Magiſtratibus, ſive creandis, ſive adminiſtrandis, arcentur. Sic olim à Romanis adempta fuêre judicia Capuanis, ademptus Senatus & omnis Reipublicæ adminiſtratio, ſolâ fertiliſſimi ſoli culturâ permiſsâ incenſum. Veſtitus pretioſior, & nobilis; equi, currus, arma, & quod libertatem nobilitatemque indicat, planè interdicitur. Ad labores publicos condemnantur, & graviſſimis oneribus premuntur. Inconſultum eſt, eos tolerari in locis, quæ aut jam munita ſunt, aut brevi muniri poſſunt. Non admittuntur ad artes liberales, nec contrahunt ex ſuo arbitrio matrimonia; nec licet illis patriâ emigrare, nec Jus Civitatis accipere &c. Hæc & alia, qui pacem publicam & Reipublicæ Ordinem perturbarunt, Jure merentur.

CAP.

CAP. VIII.
De disciplinâ militari.

1.

INter prima fundamenta belli gerendi jure repono *Disciplinam militarem:* hanc verò in prudentiâ Ducum, & obedientiâ militum : Adeò si una ab alterâ destituatur, utramque claudicare, bellumque dissolvi, aut infaustè geri, necesse est. Tota autem militaris disciplina versatur circa informandum & in officio continendum militem. Inter prima oportet à prudentiâ Ducis miles informari *Fortitudine* & exactâ *Obedientiâ.* Sub Fortitudine intelligo non solum fortes artus & expedita arma, sed etiam continentiam & abstinentiam: sub Obedientiâ promptum obsequium & constantem fidem. Fortitudinem veram descripsit Scipio, inquiens. Ubi miles contemptor opum & divitiarum, tantùm virtuti suæ militari fidens, bella gereret, & paupertate magistrâ disciplinæ assuesceret: fatigato humus cubile esset, cibus, quem occuparat, satiaret, tempora somni arctiora, quam noctis essent: nihil tali militi impervium conspicitur. Græcia, antequam disciplinam belli nosset, præda Persarum continua fuit; posteaquam verò à Leonidâ, à Miltiade, ab Agesilao disciplinæ legem accepisset, non solum Persas repulit, sed etiam eum eorum multâ clade, sua tropæa stabiliit. Fortitudinem enervant deliciæ: Militem effæminant luxus, Bacchus & Venus: pervicacem & refractarium reddunt rapinæ & divitiæ, aurum & prædæ opimæ : Agrippinenses largis epulis vinoque sopiti, à Germanis, suppositò igne clausisque portis, miserè cremati. Trojam somno vinoque sepultam, cæsâ vigiliâ, portis patentibus occupatam fuisse, tradit Virgilius. Exercitum Annibalis corrupit Capuanus ager: Et Roma ipsa magis in paupertate gloriabatur, triumphosque agebat, quam opibus affluens, quarum æmulatione à suismet civibus premebatur; immò tunc vinci, cum lascivire & diteſcere cœpit.

2. Al-

2. Alterum verò, ſive *obedientiam, animam diſciplinæ militaris eſſe*, ait Vegetius; *Vinculum fidei* dixit Livius: *Certiſſimam victoriæ ſpem*, aſſeveravit Scipio. Unde interrogatus iſte à Siculo Legato, quo iret cum exercitu tam modico; reſpondit: ad victoriam Carthaginis. Ultro quærenti Siculo, tantæ fiduciæ cauſam? repoſuit, oſtentans ſuos milites: Quia nemo horum eſt, qui ad meum primum nutum, non ſe ex altiſſimâ turri projiceret in profundum maris. Antiquus miles præferebat juſſa Ducis, bonis ſuis omnibus, vitæ, & ipſi victoriæ. Ad Cannas unicus ex equo deſcenſus ſauciati Conſulis, exemplum (licet erroneum) tacitum juſſum videbatur Romanæ nobilitati, ut equis quoque deſiliens obtemperare ſe exiſtimaverit Conſuli, ſuâ licet cum pernicie, cæde, & victoriæ amiſſione: Inde enim nactus Annibal occaſionem peditem ex errore equitatus penitùs delendi. Nam apud Romanos (ut fusè deſcribit Flavius Joſephus) leges non deſertionis ſolum, ſed etiam minimæ negligentiæ erant capitales; Ducesque magis, quam ipſæ leges terribiles. Tanto autem obſequio parere conſueverant Rectoribus, ut in pace ornamento eſſent, & in acie corpus unum totius conſpiceretur exercitus. Sic eorum copulabantur ordines, ita circum, & quâcunque duci ſe ſinebant nobiles, & acutis auribus ad præcepta, oculisque ad ſigna, & ad opera manibus. Nec eſt, ubi præliantes, aut multitudinem hoſtium, aut conſilia ſensêre Ducum, aut difficultatem Regionum: ſed nec fortunæ quoque ſuccubuêre. Hoc erat verum obedientiæ militaris ſpecimen.

3. A Barbaris ipſis doceantur noſtrates: Turcarum gens, quæ aliàs origine ſuâ colluvies magis erat, & fex hominum, quam verus populus; in eum tamen diſciplinæ militaris illam redegit ordinem, ut cultiori etiam militiæ, cum noſtro fermè rubore, exemplo eſſe valeat. Minimum quodque delictum contra diſciplinam capite punitur. Nullum inter Duces diſſidium facile auditum. Unus omnibus imperat ex plenitudine poteſtatis. Milites obediunt ſuis ductoribus plusquam religiosâ, immò cæcâ obedientiâ, ut nullum quamvis manifeſtum vitæ diſcrimen ſubter-

terfugiant, & quocunque jussi, non tam eant, quam ruant. Sicut in conflictu ingenti clamore utuntur, ita in castris sine tumultu, strepitu aut ullo fragore versantur: & quamvis innumera, quasi multitudo Turcarum, majorque sextuplo sit, quam in Christianorum castris, tamen silentium quasi perpetuum observant. Nulla ibi jussa cum blasphemiâ, nullæ in Superos exclamationes, nullæ in imperando dirarum voces; manibus sibilo, & quocunque nutu in omnem flectuntur partem: facili & parco cibo contenti, armis & habitu illustres, temulentiâ hostes; & gens licet veneri subjecta, in castris tamen eorum nec scortum, nec femina (nisi forte ementitâ veste) reperitur. Plus hostis sanguinem sitiunt, quam prædam illius aucupantur. In itineribus in neminem insolentes; habitatores ipsi, quorum loca pertranseant (nisi hostes sint) ad eorum conspectum minimè pavent, non operas, non domos deserunt, ut apud nostrates, ubi non minùs reformidant suos defensores, quam hostes ipsos.

4. Extat gravissima Aureliani Imperatoris ad quemdam ex suis Ducibus Epistola, in hæc fermè verba: Si Tribunus esse vis, aut potius, si tibi, ut vivas, curæ est: fac militum manus ab alieno contineas. Nemo alienum pullum accipiat, vel alienam ovem tangat, aut in alienâ vineâ uvam decerpat, aliena fata calcet, oleum, salem, aut ligna petat, taxato ei commeatu contentus maneat; prædaque hostium, non lacrymis subditorum alatur, nitida habeat arma, ferramentaque omnia pascata teneat, calceamenta sint firma, veterem vestem nova excludat, stipendiumque ejus in baltheo, & non in culinâ maneat, torquem, armillam atque annulum ferat, equum suum ipse perfricet, animal ex hoste captum non vendat, mulumque, qui ejus & comitum impedimenta gestat, diligenter curet, mutuoque sibi milites, ut servi auxilio sint. Superi avertant! ejusmodi circulares litteras per exercitus nostros mitti; quia cachinno exciperentur: nisi magnis valde majusculis præfigeretur Epistolæ, Aureliani comminatio (*si vis Tribunus esse, aut potius, si tibi, vivas, curæ est*) & in prævaricatores irremissibilis pœna sequeretur.

5. Ut ad rem propius accedamus; Tres potiſſimum comperio corruptelas militaris diſciplinæ, quarum primam ajo, eſſe *nimias in caſtris commoditates*, quæ fermè Duces & officiales enervant, gregarium vero militem depauperant. Caſtra nunc ſunt velut emporia, & deliciarum mercatus. Plus impedimentorum in illis, quam armorum; non tot Pyrobalarii, quot coqui; & Agaſonum plures, ſervorumque, quam militum; non tantæ pro machinis bellicis vecturæ, quantæ pro ſcortis & feminis. Aſt vix habet militia majorem inimicum, quam ſenſualitatem & teneritudinem. Magnæ res rarò perficiuntur inter voluptates. Nihil minus militare, quam ſenſus. Vir delicatus vix longum laborem ſuſtinet. Miles indurat artus ſub dio, non in culinâ. Mali Duces & Tribuni, quorum miles nudipes ſtipem quærit, aut rapto vivit, helluantibus interea illis, ex hujus ſtipendiis. Ignavus e contra miles, qui Xerxem non ſequitur inter ſcabroſa rupium montiumque: aut Alexandrum in glaciem & nives: Aut Julium Cæſarem capite pectoreque diſcooperto, tam in æſtu, quam brumâ: Aut Adrianum Cæſarem viginti millia paſſuum uno tractu pedes conficientem. Magni Duces abhorruerunt ſemper corporis mollitiem & commoditates urbanas. Scipio in bello Carthaginenſi nullum animal toleravit in caſtris, hoc ſolo fine, ut miles non plures, quam ferre poſſet, ſarcinas ſecum veheret. Metellus, contra Jugurtham pugnans, proſcripſit, præter annonæ, omnes alios nundinatores, & fœneratores. Peſcenninus Niger omnem argenteæ ſupellectilis uſum in caſtris inhibuit, ligneo Scypho ipſe uſus. Ægrè ferunt neceſſitatem & belli incommoda milites, prius aſſueti deliciis & commoditatibus. Rudolphus I. Auſtriacus, cum ſemel commeatu deficeret exercitus, & ideo tumultuaretur; primus equo in agrum deſiliit, rapamque extrahens, ſpectante cætero milite eam palam comedit; & tumultum, compeſcuit inquiens: raparum eſum antiquiorem eſſe quam panis.

6. Altera corruptela eſt: *Otium â labore militari.* Quid enim otioſi milites, quam ſeditioſi? ex otio, ut ſtagnantes aquæ, cor-

corrumpuntur, perdurum illis videtur ab otio redire rursus ad laborem, inde murmura, & sæpè tumultus. Omne otium dissolvit disciplinam, & omnis quies diuturna, militi nocet. Finito bello Punico, otio diffluens exercitus Romanus, omnia sibi licere arbitrabatur, socios expilabat, Duces contemnebat; donec tandem eò audaciæ ac proterviæ proveheretur, ut & Tribunos plebis abdicaret, & novos sibi crearet Præfectos. Romanis plus nocuit Carthago eversa, quam adversa. Quam ob rem Scipio nunquam in eam sententiam suffragari voluit, ut Carthago devicta deleretur: quia prævidebat aut futura bella civilia, aut Romanorum inertiam, quia à nullo hoste occupabatur magis, & acrius Romana militia, quam ab Annibale Carthagine integrâ: hujus enim causâ descenderat Annibal in Italiam, & dormientem populum Romanum excitavit ad arma, quem prospiciebat Scipio, submoto æmulo, rursus relapsurum in vetus otium, Reipublicæ semper infestum. Præstat implicari difficili bello populum (præcipuè bellicosum) quam periclitari Rempublicam ex illius inertiâ.

7. Hibernum otium corrupit Hispanias in Belgio Legiones: Nam otii aliquid â bello nactæ Liræ & Mechlinæ, omissis durioris militiæ meditamentis, ad voluptuaria conversæ, nunc Maurorum, nunc Turcarum, nunc Indorum habitu, ut in Bacchanaliis assolet, sub oculis nobilium feminarum, hujusmodi spectaculis gestientium, comparebant, inde per immodicos sumptus ære alieno obnoxiæ, & ad paupertatem redactæ, ex seditione remedium quæsiêre; sed in tempore oppressæ luerunt cum magno suo dedecore exauthorationem publicam, ut pluribus refert Historicus de bello Belgico. Dec. 2. l. 10.

8. Otium militis interrumpunt boni Duces per continua militaria exercitia, ludicra certamina, frequentes mutationes stationum &c. quæ omnia alacrem reddunt militem, agilemque, & â ludicris ad seria promptiorem. Etiam per labores publicos, munitionum, viarum obsidionalium, cuniculorum, Loricarum viminearum, aggerum militarium, internorum receptuum &c. &c.

Dionyſius Syracuſanorum Tyrannus grave otium Regno ſuo â milite ratus, copias in Italiam trajecit. Romani, ut cauſam ex otio motuum civilium urbe ejicerent, Faliſcorum obſidionem, opus arduum, longi temporis & immenſi laboris ultrò ſuſceperunt. Aurelianus Imperator, nullum diem præterire paſſus eſt, quo non milites in aliquo laborum genere exerceret: ratus ejusmodi exercitatione vires potius refici, & indurari, quam laſſari vel debilitari.

9. A Veritate hoc Arcanum eſt: *Nihil agendo milites, malè agere diſcunt.* Hinc, ut obviarent otio, Reges Ægypti ingenti longoque labore conſtruebant pyramides; quemadmodum etiam armorum Duces, cum ab hoſte feriarentur, memoranda quæque extruxêre: â Corbulone inter Moſellam & Rhenum, foſſa cum ſuo aggere per viginti tria millia paſſuum ducta: Severus, ut Romanos à Britannis diſtingueret, nec perferret otiari exercitum, hujus operâ ab uno mari ad alterum provexit murum, ubi nunc Anglia per duo flumina dividitur à Scotiâ. Quanta operatus eſt per otium Druſus ad Rhenum, Probus Imperator in Urbe, Auguſtus in Ægypto, longum eſſet referre: Satis eſt dicere: *Quod miles otioſus grave pondus ſit Reipublicæ.*

10. Tertia corruptela fermè periculoſior ſuperioribus, eſt Belli Ducum *conniventia inſolentiæ militaris.* Nunquam militaris diſciplina vigebit, ſi Dux exercitus ſui ſuorumque favore quosdam milites de eâ diſpenſet. Trahent mox alii in exemplum tolerata aut impunita aliorum facta, non expenſis cauſis & rationibus, quæ aliquando licent, ſed ſemper non expediunt. Manlianis imperiis interdum opus eſt, ut contineatur in officio miles: vel Albanâ Ducis Toletani diſciplinâ, cujus exercitus ex Hiſpaniâ in Belgium trajecit, tantumque iter eâ diſciplinæ obſervatione confecit, ut non modò oppidorum nulli, ſed ne uni quidem ruſticorum caſæ, illata vis aut injuria memoretur, unico excepto facinore, quo equites ſclopetarii tres in aditu Lotharingiæ totidem verveces à grege vicino abegêre, qui ſtatim ab Albano Duce re compertâ, ſuſpendio damnati, ac pecudes remiſſæ ſunt.

Tam

Tam ſtrictè olim milites à rapinis abſtinebant, ut memoriæ prodiderit Scaurus, pomiferam arborem, quam in pede caſtrorum fuerat complexa metatio, poſtero die, abeunte exercitu, intactam plenamque, ut pridie erat, fructibus relictam. Extant leges Theodoſii & Honorii Imperatorum de diſciplina militari, in ſpecie Lex 5. eod. de Metatis & Epidemiticis: Ubi militi profiſciſcenti ſola hoſpitalitas conceditur, & quidem ſub hâc obſervatione, ut nihil ab hoſpite, quod vel hominum vel animalium paſcuis neceſſarium creditur, poſtuletur: omniumque ſit acceleratum iter atque continuatum, nec ulli liceat reſidere, ne diuturnitas manentium oppidis & prædiis oneri ſit. Decem liberarum auri multâ ferietur, quisquis militans, ſi ullo in loco ab hoſpite aliquid poſtulaverit; in tantum enim ſceleratum morem inhiberi jubemus, ut ipſis quoque præbentibus impunitum eſſe, non patiamur, ſi quid contra præceptum noſtrum probati fuerint obtuliſſe. Sed quid proficient leges, ubi earum aſſertores deſunt. Illi ipſi, qui in earum transgreſſores animadvertere deberent, colludunt cum his, & communiter in partem rapinæ vocantur. Et quod omnium peſſimum eſt, ſi convincantur transgreſſores de rapinâ, ab illis ipſis, qui rapinæ conſcii & participes fuerant, miſeri puniuntur. Ubi ab Officialibus & Præfectis militiæ dantur rapinis ſubterfugia, impunè tolerantur, raptoque miles vivit, nunquam ibi florebit diſciplina militaris, ſed difficilis obedientia, temperantia nulla.

11. Solvitur ſimiliter diſciplina, ſi, vel inſciis Præfectis, vel conniventibus, pars magna militum prædandi causâ divellitur ab exercitu, & vagari permittitur: Nam ejusmodi Libertini indifferenter omnia miſerè vaſtant, nec ſolum hoſti, ſed ſibi etiam futura alimenta ſurripiunt. Infimam plebem & ruſticos affligunt, ſegetes immaturas deſtruunt, & quidvis patrare non verentur, nullumque adeo (quod maximè miſerandum) inter amicos & inimicos diſcrimen ponunt. Memoriâ dignum egit Fridericus Palatinus Anno 1462. ubi captis Marchione Brandeburgico ac ejus Fratre Epiſcopo Metenti, Comite item Würtembergico, ac

in arcem abductis, ibique lautâ cæterùm cœnâ exceptis, panem interdixit: sed postulantibus illis panem, sapienter reposuit: in cautelam illis hoc imposterum esset, ne cum hostem petant, innocentes agricolas fame necarent, vastando segetes, corrumpendo fructus, succendendo horrea; quia licet bella gerantur, non ideò exui debet omnis humanitas, omnibusque Christianis communis charitas.

12. Ex prædandi aviditate sæpe periclitatur disciplina militaris, & exindè optimæ occasiones interdum dilabuntur. Immò præda ab hoste aliquando objicitur, ut incauti in insidias præcipitemur. Nunquam majori disciplinâ opus est, quam cum Duces cognitam habeant sui militis, vel in hostem, vel in prædam, plus æquo majorem aviditatem. Contineri tunc debet, non laxari, non cæco impetu ferri. Aviditas ad pericula cæcutit. Sicut parandæ prædæ, ait Polybius, aviditas facit audentiorem militem; ita ejus conservandæ studium timidiorem. Disciplinatus autem miles solam victoriam intendit, prædam inter accessoria reponit. Nimiâ prædâ exercitus onustus non facile proficiscitur, non expeditè pugnat, & ex levi vincitur, dum nimiùm prædâ distrahitur, aut distinetur. Extiterat jam Victor Maximilianus II. contra Mahumetem III. ad Agriam decertans, plurimis aut occisis, aut in fugam profligatis hostibus; Verum cum contra jussa Victoris pars major militis rapinis ac prædæ inhiaret; insolitus & Panicus quidam metus invasit prædantium animos, ut nullo insequente hoste ultro se in miserandam sine disciplinâ ullâ fugam conjicerent, pluribusque ab equorum calcaneo conculcatis, quam prius à Turcâ trucidatis.

13. *Disciplina acriter retenta sicut victorias, prædas opimas, immò ipsa Regna & imperia parare potis est, ita eâdem per ignaviam Ducum solutâ, turpiter deperdere valebit parta & obtenta.* Disciplinam, qui abjicit, ait Sapiens, infelix est: & vacua spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum. Quid verius, quid hoc clarius? Verba sunt veritatis æternæ. Omnes inutiles esse vires, frustraneum laborem & conatum, ubi disci-

plina

plina deeſt. Bonæ diſciplinæ regulariter fortitudo intùs, & foris Fortuna præſto eſt. Cum quatuor ſolum equitum millibus Julius Cæſar Ariminum transgreſſus M. Pompejum, Senatum Romanum, Romam & Italiam ſedibus ſuis expulit. Quod Plutarchus plurimum attribuit ejus diſciplinæ militari, quam in omni vitâ præ omnibus aliis colebat. Alexander Farneſius cum pauculis Hiſpanorum & Italorum bene diſciplinatis legionibus admiranda quæque in Galliâ, & majora quam Henricus Navarrus Rex Bellicoſiſſimus in proprio ſolo, & cum quadraginta millibus bellatorum, præſtitit. Bis Somonam & Sequanam duo flumina velut maria tranavit, trajecitque cum omnibus impedimentis & tormentis in conſpectu hoſtis triplo fortioris, eâque arte, ut, Neptuni inſtar, calcaſſe maria videretur. Ipſum Regem omnibus Galliæ viribus proviſum, cum pauco milite, eoque externo ab arctiſſimâ Pariſienſium obſidione retraxit, & in conſpectu illius, fruſtra obſiſtentis, Lunicaum oppugnavit & expugnavit: Corbolium uno tractu cepit, & regi pugnam obtulit: Lutetiam faucibus ultimæ neceſſitatis exemit: Rothomagum bis obſidione ſolvit: Ad Aumaliam fermè Regem cepit, in omni velitatione victor, ad omnes Regis adverſantis inſidias & conatus providè paratus: in alieno ſolo medius inter amicos ſuſpectos, (nam Ghviſio non fidebat) & hoſtes manifeſtos, ſolâ ſe ſuarum Legionum diſciplinâ, fideque & veteranâ, quâ pollebat, belli experientiâ, tuebatur. Sane providentia Ducis, armorum dexteritas, ſtationum firmitas, ſigna explicata, ordines in procinctu, acies ordinata, militum alacritas & obtemperantia, effectus felices ſunt, militaris diſciplinæ compenſaturæ omnem paucitatem militis expeditionumque pericula, virtute Martiâ & Fortunâ comite.

14. Omnis autem Diſciplina per duo conſervatur. Per *Correctionem & Providentiam*; quorum primum *pœnis*, ſecundum *ſtipendiis aliisque militi neceſſariis* perficitur. Duplex autem omnis pœna eſt militaris: una famæ, altera capitis: hæc ſupplicium, illa ignominiam infert. Ab omni ævo diſciplinæ bellicæ transgreſſio gravem pœnam tulit, quia in bello non datur bis peccare.

Roma-

Remunerationes sunt utiles, sed pœnæ necessariæ. Duo Mundi Numina, dixit Democritus, Pœnam & Præmium. Virtus sibi ipsa merces est & præmium. Malitia autem nisi contineatur metu pœnæ, perfringit omnia Justi & Honesti repagula. In bello, si non præmiantur emeriti, non tam delinquit Princeps aut Belli Dux, quam ille nomen amittit munifici: At, si refractarios & contumaces non puniat, nec obsequium, nec fidem speret ab ipsis, agat potius, ut paucorum periculo cadant omnia metu. Minus malum est, non præmiare merita, quam non punire scelera. Non commemoro Manlios, non Epaminondas; quorum filii, disciplinæ militaris, post optimè bello gesta, victimæ fuêre, non tam ex paterno odio, quam ex zelo justitiæ publicæ. Mitiores Principes expendo. Augustus Legionibus, quæ vel terga verterant, vel hosti locum cesserant, frumentum subtraxit, & hordeo cibavit. Eandem pœnam tulit Marcellus in eos, quorum signa in hostium manus devenêre; insuper eorum centurionibus militare cingulum interdixit. Spartani fugitivos à conflictu ad connubia non sinebant: & barbâ rasâ, vestituque stulto, ab omnibus ludibria & vapulationes ferre cogebantur. Sed nec redimebant etiam Romani, nec permutabant eos, qui ex propriâ vilitate in hostium manus devenêre: Ex Cannensi prælio fugientes, non amplius tellus Romana suscepit, sed relegati omnes, extra Italiam merebant. Solitum quoque illis erat, militem aut fide suspectum, aut constantiâ fragilem, aut valore segnem, aut fugâ reum in mortem decimare, vigesimare aut centesimare, ut ex horum supplicio discerent reliqui, aut vincere aut mori. Appius Claudius, re cum Volscis malè gestâ, centuriones virgis cæcidit, aut securi percussit. Parendi vero studium sub capitali pœna exigitur. Macrinus imperator Tribunum, quod eo modo, quem præscripserat, exploratores non emisisset, curru pedibus alligavit, ac per tota castra trahi jussit, usque dum toto corpore mutilaretur. Quantæ vero pœnæ maneant illos, qui munimenta, urbes, provincias & regna, vel per ignaviam, vel per ambitionem, vel per avaritiam, vel per sensuali-

ſualitatem (ad hæc enim omnia alia reducuntur) hoſtibus conſignent, facilè eſt à minoribus delictis ad extrema hæc argumentari. Hoc verò miſerandum, quod minora delicta ſæpè gravius, acerbiusque, quam maxima, ſub credulis Principibus puniantur.

15. Quemadmodum verò pœnæ conſervant diſciplinam in milite; ita exſolutio ſtipendii & præmium militare plurimùm coërcet illum à flagitiis & exceſſibus. Inopia ſiquidem adigit hominem ad extrema: fames major hoſte hoſtis eſt, quia internus; at ſupra neceſſitatem nulla vis fortior. Hinc ſicuti æquum eſſe videtur militis extremè indigentis, cui rarò aut tardè obtingit laboris merces, diſſimulare inſolentiam: Ita plusquam juſtum eſt, militem, cui ſua ſtipendia perſolvuntur, à rapinis & populationibus prohiberi, & prævaricantem ſevere puniri.

Eſt autem ſtipendium merces condigna militiæ, quæ militantibus, ſive in ære, ſive in commeatu, ſive aliis in rebus neceſſariis, juxta cujusque ſuum gradum & meritum à Principe penditur. Includitur etiam nunc & olim nomine ſtipendii, ut Varro & Vegetius tradunt, præmium militare: quod noſtro ævo rarius quam olim; ſi tamen facilius non immeritis, quam emeritis tribuitur. Miſero militi jam ſufficere debent (modò exactè darentur) arma, victus & amictus, præmium in populatione & rapinâ quærit: & hinc tàm modica diſciplina, & ſubditis tàm grave belli pondus, utrinque laceſſitis tàm ab hoſte, quam defenſore ſuo. Hinc verò verius eſt, æquumque, ut ſibi animo imprimant Imperantes:

16. *Diſciplinam militarem absque ſtipendiis conſiſtere non poſſe: absque diſciplinâ labefactari exercitus, optimisque progreſſibus viam præcludi.* Omnis ætatis monumenta hoc teſtantur. Unicum ex Belgio produco: Vetus ibi Hiſpani Regis militia erat, mille diſcriminibus probata, & ſi Romanæ fortitudini non ſuperior, certè par, niſi paupertati, alienâ culpâ extremè obnoxia titubare, aut planè deficere cœpiſſet. Alii flagi-

Dondinus lib. 3. tiosè (ait Alexandri Farneſii de rebus in Galliâ geſtis hiſtoricus,) ab obedientiâ deſciverant, defectionem alii per coitiones clandeſtinas moliebantur ; complures quaſi ſoluti obſequio, cujus merces non ſolvebatur, ſtationibus deſertis, errabundi vagebantur. Multò hæc, antequam acciderent, futura proſpexerat Farneſius, literisque denuntiaverat Regi, conteſtatus, niſi maturè ſubveniretur, ingens malum Belgicis Provinciis imminere. Eò quippe miſeriæ ventum ob egeſtatem publicam, privatamque, ut neque veſtes militibus, neque alimenta ſuppeterent. Quam ob rem relictis paſſim ſignis in remotas regiones, quoniam proximæ inopiâ, & ſolitudine ſqualerent, ad conquirenda vitæ neceſſaria excurrere cogebantur, non ſine periculo cædis ab hoſte, & cum indubiâ laxatione diſciplinæ. Tremit enim egens miles ad blanda promiſſa, quibus inopia & fames nec tollitur, nec ſublevatur, negat obſequium Ducibus, qui ſæpe abſumunt ex immodico faſtu alimenta, calceamenta, veſtimenta miſerrimi militis. Tandem turbantur ex deſperatâ ſtipendiorum ſolutione, & in publicos tumultus erumpunt, invitantibus tot ſeditionum exemplis, quibus conſtat communiter obtineri ſtipendia ex flagitio, quæ labore & virtute nequibant.

17. Profectò in totum laxatur diſciplina, diſſolvuntur & labefactantur exercitus, ubi promerita merces vel negatur, vel differtur militi, egeſtate laboranti, vel planè inediâ confecto. Adeò Imperantes duplex diſcrimen ſubeunt, cum ex metu ſolvere ſtipendia cogantur ſeditioſo & perduelli, quæ ex juſtitiâ nolebant fido & obſequenti militi. Illud autem acerbiſſimum eſt, quod interim ex ejusmodi tergiverſatione non ſolum animus militis avertatur à Principe, ſed etiam ex protractâ ſeditione vires creſcant hoſtibus, optimæ pereant occaſiones rerum gerendarum, & communiter ſequantur infelices eventus, & Reipublicæ exitium. Sunt, qui omnem confœderatarum Provinciarum à Rege Philippo amiſſionem uni huic malo attribuant *dilatæ* nimirum *ſtipendiorum ſolutioni* : adeò, ut aliqui pro miraculo duxerint, quod tot pecuniâ & commeatu vacuæ le-

legiones tamdiù durare potuerint. Non ſecus, ac ſi ſubductis fundamentis domus, aut ſucciſis radicibus arbor inſiſteret. Statim enim exorto bello Anni 1572. poſt deditum Harlemum ſtipendia inclamarunt Legiones; ſed id longè inſolentius biennio poſt, ubi illis multæ auri myriades numeratæ, & vix altero biennio ex acto Menſe Novembri, eandem civitatem locò ſtipendiorum crudeliter diripuerunt, deſertis munitiſſimis Hollandiæ oppidis, paulò ante magno molimine occupatis, ac rebellibus hoſtibus, qui tum viribus debiles erant, ultrò relictis. Horum impulſu & exemplo etiam reſiduus exercitus, nationesque aliæ ſæpè tumultuatæ, omnes progreſſus Regis & Principis, ſibi ipſis obices fami, ſtiterunt.

CAP. IX.

De Apparatu bellico.

1.

FRuſtra, cum jam dimicandum eſt, apparatus quæritur belli. Palmaris hîc error quamplurimos præcipitavit Imperantes. Ipſi prudentiores Barbari, quales Turcæ ſunt, *pacis* tempore bellum meditantur & arma parant, cum Chriſtiani invicem altercantur. Si hoſtis præveniat occupatos conquirendis neceſſariis, illicò metu univerſa turbabit, & quæ ex aliis petebantur locis aut expectabantur; itineribus præcluſis, vel avertet, vel impediet. Prudentia militari non in bello ſolum, ſed quam maximè ante bellum exigitur. Bello te para, mi Princeps! Non ſolâ virtute aut diſciplinâ bellum geritur: illa ſuccumbet, hæc ſolvetur, ſi cætera deſint. Univerſa quippe belli adminiſtrandi ratio conſiſtit fermè in tribus: *Apparatu* nimirum, *Viris* ſive *Milite*, *& actionibus ex arte militari gerendis.*

2. De primo nunc agam, quo referuntur res omnes ad belli uſum neceſſariæ. Bella maxima, non niſi maximo prius ap-

paratu, commeatus, pecuniæ, telorum, armorum, & exercitus noſtri, & ſociorum facto, rectè ſuſcipi & diù tolerari poſſe, tradit Polybius.

3. Et pecunia quidem primum Mobile eſt totius apparatus, & ſapientum fermè calculo, Nervus totius belli. Nemo in nervis læſus rectè ambulat; nec exercitus ullus ſine pecuniâ in longum progreditur. Auguſti tempora reſpicio; ubi ærarium militare inſtitutum, ut perpetuò, ac ſine difficultate, ſumptus ad alendos milites, proſequendumque bellum ſuppeterent. Centeſimam rerum venalium poſt bella civilia inſtitutam, deprecante populo, edixit Tiberius: *Militare ærarium eo ſubſidio niti.* Quantum agebantur Romani bello ſecundo Punico propter ærarium exhauſtum? quantum periclitabatur, niſi privatorum liberalitas publicam egeſtatem ſublevaſſet? Nam ceſſantibus Saturniis ſceptris in ferreo hoc ſæculo, eò res rediit, ait Tacitus, ut neque quies gentium ſine armis, nec arma ſine tributis & pecuniis haberi poſſint. Opus ſunt opes, nec ſine iis fiet, quod opus eſt ad Bellum. Livius teſtatur, Annibalem non modo largitionibus difficilia tranſiviſſe loca, nec Gallorum auxilia ſine pecunia conduci potuiſſe, eumque inopem vix penetraturum ad Alpes fuiſſe.

4. Diſcrepat Machiavellus lib. 2. de Rep. Cap. 10. exiſtimans, non in pecuniâ, ſed militum Ducumque virtute, belli nervum conſiſtere. Ferro bella geri, non auro: aurum ferro eripi: neque pecuniâ milites parari, ſed militibus pecuniam. Verum inane hoc argumentum eſt, quia pugnat cum experientiâ & graviſſimorum virorum ſenſu. Conſtat enim, res belli maximas concidiſſe ob pecuniæ defectum: milites abjeciſſe diſciplinam, ſeditiones concitaſſe, fidem corrupiſſe, integros Provincias continuis prædationibus deſolaſſe. Ideò, canon militare 23. q. 41. ex Auguſtino ait: *Militantibus ſtipendia conſtituta eſſe, ne, dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur.*

5. Thucydides refert Athenienſes mille talenta ad belli gerendi viciſſitudines quascunque ſepoſuiſſe. Belli occaſiones non ex-

expectant noſtram tarditatem. Collata, oportet, ut ſit pecunia, antequam bellum declaremus, vel ſuſcipiamus : Dux ille Magnus Farneſius ultro confeſſus eſt totidem verbis : Fateor, me ſæpius coactum fuiſſe contra leges belli apertè peccare, ex variis cauſis, ſæpius ſtipendia non erant mihi numerata, per quod vitium militum, ferocia & ardor, deſiit, coactus militarem diſciplinam ſuſpendere : ſæpè alimenta vitæ deerant, perierunt plures fame, quam enſe : ſæpè inſtrumenta bellica deerant, cumque numerus eorum quidem aderat, erant autem manca, nutila, lacera : imò parva ſæpè res multum incommodi mihi dedit, hoſti autem anſam præbuit, res Regis mei measque ipſas infrigendi. Unum erat ex parte meâ mihi valdè commodum, quod mihi erant decem millia aureorum, ad alendos exploratores. Flagrante jam bello non tutò, nec utiliter parantur arma; ſicut enim ad judicium, ita ad bellum inſtructum ire oportet. Non tempus eſt acuendi arma, cum illa infligendi tempus eſt.

Perdidit hoc Lacones, ubi jam bello impliciti, ut teſtis eſt Ariſtoteles, ſed nervo belli deſtituti, pecuniam primo in mutuum quærebant, cum manibus conſerendum eſſet. Protracta, aut planè negata, (quæ alias vigore matriculæ debentur,) ab ordinibus Imperii ſubſidia jam toties rem communem periclitari fecerunt. Multo commodius auro arcentur hoſtes, quam ferro; ac viribus in ipſo belli diſcrimine ſuſtinentur: & ex rerum uſu plerumque accidit, ut qui pecuniæ parcendo, remota pericula negligere, contemnereque ſolent, incumbentibus demùm malis, deſperato ſæpè remedio, graviora detrimenta ſentire conſueverunt. Ammirati arcanum verè politicum eſt. *Quicunque diuturnam rei alicujus durationem deſiderat, is nihil eorum, quæ ipſum adjuvant, fulciuntque omittere, ſed ſingula ſtabilire decet. Neque enim Regnorum pax & conſervatio, ſine adjumentis &c. quam plurimis haberi queunt. Proindè niſi certos reditus aliquos militibus alendis, qui te, ditionemque tuam armis tueantur, deſtinaveris, de toto tuo ſtatu nunquam non ambiges.*

6. Ad apparatum deindè bellicum *annona* neceſſario ſpectat. Ubi hæc non eſt, aderit mox domeſticus & intrinſecus hoſtis, qui ſine ferro pugnabit & vincet. Annonæ defectus in neceſſitate remedium non habet, prius recondi debet, & pacis tempore colligenda, quæ in belli caſu ſufficit omnibus. *Venter præcepta non audit; poſcit, appellat.* Quia difficillimum eſt cum naturâ & hoſte ſimul certare. Vix diſciplinam militarem jejunus exercitus perferre valet. Verba Onoſandri Strategi ſunt: Milites ſobriè pranſi, ſolent eſſe in præliis fortiores. Nec rarenter profligati ſunt exercitus, deficientibus nimiâ eſurie viribus.

Miles famelicus ſeditionem facilè movet, breveque illius Ducis imperium ominor, cujus culpâ caret exercitus rebus neceſſariis ac commeatu. Alexandri Severi memorabile dictum refert Fulgoſus: militem benè veſtitum, caligatumque ac ſaturum, & ſiquid præterea nummorum in baltheo geſtaret ſecum, ſemper Imperantis dicta audientem fore.

7. Cum igitur ob annonarium defectum tanta pericula immineant, æquum eſt, & inprimis expedit, ut belli Duces ſibi, ſuoque exercitui de commeatu provideant, nec hiberna (citra tamen ingentem neceſſitatem) tempeſtivè ſolvant. Præſtabit quoque civitatem ſeligere commeatibus ſupplendis opportunâ, nec tale oppidum à tergo relinquere, quod vehendo commeatui nocumento ſit. Ideò Scipio in Hiſpaniâ Carthagini occupandæ inſtitit, quia præter cæteras opportunitates horreum illa hoſtium videbatur. Et quia bellum ſæpè longius protrahitur, ſolebant Romani, & etiamnum providi faciunt Principes, ut commeatu unius anni ſemper habeant repoſitum in uſum belli, præſertim obſidionibus longis. Undè utiliter datur etiam acceſſus in caſtra fœneratoribus annonariis, quos ideò æquum eſt
2. Reg. interdum ferre, ut communi annonæ parcatur. Iſraëlitæ olim decem viros eligebant è centum ex omnibus tribubus Iſraël, & centum de mille, & mille de decem millibus, ut comportarent exercitui cibaria: tanta multitudo hominum non erant tàm annonarii Præfecti, quam potiùs pabulatores, qui hodiè ſtudioſe

se committuntur ad uberiora loca, ut pabulum equis & hominibus procurent : quibus autem valida militum manus in subsidium jungenda, ne ipsi pabulatores hosti in pabulum internecinum cedant. At semper speculatores antecedant, ut, si quid periculi impendeat, certis signis indicent. Interim satius erit, locum castris interdum mutare (nisi quid aliud gravius impediat) quam pabulo & re frumentariâ longis, aut periculosis, durisque subvectionibus laborare. Uti laboravit Philibertus Sabaudiæ Dux, Anno 1557. in Belgio, non aliud difficilius, quam commeatus advecturam expertus.

8. Verum, quemadmodum inter militaria arcana de commeatu sibi prospicere, necessarium utileque est, ita hostem eo privare, fameque aut siti vincere longè majorem, quam si armis concurratur, meretur encomii gloriam. Quo minus enim, Lib. 13.
ait Ammiratus, res nostras fortunæ arbitrio subjicimus, quovè minus sanguinis nostrorum effundimus, eò nos major gloria manet. Qui autem rem ita instituit, ut sibi victus sufficiat, & hostem inopia frangat, jam victor est. Brisacum munimentum invincibile, sed commeatu improvisum, à Duce Vinariensi non tàm armorum vi expugnatum, quam fame ex inopiâ commeatus confectum fuit. Hugonotti, qui Rupellam asylarem hæreseos Urbem, tuebantur, ex inopiâ rei frumentariæ usque adeò laborare fame cœperunt, ut nec humanis carnibus, nec sepulchris parcerent, semet cum Urbe Ludovico XIII. dedidere. Cyrus abducto Euphrate invictam Babylonem plenamque immensis divitiis, ex Orbis miraculo fecit sitis ludibrium. Tyrus, Hierosolyma, Byzantium eandem subière necessitatem. Palàm sunt in omni mundi plagâ vetera recentiaque præcipitia maximarum Urbium, munimentorum & exercituum, quæ ex inediâ, siti, & commeatûs neglectu turpiter evenêre. Inopiæ plerumque desperatio conjuncta est. Annonæ penuria machinam firmissimam ad urbium expugnationem esse, dixit Nicetus: Julius autem Cæsar dicere solitus : sibi idem esse consilium adversus hostem, quod plerisque medicis contra morbos corporum,

rum, fame (quam Diætam dicunt) potiùs, quam ferro superandi.

Interim nunquam periclitati sunt fame, qui frugalitatem inter copiam servarunt. Ut favem sitimque non patiaris, maturè futuro malo obviandum parsimoniâ, patientiâ, frugalitate. Non est necesse helluari militi, ubi prandere sufficit. Parabile est, ait Seneca, quod natura desiderat, & expositum cum lautiora nequeamus, sat sit, quod ad manus est. Fames cibi optimum condimentum, redditque omnia dulcia, præter seipsam.

Cap. X.

De Milite.

1.

TOtum hoc de milite caput ad duo revoco, *Delectum & Exercitium.* Romani in subitaneis motibus gemino sanguinei cœlestisque coloris vexillo ex Capitolio appenso, sola Ducis voce (*qui vult salvam Rempublicam, me sequatur,*) ad arma convocabant militem; seque iste colligebat pedes sub vexillo cæruleo, Eques sub roseo. Alterum modum describit Livius lib. 11.: Ubi res moram patiebatur, aut pro tribunali sedebant Consules, aut in foro positis sedilibus, singulorum civium nomina citari jubebant, ita ut citati ad nomina responderent, seque militiæ, nisi alia prægnans causa foret, dederent: si qui emanerent, ut proditores libertatis habebantur.

2. Hodiè quia triplex ferme militia est, præsidialis, provincialis & campestris sive castrensis; sua quæque suo modo ad bellum vocatur. Præsidialis vel tubâ, vel tympano, vel campanâ, vel tormenti ictu. Provincialis plerumque per literas circulares sive Patentes, aut Programma publicè affixum, vel alio consulto Provinciæ more. Campestris sive castrensis verò (quæ vera & regularis militia est) conscribitur per emissos officiales, qui à Principe

cipe acceptis credentialibus publicè tubâ vel tympano ſignum edunt, & ut viri liberi, militiæ nomina dent, hortantur, alliciunt, ac interdum ſemi cogunt. Emunt iſti ſæpè militem, non legunt, & ideò purgamenta urbium, hominesque flagitioſiſſimos, qui numerum ſolum faciunt, nulliusque frugis ſunt, conſcribunt. Germania reipsâ diſcit, & in aſſiduis exemplis, nihil collectitium & ſubitum militem eſſe, hoſpitibus tantum metuendum, non hoſti. Quoties ad ſolum adventantium hoſtium ſtrepitum & clamorem, ab ejusmodi galeatis leporibus; caſtra deſerta, & pugnæ infeliciter commiſſæ fuêre, notorium fermè eſt.

3. Interea Reipublicæ inutile non erit, civitates â furibus, ſicariis, ganeonibus & perditis hominibus hoc pacto, ut ad militiam cogantur, ac inter veteranos multos, pauci ponantur, habeanturque in virgâ ferreâ, donec mores ſuos flagitioſos perditamque vitam converterint in fortitudinem militarem, purgare & evacuare.

Id olim in Athenienſium laudabiliter fecit Reipublicæ Pericles, qui ut eam levaret ab improborum ſentinâ, inſtruxit interdum claſſem & abduxit pernicioſos patriæ.

4. Igitur in delectu militum ad quinque advertendum: *Patriam, ætatem, corpus, animum, vitam.*

Conſtat in omnibus locis & ignavos & ſtrenuos naſci. Sed tamen & gens gentem præcedit in bello, & plaga cœli, ad robur non tantum corporum, ſed etiam animorum plurimùm valet, ait Vegetius. Septemtrionales autem ſuadet, utpote à ſole diſtantiores, & ideò magis ſanguineos, aptioresque bello. Quanto cœlum aſperius, tanto & corpora duriora. Segnior eſt urbanus & verna. De cubiculo ad aciem, de umbrâ egrediens ad Solem; corpus aſſuetum tunicâ, loricæ onus non ſuſtinet; caput opertum linteo, galeam recuſat, molem otio manum, durus exaſperat capulus: fortior autem miles, ex confragoſo venit. Septemtrionales ipſo terræ ſuæ ſolo, & cœlo, acrius animantur. Gentem ruſticam ad militiam præ cæteris admittit Vegetius, utpote ſub dio & in labore nutritam, deliciarum ignarum, parvo contentam, S. Hieron. ad Theod.

tentam, duratis ad omnem tolerantiam artubus, cui geſtare ferrum, foſſos ducere, onus ferre conſuetudo. Interim omnes Europæ populi ex tam longo continuoque armorem uſu, ſe ita ad bellum habilitarunt, ut quoad patriam magnum in delectu obſervare diſcrimen, vix neceſſe habeatur. Carolus V. ſapientiſſimè diſtinxit & propriâ experientiâ edoctus ita formavit exercitum, ut corpus humanum. Caput attribuit Italis, pectus Germanis, brachia Hiſpanis, ventrem & pedes aliis promiſcuè Europæ nationibus.

Patric. de Reg. inſtit.

5. Porrò *Domeſticus & patrius miles externo & mercenario ſemper præfertur, ſi ille ſufficiens, & exercitatus ſit.* Vera mihi Cæſaris Galbæ ſententia eſt, qui dicere ſolebat: Optimum eſſe milites deligere, non autem emere. Tunc autem Principes militem emunt, cum ex civibus ſuis non habent, quam conſcribant, & exercitum conducere coguntur. Mercenarii militis fides ex fortunâ pendet, quâ inclinante eò inclinant, quo illa. Externi non diu jacere poſſunt in uno latere, ſicuti itinerantes in lectis hoſpitum, quibus non ſunt aſſueti. Auxiliares conducti ex diverſis locis, nec diſciplinâ inter ſe, nec affectione conſentiunt. Sine pudore flagitii ſine curâ Ducum in ipsâ etiam pugnâ abeunt, fugiunt; graves incolis & amicis, omnia tanquam externa exiſtimantes vel hoſtium, urere, vaſtare, rapere conſueverunt. Luxum deinde, otiumque cupiunt, diſciplinam & laborem averſantur; non juberi, non regi amant, ſed cuncta ex libidine agere.

6 Verum, ut ſuperius dictum eſt, non ſemper omnia poteſt patrius, & domeſticus miles: tunc mercenarii quidem utiles ſunt, præſertim quando major vis & neceſſitas ingruit: nec patrius miles ſufficit. Sed tamen ſemper cavendum providis Principibus; ne ita externis credant auxiliis, ut non plus ſui roboris, ſuarumque propriè virium in caſtris habeant. Nam mercenarii iſti ſive auxiliarii, ſi ex gente bellicosâ aut æmulâ ſunt, vix ſincerè opitulantur, ſed potiùs, ut æmulam gentem, vel hoſti tradant, vel ejus portus, aditus, & munimenta cognoſcant, & quantæ illius opes ac facultates ſint, perſpiciant, ſicque ex opitulato-

tulatoribus primum ſpeculatores, deinde nacta primâ occaſione, futuri oppugnatores. *Vires & robur exercitûs è domeſticis eſto, nec corpus exteri faciant, ſed membra.*

7. Xenophon in Cyropediâ ætatem militarem eam vocat, quæ adoleſcentiæ annis continetur ab Anno videlicet decimo ſeptimo usque vigeſimum. Polybius autem de Romanis refert, quod ii præſtituto die ex ſingulis legionibus deligebant minimos ætate fortunæque perquam tenuis in Pilanos: iis adultiores, in eos, quos haſtatos vocant: Ætate ac robore præſtantes in Principes: natu maximos in Triarios: tot enim ac tales ſunt apud Romanos differentiæ tam appellationum, quam ætatum. Aliàs *Lex à quinquageſimo anno militem non cogit.* Medium eſt, ſi nec pueri, nec ſenes ad caſtra vocentur.

8. Conſtitutionem corporis in milite deligendo deſcripſit Vegetius, ut ſit vigilantibus oculis: erectâ cervice, lato pectore, humeris muſculoſis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modico, ſuris & pedibus non ſuperfluâ carne diſtentis, ſed nervorum duritie collectis. Alii bellicoſum illum militem ajunt, quem nervoſum tulit mater: qui ſudo & udo cœlo aptus eſt: qui famem pro condimento, naſturtium pro cibo, humum pro cubili, arbuſtum pro tabernaculo habet. Gloriabatur Atleas Rex Philippo objiciens: tu quidem imperas Macedonibus bellandi peritis, ut ego Scythis, qui & cum fame & ſiti pugnare valeant.

9. Verum quid hæc ſunt, ſi animus deſit? iſte in mediocri habitudine corporis operatur maxima, ſi magnus eſt. Illi mihi veri milites ſunt, qui ad ſuſpicionem vulneris non palleſcunt, verum cruorem ſuum audacter inſpiciunt. Quibus vincere aut mori idem eſt: qui malè audire maximè verentur: qui ad Ducis viſum in ipſa præcipitia ruunt: qui hoſtem inſequuntur fortiter, non ad ſarcinas heluantur viliter: qui ſe hoſti metuendum faciunt, non hoſpiti: qui denique nihil metuunt, niſi turpem famam, & magis optant in prælio cædi, quam in fugâ ſalvari.

10. Olim ſe juramenti vinculo obligabant milites, quod ſtarent pro Reipublicæ ſtatu, quod in acie non fugerent, & quod

vitæ propriæ utilitatem publicam præhaberent. Olim periculi, quam moræ patientiores erant: parendo potius, quam imperia Ducum ſciſcitando res maximas agebant: Mediâ in pace ſine ullo hoſte decurrebant, valla firmabant, corpus labore laſſabant, & in ipsâ ſecuritate ſe ad difficilia præparabant. Nunc vero (o tempora! o mores!) abolitâ prorſus vetere diſciplinâ, nusquam majus otium, & licentia, quam in caſtris reperitur, in potationibus & ebrietatibus, non in haſtiludiis & dimicationibus exercetur miles, marceſcit potius crapulâ, quam in robur vegetatur: calamitatibus inſontium explet avaritiam: nullum inter hoſtes & amicos diſcrimen ponit; ad juſſa Ducum ſegnis, ad laborem iners, cuique primo periculo ſuccumbit. Vanis & inanibus magis, quam juſtis formidinis cauſis movetur: diffluit per ſocordiam, vel diſcordiam, cum in expeditionem jubetur: inter vina decantat victorias & totos deglutit Alexandros: cum ſtat in acie non de pugnâ, ſed de fugâ meditatur, in hibernis faſtuoſus Leo, in præliis tremens lepus. Non iſtos voluit Annibal, non Scipio, non Julius Cæſar, qui de ſe ipſo in libro ſexto de Bello Gallico ſcribit: *Cæſar non minus in milite modeſtiam & continentiam, quam virtutem atque animi magnitudinem deſiderabat.* Honeſtas idoneum militem reddit: verecundia dum prohibet fugere, facit eſſe victorem, ita ſcribit rerum militarium expertiſſimus Vegetius lib. 7.

11. Genus quoque vitæ in militis delectu expendi debet. Quia Gratianus, Valentinianus & Theodoſius Imperatores publico reſcripto caverunt: *Inter optimas lectiſſimorum militum turmas neminem è numero ſervorum dandum eſſe decernimus, nevè ex caponâ ductum vel ex famoſarum miniſtris tabernarum, aut ex coquorum, aut piſtorum numero, vel etiam eo, quem obſequii deformitas militia ſecernit, nec tracta de ergaſtulis nomina.* Dio ſcribit, quod Antonius Octavius & Lepidus triumviri de quodam ſervo inter militiæ conſcriptorum tabulas, deprehenſo, ita ſupplicium exegerint, ut de rupe capitolinâ dejiceretur. Multo enim plus adferebat antiquitùs dignitatis, res militaris, quam

juris

juris civilis gloria, quæ infames & ſervos à ſui participatione excludit.

12. Aliud tamen ſæpe ſuadet neceſſitas, quæ facile non diſtinguit inter bona & mala, inter turpia & honeſta, ſed præſenti tantum diſcrimini intendit. Sic poſt Cannenſem cladem M. Junius Dictator deſperato prope Reipublicæ ſtatu, ex iis quoque, qui capitalem fraudem moliti, quique judicati in vinculis eſſent, noxâ pecuniâque exſolutis ſex millia conſcripſit. Sic bello Punico ſecundo, aliam novi delectus rationem, ut teſtatur Livius, inopia liberorum hominum, ac neceſſitas dedit. Octo enim millia juvenum validorum ex ſervitiis, prius ſciſcitantes ſingulos, vellentne militare (unde Velones appellati, qui ſinguli reſponderunt volo) empta publicè armaverunt. Quales autem hodie, præſertim ubi Tribuni non invigilant in emiſſos officiales ſive conſcriptores, qui magis ſuum quæſtum quam militiæ decus aut Principis commodum procurant, milites conſcribantur, comprimendum magis, quam dicendum eſt. Solum Vegetium lib. 1. c. 7. allego: *Nunc tales*, (inquit ille,) *ſociantur armis, quales Domini habere faſtidiunt: Adeo, ut quidquid usquam corrumpi, & corrumpere queat in illis verſetur.* Hæc de delectu militis.

13. Jam ejus *Exercitationem* aggredior, à quâ pendet tota ſumma belli. *Quales enim ſunt milites, tales & militiæ ſolet eſſe fortuna.* Non longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, ſed continua exercitationis diſciplina. Poſt quanta volueris ſtipendia, inexercitatus miles ſemper eſt Tiro. Romana Reſpublica pacis etiam tempore alebat armatas militias, quæ armorum quotidiano exercitio ad bella ſe præparabant, ut ingruente hoſtium neceſſitate ab eâ Rempublicam defendere potuerint. Nihil enim vero neque firmius, neque felicius, neque laudabilius eſt Republicâ, in quâ abundant milites, cives, ac ipſi coloni in armis exercitati. Exercitatio illa dimicandi nutrit audaciam, in iſto ludicro certamine exercitata paucitas præludit futuris conflictibus, & in hoſtes audentior, victoriæ cupidior redditur, quam rudis & indocta multitudo expoſita ſemper ad

Veget. l. 5. A. de remilit. l. 15. c. eod. l. 31. c. de locat.

cædem. Et vix credibile eſt, quantum exercitium in milite poſſit? acuit namque ſpiritus, firmat artus, metum excutit, bellum impatienter expectat, ad ictus eminus cominus dandos & excipiendos aſſuefit, hoſtem non curat, ſpe victoriæ lætatur. E contrariò certum eſt milites non exercitatos contraria his omnia paſſuros: Bellum fugient, ad conſpectum hoſtis exhorreſcent, metu torpeſcent, fugam meditabuntur, de victoria deſperabunt.

14. Methodum autem hujus exercitii indigitat Onoſander ſtrategicus capite 10. Diſponantur ſinguli milites in armis, illisque præcipua curarum iſta ſit, aſſiduo uſu permanere in ordine, ut aſſueſcant de facie & nomine ſeſe invicem noſſe. Item, ut diſcant, quis progredi debeat, quo imperante, quo loco, quot ſociis comitatus. Denique vel leviſſimo nutu & ſigno adſtent in ordine ſinguli. Tum vero doceantur agmen producere, contrahere, inclinare in lævum, in dextrum latus, manipulos traducere, dividere, condenſare, vel etiam vicibus alternis accedere, recedere. Itemque aſſuefiunt aciei diſtributionibus & diſpoſitionibus, ſive in phalangem componenda ſit acies, ſive confertim colligenda, ſine longâ ſerie protendenda, ſive ita, ut poſtremi adverſus circumvenientes obverſo vultu prælientur, pugna biceps, ac bifrons pugnanda, ſive etiam receptui ſigno audito, ſecedendum. Deinde exercitu jam inſtructo commiſſos & compoſitos Ordines producat belli inſtructor, ut pugnam ſine ferro, & ſanguine fictis jaculis depugnent. Deſignet quoque illis colles, cacumina & ardua loca conſcendere, tum etiam ſubmittat cum telis alios quosdam, qui illos exturbare contendant, eosque laudibus efferat, qui fortius obluctabantur, vel qui alios deturbabant. Non deſunt alii quamplurimi modi exercitandi militem, cuique nationi & populo proprii & ſoliti. Omnes referre dies deficeret, hoc unicum ſubjungo: *Milites nunquam animos ſubitò ad arma erigunt, niſi qui ſe ad ipſa idoneos, præmiſſâ exercitatione, diſponunt.* Deinde *minùs conſtat Regnantes, ſuos populos armis exercitare pacis, quam belli tempore peregrinos milites mercari.*

15. Exer-

15. Exercitationi proxima est lustratio, ubi milites ad certum convocantur diem, & à Commissariis ad id instructis, utiliter etiam præsente Principe, explorantur eorum animus, fides, ætas, habitudo corporis, arma, vestitus, & omnis denique militaris in equite vel pedite apparatus. Inepti rejiciuntur, ætate graves exauthorantur, fracti corpore, aut curantur, aut aliò destinantur: Suspecti perfidi segregantur, puniuntur: Absentibus & demortuis alii substituuntur &c. &c. Denique *paucos ex plebeis viros fortes natura procreat, sed bonâ institutione plures reddit insignes & fortes industria.*

CAP. XI.

De re tormentariâ.

1.

ARs sæpe cedit hominibus in ruinam. Natura olim docuit artem, posterioribus ævis ars imperat ipsi naturæ. Imitabatur olim sagacitas artis, naturæ vivacitatem, ut Zeuxes in suâ vite, Appelles in suâ Venere, Archita in suâ columbâ, Memnon in suâ statuâ, Archimedes in vitreâ cœli sphærâ, & centum alii Artifices: At qui rem pyromanticam invenit, qui ferro & plumbo ac ipsis petris alas addidit; qui Vulcani ignes, non ut è cœlo Prometheus, sed ex Acheronte in mundum invexit, non imitatus est naturam, sed in ejus ruinam contendit, eamque offendit, & pessum dedit.

2. Verum hoc Artis portentum, non solum naturæ infestum est, sed etiam cadit in opprobrium fortitudinis, & Heroicæ virtutis. Rarò nunc umbo umbonem pellit, rarius conseritur manibus, prostituitur virilis fortitudo, & ignaviam supplet ignis. Olim machinæ parabant aditum ad victoriam & amplissimas possessiones urbium ac munimentorum: nunc autem ars tormentaria non tam parat aditum, sed fragore suo destruit præmium victo-

victoriæ, relictis post se, sive in prædam, sive in mercedem, tantum ruderibus; ut vel ex hoc conjicere liceat, quantum hoc bellandi genus absumat tam hosti, quam Victori! Quid? quod gigantem globulo feriat pusio; & exiguus miles Heroëm maximum ævoque majore dignum, prosternat, ut factum Magno Gustavo aliàs invicto Regi Sueciæ, & Condæo Principi, quem aliquando Martem Galliæ dixêre. Tanti Heroës & quasi semi Dei ab ignaviſſimo forsan milite magis fato, quam arte trajecti! Quis non reformidet ignem hunc feralem, omni ferro crudeliorem, cui omnis humana fortitudo impar est? Adversus hunc ignem nemo se ex lege prudentiæ, aut viribus suis, licet Samsonis essent, tueri potest, nisi cum fugâ, quæ autem in bello turpis est. Et quod feralis iste ignis non omnia semper absumat, vel non pertingat omnes, error potiùs est artificis, quam defectus artis vel virtutis pyromanticæ. Eò denique provecta est ars pyromantica & res tormentaria, ut illi nihil amplius impervium, impenetrabile, aut inexpugnabile est: quodve olim agebatur ferro & coram, nunc agi soleat igne, & ex insidiis.

3. Inventum Pyromantiæ attribuitur cuidam cuculato monacho (uti aliqui existimant) secundùm alias cuidam Chymico cognominato Bertholdo Schwarzio, viriſimilius est, ex dictamine, ut creditur Dæmoniorum potiùs, quibus genus humanum in odio est, quam ex instinctu Angelorum lucis, qui nuntii pacis sunt. Certè Chinenses, apud quos pyromantia ante Christum natum mille ferme annos viguit, à maligno spiritu prima eorum Regi Viteio adversus Tartaros, (eorum olim hereditarios hostes) dictatam fuisse, ipsi fatentur. Ideò exsuperat longè omnes antiquas Romanorum machinas, arietes, balistas, catapultas &c. quæ umbra tantum, & inane quid fuêre, in comparatione modernæ pyromantiæ. Archimedes apud veteres celebrabatur, quod vitrea quædam specula inveniſſet, quæ cum Sol percuſſiſſet, flammas concipiebant, & naves procul positas adurebant, ut ille egregiè Syracusis præstitit. Sole non indigemus in nostris tormentis, reboant succensi tino igneo, ut cœlum ruere & terra

terra concuti videatur? nugæ sunt vitra illa ad nostras Bombas, quæ in altum emissæ, tanto fragore impetuque cadunt, ut obvia quæque penetrent, disperdant, obruant & subvertant. Risum moverent jam, celebres illi antiquitùs cuniculi, quos agebat Cæsar ad invadendas urbes, comparati ad nostrates Minas, sive subterraneas fossas, quæ ubi pulvere Mulciberis, saleque nitri repletæ, accensæque, maxima propugnacula, & plane totas arces, â fundamentis subvertunt, Veneti primi usi sunt tormentis & bombardis contra Genuenses ad fossam Clodiam Anno 1380. ignorantibus plane istis, quo teli genere tanta multitudo eorum hominum aut periret, aut graviter mutilaretur. Unde Poëta ille:

Mulciber ostendit mortalibus acre venenum,
Quo nullum letho corpora plura dedit.

4. Usu autem compertum est, bella citiùs finiri, civitates commodiùs expugnari, hostem à locis munitis faciliùs propulsari, & quod supremum est, militantium vitæ plurimùm caveri, ubi Ars pyromantica viget, ac tormentorum, Machinarumque igneárum ratio habetur. Proximis sæculis, ubi adhuc Barbaris occultior erat Ars pyromantica, magno præsidio fuit Christianis tormentorum ac sclopetarum usque contra Christiani nominis infensum hostem Turcam & Tartarum. Centuria sæpe una nostrûm, myriades illorum in fugam vertit. Nequibant sufferre tormentorum tonitrua; non ferrearum fistularum globulos, qui quantumcunque modici, semper ferales sunt; & cum igne spuunt mortem in hostes. Vienna certè salutem suam habuit ab hâc arte sub Carolo V. repulso inde Solymanno cum bis centum millibus obsessorum, infestatis nocte diùque ex urbe tormentorum, ac missilium igneorum fragore; ut observatum merito sit, longè diuturnam ab irritâ hâc Solymanni oppugnatione, in Cæsarea illa urbe serenitatem, nunquam deinceps usque ad nostra tempora, ulla densiore Barbarorum obsidentium nube infectam, illius tormentariæ fulgurationis virtute, proveniisse.

5. Verum pessimo nostro fato, & Christianorum quorundam inabsolvibili perfidiâ hæc ipsa ars Pyromantica (nostrum uni-

cum contra Barbaros præsidium) in Asiam & Africam, gentesque barbaras translata est in nostram necem ; eo successu, ut in eâ nobis, si non præeminere, pares esse videantur. Leges humanæ condemnant hos ad ultimum supplicium, leges autem sacræ severissimis censuris planè segregant ab ovili Christi & omni consortio Christianorum: præponderat nihilominus magis apud illos auri cupido, quem flagitiosæ mortis & gehennæ formido.

Illud verò deterrimum est, quod ipsi aliqui Christiani Principes ex livore & æmulatione inducti, contra alios Christianos Principes eorumque populos, ejusmodi feralia non tantum suggerant Barbaris, sed plane illis submittant homines in arte peritos, Pyromantas, machinatores bellicos; apparatum ipsum tormentarium, tubos furcillis librari solitos, sclopos, fistulas ferreas, & quidquid homicidiale excogitari potest in commembrum suum, Christianum nimirum uno eodemque Chrismate unctum & signatum. Indigitare hæc possem, sed supersedeo rei fermè notoriæ.

6. Ad propositum redeo. Præ omnibus ad rem tormentariam & pyromanticam conservandam opus est armamentario; quod inter Regia & publica ædificia computandum. Situatur autem plerumque in extremitate Urbium aut munimentorum, ne offendiculo sit aliis ; nevè aut ex illo Urbs, aut illud ex Urbe discrimen metuat. Hîc omne armorum genus, omnis apparatus bellicus, & omnia Vulcani fomenta salpetrum, sulphur, pirobolarius pulvis, limum, sed præcipuè obsidionalia & campestria tormenta, Machinæ militares, pylocolastra, aliave Martis suppellex diligenti curâ & Ordine reponuntur, adhibitis ad hoc munus expertis Magistris, Pyromantis, fabris, aliisque rerum conservatoribus. Reipublicæ salus & necessitas non minus publico armamentario opus habet, quam Ærario. Illa vulgo Arsenalia vocantur, forte à Veneto cognominata, apud quos Armamentarium Arsenale dicitur. Præstat fermè hoc in Europâ magnitudine & commoditate potius loci, quam raritate armorum ; æquat enim in circuitu civitatem sat magnam, con-

continetque multa & rara, quæ apud alios Regnantes majora & rariora vidimus, ſed diſperſa magis in pluribus, hinc indè armamentariis.

7. Tormenta varia ſunt, obſidionalia ſive muralia maxima, majora & minora; campeſtria, ſerpentina, Spingardæ, Falcones, Baſiliſci, Mortaria, pylocolaſtra &c. &c. Quorum omnium vis non ſolum magna eſt in obſidionibus & expugnationibus Urbium & munimentorum, ſed etiam in prælio & caſtrorum ſtationibus, in acie denique & fluminum tranſitu, ad hoſtem vel loco movendum, vel confundendum. Sic Alexander Farneſius Sequanam latiſſimum incertumque vorticibus flumen cum valido exercitu tranſiturus in utrâque ripâ confecto ſuggeſtu tormenta diſpoſuit, eâ felicitate, ut nec Holandica claſſis Vadum transeuntibus impedire, nec Regis Navarri Legiones ripam, à tempeſtate pilarum injecto terrore, accedere auderent. In obſidionibus tormenta vero dummodo ſeriò adhibeantur, & ex arte fideliter diſponantur, vix amplius dubium faciunt expeditionis eventum, præſertim hoc ultimo ævo, ubi invincibilia olim & impenetrabilia jam de facili penetrantur, vincuntur & velut leviora plumis per aëra diſſipantur. Valenzena ſitu & arte inexpugnabile munimentum intra 4. horas tormentis quaſſatus ſe ultro dedit Margaritæ, Belgarum Gubernatrici Regiæ; ſed quia non mox in conditiones itum, tenuit oppugnatio triginta & 6. horis, feruntque ter millies explosas fuiſſe machinas murales; hinc mœniorum ruina & rudere complanata foſſa viam aperuit obſidentibus occupandi munimentum ſine conditionibus. Magnum quidem hoc tunc erat: ſed majora ſine comparatione audet nunc Ars Pyromantica, & videtur jam Vulcanus apicem attigiſſe perfectionis, ut toti Europæ palam patuit in incineratione magis, quam expugnatione Namurcenſi, Landavienſi, ac multis aliis & præcipuè, quæ proximis menſibus in Sabaudiâ à Gallis patrari audivimus. Ob defectum rei tormentariæ obſidiones vel in longum protrahuntur & inaniter miles conſumitur, vel planè fruſtrantur, & ab iis

cum ignominiâ & damno receditur : Ex hâc causâ prima expeditio contra Budam Noſtris malè ceſſit ; quia nec tormentorum muralium ſatis , nec navium , neque incendiarii pulveris, quantum oppugnationi opus erat , allatum : interea milite ſenſim ſe victu & amictu conſumente, ultimum flagellum ab humidioris aëris tempeſtate tulit.

8. Verum non ſolum ad muros & mœnia inſigniter operantur tormenta, ſed etiam in campo jam ex uſu utiliter adhibentur. Cœptum hoc primum omnium in bello, quod adverſus Mediceæ familiæ Principatum à Florentinis exulibus in Gallià togatâ excitum fuiſſe, tradit Jovius : ut tormenta adverſus hoſtium aciem emitterentur, cum anteà tantùm in expugnandis defendendisque Urbibus uſui eſſe ſolerent. Horum fragore Ricardina Bononienſis agri hoſtilis acies ita perterrita fuit, ut, cum tormentaria pila Herculi Ferrariæ Duci calcaneum deterſiſſet, maligno & barbaro more factum fuiſſe diceretur : ideò videlicet, quod Viri fortes, gladio atque haſtâ pro virtute & gloriâ dimicantes, inuſitatâ atque horribili pilarum procella ſternerentur.

9. Porrò Tormentorum uſus ſemper è ſuggeſtu (qui alias Batteria dicitur) fit. Suggeſtus autem ex terrâ & ceſpitibus conficitur, velut tormentorum Sedes commoda, & ad operationes tormentarias ſufficiens. Suggeſtus verò ipſe, aut aggere, aut milite defendi debet ; ne tormenta illinc diſpoſita ab hoſte occupentur vel obverſentur, vel occlaventur, aut alio quoquo modo inutilia reddantur, quod magnum in re bellicâ ſtrategema eſt. Ita Hiſpani ad Gemingam contra fœderatos rebelles magno nationum certamine in tormentorum ſuggeſtum proſilière, eoque potiti, confeſtim in hoſtes obverſis tormentis vallo ejecerunt Naſſovianos & Victoriam magis hoſtium, quam ſuis armis confecerunt. Ideò plurimum caveant Duces, ne tormenta ex incuriâ perdant, vel hoſti cedant. Pars enim magna in illis Victoriæ eſt. Extra periculum ea amittendi omni poſſibili modo ponantur : in neceſſitate ſummâ mergantur potius,

tius, quam hosti linquantur : in tempore sepeliantur cautè, ut post restauratam cladem rehaberi queant. Ita Valdesius cum Lugduni intempestivâ nocte obsidionem solveret, ne hostes tormentis, quæ abvehi nequibant, potirentur, ea in proximas fossas depressa, cespite & terrâ cooperuit. Ranutius autem Farnesius, aliquot ænea tormenta, in pristinis per incuriam deserta castris offendens, & quantumcunque periculum à propinquo hoste, si fortè recedentis tergo inhæsisset, post hanc ponens, confestim cohortes, quas dimiserat ab itinere revocans, eorum collatâ opera celeriter & providè tormenta, hostium aliàs prædæ exposita, in castra abduxit. Legimus etiam aliquando tormenta ab hoste ablata, sed celeri etiam studio recuperata. Uno eodemque Anno 1568. Groningensium sex grandia tormenta, quibus nomen à primis Musices elementis inditum erat ; cæso in Frisiâ Hispano exercitu cum ejus Duce Arembergio, à Nassovianis capta & ablata, rursus eodem Anno ab Albano Duce ad Gemingam pagum post inflictam Nassovianis ingentem cladem recuperata & una cum decem aliis Groningam delata. Multum refert, cum vitâ non reliqua cedere hosti.

10. Gravis omninò tormentorum quaquâ versum deportatio est : & exindè sæpè tardius ab iis præsidium accipitur : ex tarditate autem magnorum consiliorum præcipitium, & infallibilis progressuum militarium remora causatur. Serum est morandi tempus in mediis malis. Quanto majore conatu & militari labore Cæsaris Miles Belgradum ex faucibus Ottomanni usurpatoris eripuit, tanto majori pudore ex defectu rei tormentariæ rursus in Turcarum manus cum irreparabili Christianitatis jacturâ delapsum est, quo amisso ex levi causâ supinæ nostræ tarditatis, clavim Europæ cessimus Turcarum Sultano. Dum supereſt aliquid, cuncti coëamus ad arma : Post Panathanæa, post Pythia, ut olim dicebant, nunc verò post Festa venire, tardum est. Cum nostram ex Belgrado cladem recogito ; incidunt oculi in Bonfinium Hungariæ Nobilem historicum. Is de Belgrado refert, jam olim fuisse memorandum propugnaculum Lib. dec. 3. 3.

adverſus Turcarum potentiam, cum igitur illius expugnatio ingentem machinarum magnitudinem poſtularet, ac illæ ob itineris difficultatem facilè Byzantio eò trahi non valerent : Machometes ſecundus omnia eò diſpoſita tormenta & Machinas militares, antequam expeditionem iniret, confregit, ut in levia fruſta redacta, facilius per ardua locorum veherentur. Mox verò, ubi in Myſiam ſuperiorem pervenit prope Chryſonicum, æs conflavit, & nova tormenta fundi juſſit. Magnæ expeditiones magnos conatus exigunt.

11. Supereſt quædam referre de Machinis militaribus. Eas à DEO inſinuari, permittique conſtat ex Deutoronomio capite vigeſimo. Præceperat enim Dominus Iſraëlitis, ut ſi quod oppidum diutinâ obſidione oppugnarent, arboribus frugiferis ad machinas conſtruendas non uterentur, ſed infrugiferis tantùm, & frugiferarum fructibus veſcerentur. Sicuti igitur ſtrategemata militaria non repugnant Juri divino ; Ita machinæ militares, quæ ſpecies ſtrategematum ſunt, de genere prohibitorum non eſſe cenſentur, ſed utiliter adhibentur in bello juſto ad propulſandum vel cædendum hoſtem. Undè Ozias Rex conſtruxit in Hieruſalem diverſi generis machinas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum, ut mitterent ſagittas & ſaxa grandia, ut liber 2. Paralipomenis teſtatur, Tyrii adverſus Alexandrum Magnum varias machinas, vel inſtrumenta potius uſi, Victoriam ſæpe ipſi ambiguam reddiderint. Inter primas erant Tridentes maximi, inſtar hamorum, adunci, quos in Macedones obſidentes Tyrii obſeſſi de turribus injiciebant : cumque ſe clypeis illi infigerent, aut erat opus Macedonibus arma ultrò abjicere, aut tractos è turribus præcipitari. Scuta inſuper aliquot ænea & ferrea fabricabant ; hisque Arenâ repletis flammam continuam ſubjiciebant, donec ignita & candens arena fieret, quam demum per machinam quamdam in hoſtes, audacius cæteris pugnantes, affundebant, magno excipientium dolore. Illa enim inter thoraces & tunicas penetrans cutem graviſſimè torquebat : neque erat à commilitone auxilium,

quia

quia ignis feralis totam fermè turmam corripiebat, ut alter alterius auxilio deſtitueretur, tandem vehementia doloris væſaniam inferebat. Candentes quoque laminas in hoſtium frequentiam jaculabantur, quæ in tantâ turba ſemper plures attingebant & adurebant. Præludebant iſtæ Laminæ noſtris Bombis, quarum vis, fragor, impetus, & effectus tàm magnus, inſolens, vehemens & periculoſus eſt, ut una gravis ſupra centum & amplius libras, peniculâ levior feratur in aëra: tum collapſa diſrumpatur fragore horribili, effectu terribili, quidquid enim attingit, illicò addurit, penetrat, concutit; & in cineres redigit; Meteorum quidem arte humana factum, ſed cœleſti quoquo vix inferius. Appianus in Punico ſcribit admotos Carthagini duos Arietes, quorum alter à ſex mille peditibus: alter à ſociorum navalium multitudine impelleretur. Inventi erant ad demoliendos muros, ut noſtra tormenta; ſed eâ diſparitate, ut hæc modicus è lino candens funiculus impellere valeat, *denſi compagem ſolvere muri.* Polybius refert catapultam olim adjacienda in hoſtem plurima tela, & Baliſtam, ad emittendos lapides, inventam fuiſſe, quod nunc noſtra mortaria præſtant.

12. Inter recentiores machinas refertur illa Orangii Principis, quam trajicientibus Hiſpanis in Duelandiam oppoſuit. Trajectus erat aliundè Hiſpanis difficilis propter latiſſimum fretum (quatuor videlicet paſſuum millium,) quod etiam non niſi pedibus, nudisque fermè artubus tranſeundum erat, & eâ quidem parte tantum, quâ vadum à peritis monſtraretur. Maximum autem periculi momentum occurrebat, ipſe acceſſus & receſſus maris. Nam tantùm iter tàm importuno cale ac tempore niſi ſubitò conficerent, intumeſcente interea freto in ipſius hoſtis plaudentis conſpectu abſorberentur. Ideò Orangius, cum Hiſpanos tàm vitæ prodigos, & quaſi ſupra temeritatem audaces conſpiceret, rebatur omnino expedire arte temeritatem (quæ interdum felix eſt,) prævenire: non ſolum immiſſo in Duelandiam milite, ſed etiam impoſita freto non contemnendâ claſſe.

Quia

Quia verò recedente mari non multum Hiſpanis claſſis Orangii nocere poterat, novum caſtellum in aquis, qua hoſti tranſeundum fuit, extruxit. Erat Machina, inſtar Arcis, aliquot onerariis navibus inædificata, inſtructa milite telis, & igne. Hanc increſcente mari ad ea impulit vada, per quæ Hiſpanis trajiciendum fore exiſtimabat, eò videlicet conſilio, ut abſcedentibus aquis ad eminentias terræ impacta, tranantibus inferret moram, & ab armatis intus militibus cladem; donec ex morâ ſucreſcerent rurſus aquæ, & cooperirent Hiſpanos. Et effectum quidem dedit Machina, nam medium Hiſpanorum agmen partim aquis obrutum, partim cæſum. Interea tamen primum agmen feliciter Duelandiam appulit, quod licet madore & labore laſſatum, confeſtim cum hoſte conſeruit pugnam, vicitque & ex modico intervallo tota occupata Inſula.

12. Meliorem ſortita fuit effectum Machina ab Alexandro Farneſio excogitata, & à Baroccio machinandi ſcientiâ celebri Magiſtro perfecta. Moles erat non abſimilis machinarum generi, quas vineas veteres appellarunt; Parvæ domus inſtar, confibulatis è validâ materiâ trabibus extructa, quadris parietibus, incurvo tecto, iisque luto obductis & gramine, quam cutim pratorum vocant, ad vim ignium ſuperincidentium ſedandam. A lateribus, & à fronte, aperti crebris hiatibus & arctis foraminibus parietes, tàm aditum diurno lumini, quam exitum omni telorum generi dabant, quæ octoginta milites bene armati, intus deliteſcentes ex occulto jacularentur. Moles hæc ad Corbolii arcem in Galliâ expugnandam deſtinabatur, inſciis planè Gallis Corbolii propugnatoribus, donec illam rotis impoſitam ex caſtris Farneſianis per centum & quinquaginta paſſus usque ad fluminis ripam decurrentem conſpexiſſent: Ubi à tribus navigiis catenarum nexu colligatis excepta, occultis armis & armatoribus bene proviſa, velociſſimo natatu arcem verſus, qua parte ob ingens flumen inacceſſa, minus arte ac præſidio inſtructa fuerat, feliciter perrexit, ſeque extra tormenti ictum arci proximam conſtituit. Deſuper conſternati milites præſidiarii omnem

omnem moverunt lapidem, ut feralem machinam saxis, ignibus, trabibus, abs se avellerent ; sed in omnem casum provisa excepit ictus omnes sine suâ suorumque ruinâ aut dolore: non ita propugnatores, qui ex machinâ continuis ejaculationibus partim læsi, partim fugati, occasionem dederent Farnesianis, ripam alteram per geminos pontes cum arce conjungendi. Tum aditus pugnæ factus : utrimque certatum fortiter : occubuêre Gallicæ militiæ præfecti: milites civesque, aut ferro, aut undis absumpti : denique præfata Machina tàm ad pugnam, quam ad Victoriam, Farnesio Duci omnem viam aperuit.

14. Verum omnium sæculorum memoriâ dignum machinamentum Antwerpiensium fuit, quod Fridericus Jambellus Machinator Bellicus invenit, confecit, & probavit cum ingenti strage Hispanorum. Rem altius repeto : Erat Jambellus, Hispanis invisus, adeoque in eos ferocior, vocationem apud Antwerpienses nactus vindictæ, ultrò illis obtulit operam suam de disjiciendo ponte, quem Hispanus miles fecerat & occupaverat, ne Hollandi illàc commeatum transvehere possent ; Naves igitur ille quatuor, planis carinis, ac lateribus prælatis, (ut describit Historicus Belgii decadis secundæ libro sexto,) sed utrisque ultra solitum crassi, firmisque fabricatus, cuniculos in aquis fodere in hunc modum commentus est. Principio in navis alveo murum ex calce, ac lateribus, ceu fundamentum posuit, uno altum pede, quinque latum : eumque quantum navis in longum porrigebatur, extendit : dein parietibus quaquâ versus pro fundamenti modo superinstructis, atque opertis, cuniculum formavit, latum æquè ac altum pedibus omninò tribus, indiditque perlargè bellicum pulverem, quæsitissimâ perfectum operâ, sibique unicè notâ. Operimentum ex lapidibus plerisque sepulchralibus, atque ex frumentariis molis, saxisque immanibus fuit. Hoc super operimento tectum extulit, concameravitque ex grandibus quoque lapidibus molaribusque in culmen, auctumque in angulum proclinatis, ut strages non rectà tantum, sed etiam sparsim & in utramque partem late funderetur : con-

gestis, constipatisque inter tecti cameram globis ferreis marmoreisque, catenis, unus clavis, & quidquid nocentius homo dirè ingeniosus invenit. Postremo quantum patebat inter latera navis, & parietes tectumque cuniculi coagmentatis, in quadrum lapidibus & commissis ferro trabibus explevit atque arctavit. Hæc erat structura molis. Ejus autem succendendæ ratio & modus fuit incendiarius funis in os cuniculi exporrectus, eâ longitudine definitus, quanto intervallo temporis opus erat, donec gliscendo se consumeret, & cuniculum accenderet impactâ in pontem machinâ, quod Machinatori exploratum erat. Hujus autem molis quatuor planè fuêre naves magnæ, quibus adjunxit minores tredecim, non quidem ita, ut primæ quatuor, ad nocendum instructæ, sed multo igne per foros & tabulata conflagrantes. Horribile videre erat Hispanis Legionibus Ponti incumbentibus machinas undique flammis corruscantes, & insolitum quid (ignotum tamen illis) minitantes, secundo flumine ferri. Cum prope ventum, confestim immissæ rectà in pontem naves machinales à nautis, succesſo prius fomite, illisque inde in scaphas se salvantibus. Videbatur studiosè Machinator plures confeciſſe machinales naves, ut inter quatuor saltem una sortiretur effectum: nam, ut deindè eventus docuit, pleræque hinc illinc distractæ spectaculo potius fuere, quam ruinæ. Unica sortita est effectum, sed ea ipsa tàm magnum horrendumque, ut Historico vix datura sit posteritas fidem. Ait enim ille: Horâ præmensi temporis jam admotâ, ferale navigium horrendo usque adeò fragore concrepuit, ut ruere cœlum, misceri superis infera, ipsa quasi terrarum moles videretur. Nam ejecto inter tonitrua fulguraque, lapidum catenarumque, & globorum nimbo, ea secuta est admirabilis strages, quam non aliter quis evenire potuisse credat, nisi quia evenit. Castellum, cui tartarea navis incubuit, pontis septa Marianam versus arcem, proximum castello navalem pontem, milites, nautas, Duces, tormenta ubique multa, arma ac tela, uno omnia involuta impetu in sublime violenta vis rapuit, dispersitque quasi ventus folia.

lia. Scaldis prodigiosè dehiscens, fundi ima patefacere primum visus, mox super ripas effusus, atque aggeribus æquatus, Marianam munitionem uno pede altior implevit. Terræ subsultantis motus ad novem passuum millia vires ac metum extendit. Lapides sepulchrales & prægrandes mille passus procul â flumine reperti humo alicubi quatuor palmis infixi. Sed nulla quam hominum miserabilior clades fuit : quorum alios inferna vis ignium aut illicò percussit, aut inter lapides & ligna sublimes evibravit, mox projecit, atque affixit ad terram, aut in aquis extinxit. Alias pestifer halitus cæterum incolumes exanimavit, &c. Sanè suspicio tenuit aliquos ex illis, qui inde superstites evasêre, quisquis hominum feralis machinæ autor fuerit, illum non ex nostrate materiâ perniciem fabricasse, sed ex inferorum fornacibus accendisse furialem ignem: tonitrua ac fulgura haud dubiè de Cœlo magicis carminibus evocasse : pestilentem halitum non aliunde, quam ex avernali lacu extraxisse, & aquam ipsam præter morem modumque perurentem è palude stygiâ derivasse. Interim Machina hæc magnum arcanum fuit Pyromanticæ artis, quæ ex solo sulphure & nitro conjunctis ingenio & applicationi humanæ, novit tanta patrare portenta.

15. Accedunt his machinis etiam pontes supra quasi captum hominum exstructi. Qualis erat Alexandri Farnesii iste ipse pons, quo Scaldim prægrande flumen ocupavit, & licet ille à præfatâ machinâ disjectus, rursus tamen ab illo restauratus fuit, eoque opere Antwerpiam Regi & fidei suæ reddidit. Pons etiam Xerxis supra Hellespontum verè artis miraculum fuit, nisi elusus fuisset ingenio Themistoclis. Pons Alphonsi Arragonii Siciliæ Regis, in Insulâ Corsicâ admirandus, quem classis integra, simul ancoris connexa immobilem, & in fluctuante elemento, quasi terræ infixum reddiderat. Sed ab Urinatore Genuensi, qui supra humanam fidem sub aquâ morari consueverat, dissectis in profundo maris ancorarum nexibus, vidit Alphonsus subitò Pontem resolvi, & navigia in partes impelli, non sine admi-

miratione omnium, cum eos causa lateret. Tota ratio machinæ est, ut nesciatur ejus vis & scopus: quam primum hæc innotuerint, nunquam deerit alius machinator, qui non vincat machinam, ejusque artificem prostituat.

CAP. XII.

De Exercitu.

1.

EXercitus dicitur tam Legionum quam auxiliorum, tam peditum, quam equitum ad gerendum bellum collecta multitudo. Hujus rectè in suas tribus & ordines collocandæ non solum præclarum, sed necessarium studium rebatur Cyrus. Non minus inter belli tumultus armorumque fragorem, quam in pacis & civilitatis malatiâ exigitur ordo imperantium & obsequentium, Justitiæ & Religionis cura, Temperantiæ & Parsimoniæ usus, pœnarum præmiorumque spes & metus. Xenophon arbitrabatur ad ordinem in exercitu conservandum, ut primo quoque tempore Duces ac Centuriones in demortuorum locum subrogentur. Nihil enim omnino si desint, qui imperent, ullâ in re benè ac præclarè geri potest: sed in re bellicâ minimè. Ubi sicut ordinis constantia rebus salutem, ita perniciem adfert confusio & perturbatio. Ita sunto divisa inter exercitum Ducesque munia: ut militibus sicut pugnandi, ita suis Ducibus obtemperandi cupido conveniat: Duces autem Exercitui provideant de omnibus; temperanter imperent, invigilent sedulò, pericula caveant, occasiones mox arripiant; prompta habeant in ancipiti consilia. Male agitur cum illo exercitu, cujus salus dependet tantum à brachiis, non à capite. Major fortitudo inest consilio, quam lacertis. Belli Dux nunquam ita confidat in unâ tantum, vel aliâ parte exercitûs, aut isto vel altero tribuno, aut situ, aut angustiâ loci, ut inde infallibilitatem se habere credat: quamprimum enim illud, in quod confundit, vel astu,

vel

vel casu ab hoste vincatur, confestim animo concidet, neque multum insistet victoriæ. Strenuus exercitus in omnem eventum parari & formari, nec ex clade concidere, nec ex Victoriâ insolescere debet. Exercitus, qui ab hoste cladem timet, jam victus est à propriâ credulitate, omnem strepitum inimici credit victoriam, omnem suorum motuum fugam. Magis expectat id, quod timet, quam quod sperat: campo cedit ideò magis, quod cladem metuat, quam quod cæsus sit.

2. Duo etiam fortissimi inimici unius exercitus sunt fames & frigus. Facilè superatur, qui debilitatur indies, qui non commeatum, non tegumentum, non pecuniam habet. Atrox hyems, & parum provisa horrea, & orta ex utroque tabes perpellunt exercituum Duces, egregia quæque, præsentia, & aliàs factû facilia turpiter elabi. Verum uti corporis vulnera, ita ejusmodi exercitus incommodo, & defectus obtegendi sunt, ne spes adversariis augeatur.

3. Porrò sicut exercitum finito bello, si non minuere, saltem distrahere, & hinc inde in provinciis dividere expedit, ita tempore ingruentis belli maturè ex omnibus locis, præter præsidia vocandæ legiones, & ex illis formandus exercitus. Multitudo enim conjuncta non solum audacior est, in hostem promptior, & ex æmulatione suorum ferocior: Sed etiam, si hostem præveniat, audentior. Interim non semper magno apparatu aut numero vincimus hostem: plus sæpe minora retia comprehendunt piscium; quam magna. Alexander triginta solum peditum equitumque millibus pessumdedit unum millionem & ducenta millia Persarum, quindecim diversas nationes subegit, quinquies mille civitatum, munimentorumque subegit, & totum fermè mundum habitabilem, tuncque cognitum, occupavit. Quantum tantillâ suæ gentis manu facessit priori ævo Gustavus Rex Sueciæ toti Germaniæ, & etiamnùm Poloniæ & Moscoviæ ejusdem Abnepos, palam & notorium est. Non tanta armorum vis & gloria consistit in multitudine militum, in splendore & apparatu magnifico, sed in fortitudine virium, in experientiâ Ducum,

in disciplinâ militum, in providentiâ rerum necessariarum, in apparatu eorum, quæ feriunt hostem, non quæ alliciunt in prædam. Non numerus, non fastus, sed virtus prævalet.

4. Cæteris tamen paribus, copia rei militaris & amplitudo exercitûs spem majorem, certioremque victoriæ militantibus pollicentur. Multis prodesset non tantus animus, sed majores vires. Ubi sensim augetur miles, tardè advehuntur machinæ, parciùs distribuitur commeatus, & rei militaris apparatus è longinquo paratur & spectatur; tunc consectarium est, bellum protrahi, occasiones elabi, exercitum nunquam integrè compleri, cum succedit sensim novus miles, jam antiquus deperiit: cum expectantur primò machinæ; jam optimæ occasiones rei gerendæ elapsæ sunt: cum parcius suppeditatur annona, & numerus militaris, semper in exercitu irreparabilis persistit inopia. Uno tractu omnibus rebus necessariis congruè provisus exercitus, si producatur in hostem; decernit summam rei, abbreviat incommoda belli, Ærarii sumptus minuit, & pacem conficit, etiamsi succumbat, utiliorem Reipublicæ, quam si in aliquot lustra protracto bello, gloriosè vincat. Tarda victoria, præter nomen & fumum vix unquam tantum obtinet, quantum Respublica per longum bellum deperdidit. Extat gravissima Sententia Xenophontis in Cyropediâ: *Difficile est, vel unum hominem alere otiosum, multò etiam difficilius, totam domum, sed omnium difficillimum, universum exercitum otiosum alere.* Unus exercitus absumit aliquando unius Regni omnes proventus, & sæpiùs non sufficiunt. Quid, si plures ali debeant? quid, si in annos protrahatur bellum? Quid, si ex neglectu commeatus stipendiorumque pereat? Quid, si clades ex clade percipiatur abolitâ omni redintegrationis spe? O misera Respublica, miserior Princeps! quem ejumodi vices subire necesse est.

5. Laudat Polybius libro primo Carthaginenses, quod exercitum ex variis diversisque hominum generibus componerent: sic quidem conspirare inter se adeò facilè gens diversa nequibat, & mandatis Ducum universi partim ex æmulatione, partim ex diffiden-

fidentiâ naturali inter se, faciliùs obtemperabant. Hinc triplex Exercitus, unus ex domesticis & patriotis, alter ex mercenariis & externis, tertius ex utrisque civibus & advenis conficitur. Primum omnes Politici laudant, secundo plerique diffidunt, tertium communiter tolerant.

6 Primus exercitus quidquid agit, agit ex amore vel Patriæ, vel Principis. Uterque titulus incendit amorem in militantium animis: amor autem semper operatur magna, si amor est. Amori nihil grave, nihil difficile, nihil inexpugnabile: contemnit omne discrimen, & erubescit ad difficultatis prætensæ nomen. Pro aris & focis certare mortalibus natura indidit, ad quod autem aliundè natura impellit, facile est exequi. Patrius miles aut vincit, aut cadit cum patriâ, mortem in honesto collocans, ubi mori pro suo naturali Principe, aut nativo solo, datum est.

7. At vero exercitus externus nihil agit ex amore aut Zelo Patriæ, sed ex suo potius, vel ejus, cujus est subditus, Principis commodo. Et quia mercede tantùm emptus, rursus majorem offerenti, se vendit. Rarò magna auxilia, si externa, profuêre imbecillibus, & præcipuè divisis statibus. Gothi & Longobardi vocati in Italiam eam oppresserunt. Malum hoc evertit Respublicas Græciæ, & Imperium Orientale tradidit in Turcarum manus. Integri externorum exercitus non facilè obtemperant, refractarii sunt, prædones potiùs, quam opitulatores patriæ; nec coërceri possunt, nisi cum domesticâ clade. Ideò ex Arcano Status (*Ne integri externorum exercitus introducantur in Regnum aut Provinciam, sed alibi divertant hostem*) cautum est. Exinde non improbo confœderationes cum externis Principibus offensivas & defensivas; immò utilissimas omnis tulit ætas, quæ hostem diverterent, occuparentque alibi. Hoc solum maxime periculosum esse, historicâ veritate comperio: *Externum Principem cum suo exercitu aut integros externorum exercitus admittere in Regnum.* Ita Britannia Anglis cessit: ita Germani Sequanos expulerunt: ita priori ævo Algerini cum suo Principe Selimo à Cairadino maris tyranno occupati: ita Calistus Ægypto à

Saladi-

Saladino privatus. Omnes hi in auxilium vocati, sed temerè in Regnum admissi, ejectis vel cæsis legitimis Dominis usurpatores alieni dominatûs facti sunt.

8. Exercitus mixtus licet inferior sit primo, multo tamen melior est secundo. Commixtæ in uno exercitu nationes mutuâ æmulatione se in ordinem redigunt, nec facilè una movetur in seditionem retracta aliarum metu. Tumultuante una, quiescit altera, & servatæ fidei expectat præmium. Progrediente una ferociter in hostem, mox sequitur ferocius altera, æmulatione ducta, ne sibi â priore corona præripiatur gloriæ. Duplex illæ calcar habent fortiter dimicandi, reputationem nimirum quævis suam, & publicam totius nationis.

9. Arcanum Romanorum erat: *Nutrire in exercitu æmulationem, mixto ex diversis nationibus exercitu.* Quia constituebant suos exercitus non solum ex populo Romano, sed etiam aliarum gentium hominibus, quarum Duces plerumque altercabantur, vel aleâ sortiebantur, quis prima, quis majora subiret primus discrimina? quis inaccessa conscenderet, quis prærupta transiliret? Consternato quandam Romano exercitu ad Germanorum conspectum, illicò se Cæsar obtulit, iturus in hostem cum solâ decimâ Legione, inde æmulatione inter alias legiones succensâ, omnes tunc insolâ ferociâ ruerunt in gentem tam viribus famâque celebrem, & formidandam. Græcorum, qui Spartanos bello aggressi sunt, exercitus septuaginta millibus hominum constabat, quorum ne decima quidem pars Thebanorum erat, licet isti Autores essent belli; Etenim gloria cæterorum Græcorum efficiebat, ut eos Duces socii taciti sequerentur, etiam sine decreto, aut edicto Reipublicæ solâ æmulatione aliarum gentium accensi.

10. Residuum est, ut de quantitate exercitûs dicamus: Sanè *Nec nimis magnus, nec nimis parvus utilis est.* Parvum hostis non timet, magnum etiam inimici ex æmulatione infestant. Ludovicus Morus pauco milite provisus Navarram perdidit, & fermè de Mediolano periclitatus. Posteaquam verò ingentem con-

contraxiſſet, exiſtimans ſe, Navarram recuperaturum, & ultra montes ejecturum Gallum, ipſa copia auxiliarium militum, præſertim Suicerorum, credulum Principem prodiderunt Regi Franciæ.

11. Exercitus Romanus ordinarius, ordinariè numerabatur 24. millium bellatorum & maximus 50. millium. Hiſcè copiis domuerunt Orbem, *diſciplinâ magis, quam numero, aut temeritate.* Nam ſi quis Xerxis, & Darii, & Mithridatis, cæterorumque Regum (quales Moſcorum Czari ſunt) qui innumeros armarunt populos, ac maria camposque complerunt milite, exempla relegat, evidenter apparebit, nimium copioſos exercitus, magis propriâ multitudine, quam hoſtium virtute depreſſos. Etenim multis caſibus ſubjacet multitudo ab intrinſeco & ab extrinſeco, ab hoſte & à ſemetipsâ. In itineribus pro mole ſuâ eſt ſemper tardior, in longiore autem agmine etiam à paucis ſuperventa, communiter cladem accipit. In locis aſperis & fluminibus tranſeundis, propter impedimentorum moras, ſæpè patitur: commeatus multis difficiliùs, quam paucioribus ſuppeditatur, trahuntur ex longo agmine moræ, confunditur acies, nimiam confidit in ſe miles, Duces in numero, & ſic omnes deceptui expoſiti ſunt. Quod ſi acies caſu tergum verterit, ut obſervat Vegetius, neceſſe erit, multos cadere de multis, & illos, qui effugerunt, poſt formidare conflictum. *Veteres autem*, ait idem, *qui remedia difficultatum experimentis didicerant, non tam numeroſos, quam expertos armis exercitus habere voluerunt.*

CAP. XIII.

De Caſtris, & proficiſcente milite.

1.

PRima & ſingularis ars militiæ eſt, ſcire rectè caſtra metare: ibi enim domicilium, Patria, munimentum, & cella vinaria, & cibaria eſt totius exercitus. Vegetius teſtatur, caſtra olim ita fuiſſe

disposita, ut formarent civitatem portatilem, ubi receptui, aut fugæ, & calamitati cuique præsidium, & subsidium erant. Rectè dixeris castra, fluctuantis militiæ portum tutissimum; nam sicuti naufragantes solicitè portum quærunt; ita cladem perpessus exercitus, castra repetit, ibique rursus adversus hostem se communit. Quanti ex hoc portu rursùs in campum, tempestate parumper sedatâ, rediere fortiores; & licet prius victi, victores funditùs delebant. Galba, Sabinus, Fabius & alii tulêre ab hostibus victorias, à quibus paulò ante clades perpessi sunt.

2. Qui bene castra collocat, non facile ad conflictum, nisi ex suo commodo cogitur. Julius Cæsar ex rectâ castrorum suorum situatione omnes fermè retulit victorias. Et hæc causa fuit, cur Annibal Pyrrho post Alexandrum, primum encomium dederit *primi Belli Ducis*, ex castrorum videlicet ordinatâ metatione. Nullâ etiam ratione faciliùs consumitur sine cæde & sanguine exercitus hostilis, quam castris rectè locatis, in longum provisis, & bene munitis, præsertim, ubi non fas est aleam subire certaminis. Hâc arte sæpius afflixit Dux Turennius exercitum Cæsaris.

3. Præmitti debent castra metatores, & exploratores, ut locum eligant commodum, ac ipso situ naturæ tutum; caveantque ne vel à montibus vicinis peti, vel fluminibus inundari possint. Aqua, pabulatio, ligna & aër sanus, prima sunt castrorum elementa. Variè autem formantur castra, interdum trigona, plerumque rotunda, nonnunquam semirotunda, semicycla, & lunata; Figura autem quadrata, quemadmodum in se perfecta, ita etiam formam castrorum perfectam reddit, si locus, & situs quadraturam patitur, huic etenim conformari debent castra. Hæc cinguntur fossis, fortificationibus, & ejusmodi militaribus munimentis, quæ multum aggressores detinent. Castra, ne sint ampla nimis, nec angusta, sed proportionata militi, divisa in suos ordines, custodita, vel nemoribus, vel fluminibus, vel vicinis Urbibus & castellis, præsertim autem obvallata. Vallum autem castrorum fit de cespitibus, quibus circumcisis è terrâ velut murus exer-

exercitus altus pro rerum momentis ſuper terram, ita ut ante fuit foſſa, de qua levati ſunt ceſpites, illi ſudes de lignis fortiſſimis præfiguntur : ſuper hunc aggerem extruuntur parvæ fortificationes, ex quibus repellitur hoſtium aditus. Tota hæc munitio conſtat foſsâ, aggere, ceſpite, vallo. Penes hæc excubiæ, præſertim nocturnæ ſunt plusquam neceſſariæ. Complures igitur excubitores diſponat Caſtrenſis Dux, quatenus vicario munere, ut Onoſander docet, tempore noctis diſtributo, alii quidem ſomno indulgeant, alii ad excubias ſedulò invigilent. Nec enim aliqui ſolidam noctem pervigilare cogendi ſunt; nec iis, etſi ſponte ſe id facturos ſpondeant, fides adhibenda. Nam ſæpe fit, ut nobis etiam invitis, cedentia membra ſomnus ultro ſubeat: ideoque ſtent recti, qui in excubiis erunt. Nam crurum erectio animum quoque ad vigilias erigit. Cuſtodiarum ignes ardeant à caſtris longius. Sic enim, qui excubabunt, ſuos procul ab ignibus conſpicere poterunt; ab hoſtibus autem, qui ultra ignes erunt, non videbuntur, donec ipſi in excubantium manus inciderint.

4. Item Onoſander ſuadet, ſi noctu inſciis hoſtibus, caſtra movenda ſunt, vel ut commodiora loca occupentur, vel ut incommoda effugiantur, vel ne copiæ confligere nolentes cogantur: multis accenſis ignibus ceſſim recedendum erit. Sic enim adhuc conſiſtere exercitum hoſtes exiſtimabunt. At ſi per noctem obſcuram caſtra moverentur, fugæ illis aliquæ ſuſpicio eſſet, atque aut inſidias ſtruerent, aut infeſtâ manu perſequerentur. Sicut autem ſuſpicio cavenda, ita exiſtimatio in caſtris movendis ſemper ſervanda, uti de Julio Cæſare tradit Scipio Ammiratus. Ille, poſtquam à Pompejo maximam accepiſſet cladem, ſuique milites perterriti eſſent, in movendis caſtris maximopere curavit, ut exiſtimationem ſervarent: ideò primâ nocte ſaucios ac ægros ex caſtris præmiſit, & quieſcere vetuit ante confectum iter, quibus unam legionem præſidio miſit: quartâ vigiliâ duabus legionibus retentis reliquos pluribus portis eductas, eodem itinere præmiſit: parvoque ſpatio interpoſito conclamari juſſit, idque ut & militare inſtitutum ſervaretur, & ne citiſſima ejus

profectio cognoſceretur: Ita voluit Cæſar, etſi maximum periculum immineret, in caſtris clam movendis eam animi magnitudinem ſervare, quæ magnum belli Imperatorem, qualis ille erat, condecebat.

5. Cunctatio longior in caſtris facile inficit aërem, unde pernicioſi naſcantur morbi. Quod aliter præcaveri non poteſt, ut ſcribatur, Onoſander & Vegetius, *niſi frequenti mutatione caſtrorum.* Hoc verè bellicum arcanum eſt, non ſolum ad pellendos militum morbos, ſed etiam, ne illi ex cunctatione & conſuetudine unius loci in deſidiam cadant, quæ peſtis eſt militaris ſpiritûs. Stagnantes putreſcant aquæ: Miles ex otio vel inſolens redditur, vel vilis.

6. Caſtra conſtant Equitatu & Peditatu: ſed quis horum præſtat alteri. Ego utrumque utilem ajo, nec unus ſine altero multum operabitur. Pro more gentis, unus præſtat alteri. Turcæ, Perſæ, Tartari, plus confidunt in equitatu, & pedites multò pauciores equitibus habent: Similiter Poloni; non ita aliæ Septentrionales, quorum maxima vis in Peditatu. Cattis, ait Tacitus, omne in pedite robur. Catti vero erant invicti Germani, Romanis ſemper terribiles. Ipſi Romani orbem ſubegerunt Legionibus, quibus vix decima pars Equitum fuit. Alexander M. triginta duo millia peditum, aſt equitum quatuor tantum alebat. Equeſtrium virium proprium, eſt *citò, citò parare, citò, citò cedere victoriam.* Hoc quoque præſtant Equites Peditibus, quod illi ſecurius fugam arripiant. Id accidit Gallis, qui magis equitatu pollebant, contra Anglos in Pictavienſi pugnâ. Tardius fortè vincit Pedes, ſed certius. Denique quis non videat, ait Vegetius, ſive in propugnandis, ſive expugnandis Urbibus, ſive in montanis locis & impeditis, magis neceſſarios eſſe Pedites, quia ubique prodeſſe poſſunt. Hinc apud Romanos, extremo periculo urgente, ſæpius ex equis deſcendiſſe Equites & facti Pedites. Victorias illuſtres pedeſtri certamine contra Equites obtinuiſſe, legimus.

7. Eò quoque enitendum, quo hoſtium vires exploratæ habeantur, ut hoſtilium caſtrorum metatio diligenter conſideretur, eorum-

eorumque positio atque forma quoad locum & figuram cognoscatur: neque enim in arctum coactæ hostiles copiæ omninò contemnendæ, neque in longitudinem effusæ nimis pertimescendæ. Circulari ambitu comprehensa, ait Onesander, latitudo plures capit, quam quis oculis perspicere valeat. Similiter, si valli latera in longitudinem diffusa, in partibus quibusdam angusta aut obliqua, aut multangula quis conspexerit, non ideo per multos homines ibi esse arbitretur. Nam hujusmodi figura castrorum ingens apparet, nec tamen plures continet milites, quam quæ orbiculariter circumscripta est. Vallum in montibus & collibus extensum semper majus apparebit, quam si in planitie extenderetur, & tamen pauciores comprehendet in montibus milites, quam hìc in plano, licet æquale foret vallum, propter anfractus nimirum montanos, ubi miles non collocatur. Cæsar Julius totus erat in ejusmodi observandis, præsertim contra Arioviſtum.

8. Jam alteri capitis parti, nempe *Profectionibus militaribus* accingor. Primo autem occurrit quæstio non inanis: An hostis domi expectandus, an quærendus in suo, aut alieno solo? Sanè prudentiâ, occasione, arte, hic opus: nec expectare, nec aggredi hostem, nec infligere, nec excipere ictum, semper expedit, sed prout ferunt rerum vices, & conjecturæ, aut belli viriumque constitutio. Tutius quidem resistitur domi, sed periculosius: gloriosius certatur foris, sed laboriosius. Contendebant aliquando duo cives Argivus & Lacon. Ille objiciebat huic: nobis sunt multa sepulchra Lacedæmoniorum in terrâ nostra. Respondit iste: Nobis nulla Argivorum: Quasi innueret, generosius esse offendere, quam offendi, aggredi, quam expectare, infligere, quam excipere. Quemadmodum aggredi hostes in domo eorum, est victoriæ futuræ prodromus, ita semisuccumbit, qui hostem domi opperit. Hoc vincere, & triumfare fecit toties Suecum, & Gallum in Germania. Procul â finibus tenendus hostis, actum est, cum proximus paries in flammas abit. In alieno solo vires crescuntur, augetur præda, alienâ ope vincitur, & merces victoriæ speratur, domi ipsa victoria clades est domestica.

Quid priori ævo juvit tandem nos viciſſe Suecum & Gallum? mercedem illi tamen, etiam victi, reportarunt, mutilatâ per Pacis leges provinciis ſuis Germaniâ: Quis autem nobis victoriæ fructus? clades hominum, rudera Urbium, univerſalis deſolatio, & quod acerbiſſimum erat, corraſio ab exhauſtis ſubditis pecuniæ ad exauctorandos milites. Ita malè egit Darius, licet potentiſſimus, quod domi intra provinciam expectaverit Alexandrum, quem alias in limite opprimere potuiſſet. Romani etiam tunc graviſſime deflexerunt à ſolitâ ſuâ ſapientiâ, cum Annibalem Italiam intrare permiſiſſent. Haud benè diſcurrunt illi, qui potius domi expectandum hoſtem, quam foras progrediendum autumant. Opinio hæc eſt contra omnium antiquorum Belli Ducum ſententiam. Annibal, Scipio, Julius, Auguſtus ſemper quærebant hoſtem in ſuo Solo; gnari inde plurima compendia accedere aggreſſoribus. In alieno ſolo ſubtrahuntur hoſti vires & ſubſidia, certatur alienis impenſis, concitantur in ſeditionem cives in proprium Principem, novæ ſpes in illis excitantur, quia novum Regimen haud diſplicet unquam. Quanti Ottomannis inde acceſſus, quod in Chriſtiano ſolo militent, indeque accipiant belli nervum, annonam, in noſtram totalem perniciem. Multum quidem prævalere poteſt in proprio ſolo domeſticus miles contra externum hoſtem, propter experientiam locorum & itinerum, annonæ promptitudinem, munimentorum obicem; Sed neque externum militem indicare debes improviſum ejusmodi mediis, quibus alienum ſolum aggredi valeat. Plurimum autem tunc expedit in alieno ſolo bellare, ubi Princeps ſuis odio fuerit: tunc facile odio & inteſtinæ ſeditiones reaccenduntur, victoriæ externæ opportuna ſubſidia, ut ultimo Turcico bello diviſis à ſuo Rege Hungaris tentavit Sultanus, & proſperâ quidem ſub initium ſorte, tam occupatâ ferme totâ Hungariâ, quam obſeſſâ Cæſarum Sede Viennâ. Ejusmodi occaſione aggreſſus fuit Carolus VIII. Regnum Neapolitanum, & Ludovicus XII. Inſubriam, quam ſuo imperio ſubjecit, ſicut & Carolus Neapolim & Siciliam: idemque ſucceſſiſſet etiam Sultano, niſi Tutelares Divi, pietas idem

& induſtria Leopoldi Cæſaris, magnorumque Principum è Poloniâ, Bavariâ & Saxoniâ acceſſus, & è Vaticano Subſidia ictum feralem avertiſſent.

Jam verò quis non expertus eſt Victum in alieno Solo minus periculi habere domi, quam victum in proprio Solo, faciliusque eſſe fuſum & diſſipatum exercitum in alienâ, quam propriâ Regione, recolligere & redintegrare. Domi ſi fuſus es, proſtrata ſunt omnia: in alieno ſi vincaris, domi manebunt omnia ſalva & integra: Si te fortuna domi deſerit, confeſtim criſtas erigent novarum rerum cupidi, amici verò hærebunt attoniti; Naturâ quippe comparatum eſt, è longinquo pericula vix videri, in proximo autem palpari. Franciſci Regis Franciæ ad Ticinum clades & captivitas parum profuit Victori Carolo. Væ ipſi & coronæ! ſi in Regno accidiſſet. Errat Machiavellus, aſſeverans: ſi Romani tres illas inſignes clades, quibus ab Annibale affecti fuerant, extra Italiam accepiſſent, non potuiſſent ſe tam cito & bene recolligere, ſeque inſultanti hoſti objicere. Hoc autem minimè verum eſt: Nunquam enim Romani ſe reſtauraſſent, ſi Annibal victoriâ uti ſciviſſet. Actum fuiſſet de Româ, ſi inſtitiſſet victoriæ; ſed Victor ille faſtu & illecebris, victus, optimam occaſionem neglexit opprimendi conſternatam Rempublicam. Conſtat enim, ait Hermannus in Theſauro Sapientiæ Politicæ, iis cladibus, quas Romani in Italiâ acceperunt, non ſolum ad bellum aptæ juventutis florem, ſed multas etiam civitates & oppida amiſſa, tum multos populos ad rebellandum excitatos, qui ut plurimum victoris ſequuntur fortunam &c. quæ nunquam contigiſſent, ſi non ipſis, veluti Patriæ viſceribus, clades iſta inhæſiſſet.

9. Porrò exercitus ducitur vel per propriam regionem, vel per alienam, hancque hoſtilem, vel amicam. Si per ſuam regionem Princeps ducit exercitum, ſedulo animadvertat, ne ſubditis damnum inferat, nevè prædetur, aut devaſtet. Devaſtatâ enim ſemel ſuâ regione, undè accipiet futura ſubſidia. Si verò per alienam, eamque hoſtilem, regionem progrediatur; fiat id cau-

te,

tè, providè, diligenter, exploratis omnibus insidias evitare studeat, ne forte inter prædandum opprimatur. Interim tamen citra suum discrimen hostium possessiones funditus perdat, amburat, cædat, depopuletur. Damnosa enim clades, & opum fructuumque penuria hosti vires adimet, & terrorem maximum incutiet, ut depositis armis se dedat, ut sæpe contigit. Undè Metellus, ubi vidit, minore detrimento hostes vinci, quam hostes vincere, statuit non præliis, neque acie, sed alio modo bellum gerere. Itaque in loca Numidiæ optima pergit: agros vastat, multa castella & oppida temere munita, aut sine præsidio capit, incenditque: puberes interficit, jubet omnia alia militum prædam esse: ea formidine multi ab hoste Romanis obsides dediti; frumentum & alia, quæ usui forent, affatim præbita, ubicunque res postulabat, præsidium impositum. Quod si vero diutius in hostili solo commorandum, non omnia funditus perdenda veniunt, sed ea tantum, quæ sibi utilia non fore belli Imperator prospexerit, & illis, quæ, si integra serventur, suis etiam prodesse poterunt, parcat.

10. Sin autem per regionem alterius cujusdam amici vel confœderati, vel neutralis exercitus ducendus, militem maximopere in officio contineat, ne vel molestus, vel damnosus sit iis, per quorum fines ducitur; & ductio per amicorum agros, non minùs maleficio careat, quam quæ per proprios fiat. Immò in ejusmodi amico solo non diù ferietur, cunctetur, desideatque, nam amicos non minore, quam hostes mulctaret detrimento. Sic sub Nerone, ut scribit Livius, certabat modestiâ miles, ne quid ultra usum necessarium sumeret: nihil morabatur: nec ab signis abstitebat: diù noctùque proficiscebatur: vix, quod satis, ad naturale desiderium corporum, esset, quieti dabat. Alexander Severus in expeditione Parthicâ, tantâ disciplinâ, tantâ reverentiâ sui egit, ut per amicas terras non milites, sed Senatores transire dicerentur. Quacunque iter legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant: ipsum vero ob hæc tot & tanta bona, Provinciales ut DEUM suscipiebant.

11. Ubi

11. Ubi vero exercitus proficiſcitur per regiones hoſtiles, vel hoſti vicinas, & infeſtas tibi ; maximus in exercitu Ordo, quaſi in ipsâ prælii acie exigitur. Miles minimè divagetur; ſtricto progrediatur nexu, ſigna habeat, accinctus armis, paratus ad omnes ſubitaneas incurſiones ; præſertim verò nocturno tempore, quia per noctem turbari longè prius negotium eſt, quam interdiù, ideò noctu & taciturnitas ſervanda, & ordo arctiſſimè cuſtodiendus. Sic Jugurtha cum delectis equitibus Metellum inſequens nocturnis & aviis itineribus ignoratus, Romanos palantes repente aggreditur, eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur, nemo omnium intactus profugit.

12. Et licet exercitus proficiſcens in plures Ordines, primum, medium & ultimum dividi ſoleat, nihilominus nunquam tanto ab invicem progrediantur intervallo, ut medius primo, & medio ultimus ordo, ſuppetias ferre non poſſit. Miles ordinatâ acie progrediens hoſtibus terrori, ſui ſeverus eſt : inde Romani ominabantur ſibi victorias ; palante autem milite ; aut fugam, aut proditionem, aut metum ſuſpicabantur. Laxandi autem Ordines ſunt, cum acies ex anguſtiâ loci premitur, per hoc tamen non deſinet eſſe ordinata ; quia ſicut nimia laxatio quaſi ſemper, ita nimia denſitas quandoque etiam periclitatur. Gallos ad Genuam perſtringit Guiccardinus, quòd nimium laxato Ordine, imò diviſo exercitu, (ut plerumque malè ſuccedit,) progrederetur; alioquin ſi omnes unà Genuam perexiſſent, meliorem forſan ſucceſſum ſperare potuiſſent.

13. Si ultimum agmen ſive Ordo ab hoſte infeſtari poſſe ſuſpicio eſt ; ſanè ratio dictat, ut in ultimo Ordine fortiſſimi quique & lectiſſimi ponantur, ſæpe enim vero hoſtis, ubi non audet frontem exercitûs aggredi, carpit poſtremos vel mediis, inſultat, provocat, infeſtat. Minimè tum ſe dividat acies, ſed denſo ordine procedat, nec extra aciem pedem figat, nec palantem hoſtem perſequatur, usque dum ad locum & occaſionem prælii pervenerit. Et tunc etiam obſervet, ne longo ſpatio defatigatum vel famelicum militem, ne laſſos poſt curſum

equos, ad prælium educat : *Multum* enim *virium labore itineris, pugnaturus amittit.*

14. Impedimenta omnia & ſupellex militaris, annona, jumenta &c. Satius eſt in medio exercitus collocare : hoc modo primi & ultimi facilè participant de mediis, ſuaque in tuto conſervant, præſertim in terra hoſtili, ubi etiam retrò hoſtis timetur. Denique primi & ultimi, & ad latera ſunto fortiſſimi: medios ducant primi, ultimi illos pellant, ad latera autem poſiti defendant.

15. Præ omnibus autem tam Regio, per quam eundum, quam locus ubi perſiſtendum vel præliandum fuerit, diligenter exploretur per equites & emiſſos: *Res enim omnis oculis ſubjecta certius dat conſilium.* Hæc autem explorari debent, nimirum: ſintne expedita & tuta omnia ? an hoſtis obvius ? an in inſidiis ? an per anguſta locorum, per ſilvas & dumeta, per populoſa, vel deſerta loca, per urbes & munimenta tranſeundum ? ſintne ibi trajicienda flumina, maria, &c. & de comparandis ad ejusmodi difficultates, inſtrumentis videatur. Sagaciſſimus in hoc erat Alexander Farneſius, cum enim Catholicorum fœderi opitulaturus veniſſet in Gallias, & Maineus fœderis Catholici Dux regionem deſignaſſet Hiſpano exercitui, non illicò in ejus deſcendit opinionem, ſed Capiſuchium & Zunigam cum machinarum Architecto deſtinavit, qui regionem à Duce judicatam propius inſpicerent. Sed reverſi exploratâ omnia circum Regione renuntiant, monſtratos à Mayneo campos minimè aptos ponendis Hiſpanorum caſtris videri: propterea quod eminentia circum juga præſidiis tormentisque hoſtium tenerentur. His rebus in contrarium firmatus Farneſius diſcrimini aperto ſe, ſuosque ſubtraxit, aliaque cœpit agere; quibus conſilia hoſtium planè ſubverterat. Rectè Tacitus : *Conſilia, loca prompta, occultaque noſcenda, aſtusque hoſtium in perniciem ipſis vertenda.*

16. Juvat autem præcipuè regionem, perquam exercitui itinerandum eſt, typographicè deſcriptam videre cum omnibus flu-

fluminibus, Urbibus, munimentis, ſylvis, montibus & campis. Notitiam quoque, ubi fluminum vada, ubi montium clauſtra, ubi circuitus ſecuri, ne in munimenta & Urbes impingat, ubi pabulationes &c. & ejusmodi Duci ſcitu neceſſariorum habere. Ita Julius Cæſar quantum potuit, mercatores, qui ultrò citraque quotidiè commeantes, ſitum formamque Britanniæ docere poterant, plurimos eorum ad hunc finem, Regnum illud invaſurus, congregavit.

17. Jam quomodo per anguſta locorum, devia & prærupta ducendus exercitus, edocet Onoſander: utile nimirum fore copias nonnullas permittere, montium verticibus, anguſtiarumque faucibus præoccupandis, ne ſi prius illic hoſtes conſederint, tranſitum arceant. Ad providentiam quidem Ducis ſpectat declinare anguſta & prærupta, nec præcipitare ſe in pericula naturæ, vel hoſtium inſidias, ut aliquando indoluiſſe fertur Alexander Magnus, quod copias ſuas iter in Perſiam faciens temerè in montium anguſtias conjeciſſet: Interea ſæpe neceſſe eſt, nec datur effugio locus, nec tempus: tunc profecto opus eſt plusquam humanâ dexteritate, & providentiâ.

Hanc certè alter à Magno, Alexander Farneſius cum immortali ſuâ gloria, facto oſtendit, ubi ingentes è Galliâ redux, Belgiæ itineris difficultates prævidens, eas tantâ animi conſtantiâ, quantâ rei bellicæ providentiâ & experientiâ præcavit & evicit. Æſtivo enim tempore Galliam intraverat, inter amicorum gratulationes, terrores hoſtium, & ſpei magnæ famam. Redeundum alienâ tempeſtate, ſub hyemis aſperrimæ initia, perpetuo imbre, corruptis viis, amnibusque exundantibus. Nec æquiores (ut ejus refert Hiſtoricus lib. 11.) experturum homines, quam elementa. Hinc ſuboffenſos amicos, qui ſpe minora perceperant; illinc hoſtes iratos ob eliberatam Lutetiam, Regem Navarræ inquietum certò tam à fronte, quam à tergo & lateribus incurſaturum defatigatos ſuos milites. His malis anteà, remediisque ſimul penſatis viginti dierum ſpatium reficiendis militibus, præparandisque in menſtruum iter cibariis, impendit. Cum

peditum tria millia Jatræo commodaſſet, ut copioſum frumenti, hordei, aliarumque frugum commeatum, ſenos menſes alendæ Lutetiæ ſuffecturum, Aurelianenſi ab agro conveheret. His perfectis, ne quid certum de ſui ratione itineris hoſtis haberet, non rectâ viâ, ſed obliquâ Belgium verſus, in Campaniam movet ad bina equitum, peditum dena millia redactas copias.

Acie primâ mediam, mediâ verò primâque poſtremam, firmiores facit, utpote hoſtium aſſultibus magis expoſitus. Primæ Marchionem Renthiacum equitatus univerſi magiſtrum, poſtremæ Georgium Baſtam, Commiſſarium equitum præponit. Mediam bipartitam, alteram Monæus caſtrorum Præfectus, alteram Alexander ductabat. Circumſeptus exercitus ampla curruum indagine, ternis quaternisque ordinibus gradiebatur. Ex iis præter annonam, tormentariam ſupellectilem, ſarcinasque militares, interiores rhedæ milites ægros, quorum commendatiſſima Farneſio cura erat, prope mille numero vehebant. Si quis injuſſus munimenta curruum egrederetur, capitalem pœnam indixerat. Tantum ſpeculabundi levis armaturæ equites evagabantur, ſecuritatis itinerum cuſtodes. Quibus mandatum, ubi vis major hoſtilium armorum ingruiſſet, ut ad currus ſe reciperent, illinc ſclopetariis equitibus procurſuris, ut ſubeuntes temerè adverſarios, plumbeâ grandine obruerent. Infeſtantem à tergo Regem Navarræ habuit, cum quo licet in alieno ſolo, ex itinere conflixit tamen, & fugavit Navarræos, his plusquam vellent facto virium, contentis. Atque hoc Alexander Farneſius in magno ſemper habuit, ut quacunque tempeſtate, & in quibuscunque anguſtiis ſemper providus & paratus expectaret hoſtem, idemque ſemper vinceret, vel duntaxat hoſtis conſilia eluderet.

(o)

CAP.

CAP. XIV.
De Acie.

1.

ACiem Frontinus pro instructo exercitu accipit. *Estque dispositio certa militum ad invadendum hostem, vel ipsius insultum repellendum vel sustinendum.* Multi & varii sunt modi instruendæ aciei : sed primitùs habenda ratio armaturæ, militum, locorum, temporis, Solis, & præcipuè copiarum, consiliorum, & conaminum hostilium. Prima necessaria sunt ad tutam dispositionem exercitus; postrema parant victoriam. Rarò & vix vincitur, qui de suis & hostium copiis, simul etiam de locorum situ, &c. certò judicare potest. Juxta hanc cynosuram rectè instruitur acies, & tutò initur prælium.

2. Romanorum Aciem describit Livius libro octavo: Hastati omnium primi pugnam inibant. Si hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum, Principes recipiebant. Tum Principum pugna erat: Hastati sequebantur : Triarii sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas, subrecta cuspide in terrâ fixas, haud secùs, quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud Principes quoque haud satis prosperè pugnatum esset, à primâ acie sensim ad Triarios referebantur. Triarii consurgentes, ubi in intervallo ordinum suorum, Principes & Hastatos recepissent, extemplo compressis ordinibus, velut claudebant vias, unoque contenti agmine, jam nullâ spe post se relictâ in hostem incedebant. Id erat formidolosissimum hosti, cum velut victos insecuti, novam repente aciem exsurgentem, auctamque numero cernebant. Et hæc erat aciei instruendæ, prælique inferendi apud Romanos methodus.

3. Primus omnium acierum instruendarum Homerus scientiam tenuisse, ac homines eâ præditos facultate, probasse laudavisseque videtur : in quem Menestheus lusit:

Nulla quidem huic ſimilem mortalem protulit ætas:
Ordine qui Martis turmas, equitemque locaret.

Scripſerunt plures alii veteres de inſtituendâ acie, Stratocles, Pyrrhus Epirota, & ejus filius Alexander, Polybius Megapolitanus, Eupolemus, Iphicrates, Poſſidonius & multi alii. Hi formabant ſuas acies vel in figurâ Rhombi, vel in curvatâ, vel quadratâ, vel in ſemilunari, vel orbiculari, vel in arrectâ, vel in ancipiti, occipiti, duplari, latericipiti, ſimilicipiti, verſicipiti &c. Sed quis mihi tantus Apollo, qui hæc veterum omnia aut calleat, aut operæ pretium ducet modernis belli Ducibus præſcribere, quibus alia armorum ſpecies, aliæ machinæ, alius hoſtis, alia conſilia: *Atque ejusmodi rationes* (ait Onaſander Strategecus,) *occaſio exigere videbitur, experiri ſciet ipſe belli Imperator.* Paucula tamen quædam depromam, univerſalia magis, quam particularia.

4. Ordinaturo aciem tria proſpicienda *Sol, pulvis, & ventus.* Nam Sol ante faciem eripit viſum, ventus contrarius tua inflectit, vel deprimit, hoſtium autem adjuvat tela. Pulvis à fronte congeſtus oculos claudit & implet Ejusmodi vitare obvium eſt in re militari; ſed hoc minimè ſufficere ait Frontinus; quia provido Duci etiam in futurum cavendum eſt, ne poſt paululum accedente die noceat Solis ſurgentis, vel decedentis converſio, nec ventus adverſus horâ ſolitâ eo pugnantur naſcatur. Ita ergo conſtituatur acies, ut præfata poſt occipitium noſtrum ſint, & (ſi fieri poteſt,) adverſariorum impetant faciem.

5. Vegetius quoque adſerit. In mille paſſibus campi una acies mille ſexcentos ſexaginta ſex ſuſcipit pedites: propterea quia ſinguli pugnatores ternos occupant pedes. Quod ſi ſex acies in mille paſſibus campi volueris ordinare, novem millia, nongenti, nonaginta ſex pedites ſunt neceſſarii. Sin autem in ternos ordines hunc numerum volueris tendere duo millia paſſuum comprehendes. Sed melius eſt plures acies facere, quam militem ſpargere. Seni autem pedes à tergo inter ſingulas acies

in

in latum interpatere debent, & ipſi bellatores ſtantes ſingulos obtinent pedes. Ideoque ſi ſex acies ordinaveris quadraginta & duos pedes in latum & mille paſſus in longum decem millia hominum tenebit exercitus. Ad hanc rationem ſive viginti, ſive triginta millia peditum fuerint, ſive aliquâ dubitatione difficultatis poterunt ordinari, nec Dux fallitur cum ſciat, qui locus, quantosque capere poſſit armatos. Denique ſi anguſtior locus ſit, vel multitudo ſufficiat, jam indè novem vel amplius acies ordinari convenit. Magis enim expedit, ut confeſti pugnent, quam longius ſeparati à ſuis. Omnis virtus unita fortior, quam diviſa. Acies ſi nimium fuerit diſtracta, citò ab hoſtibus factâ impreſſione perrumpitur, & nullum poſtea poteſt eſſe remedium. Interim Aciem Belli Imperator non pro arbitrio ſuo, ſed ut neceſſitas cogit, ordinabit, & hoſtium ſive equitatu, ſive peditatu inſpecto, ſuos equites & pedites contra conſtituet. Tormenta machinasque collocabit ut ſitus & locus tulerit : vel tormentis protegendo ſuos ab hoſtis invaſione, vel iisdem turbando hoſtem, locoque pellando.

6. Subſidia, quæ poſt aciem collocantur, plurimum ad victoriam conferunt. Si nimirum Dux lectiſſimos habeat de peditibus & equitibus poſt aciem in ſubſidium præparatos : alios circa cornu, alios circa medium, ut ſicubi hoſtis vehementius inſiſteret, ne rumpatur acies, provolent ſubitò inexpectati, & ſuppleant loca : additâque virtute inimicorum audaciam frangant. Hoc primi lacones invenerunt: imitati ſunt Martaginenſes, Romani poſteà ubique ſervaverunt. Hâc cautelâ nulla melior invenitur.

7. Romani in aciem procedebant Equitibus in cornua diviſis : & ita quidem, ut Livius libro 22. commemorat: In dextro cornu Romanos equites locabant, dein pedites: lævum extremi equites ſociorum, intra pedites, ad medium juncti legionibus Romanis tenuerunt jaculatores; ex cæteris levium armorum auxiliis prima acies facta. Indè equitum alæ dictæ, quod dextra ſiniſtraque, tanquam alæ avium, pedites ambirent, ut Gellius notat.

8. Idem

8. Idem Autor in acie instruendâ ad quædam specialiter advertit, eaque sunt *Frons, Subsidia, Cuneus, Orbis, Globus, Forfices, Serra, Alæ, Turres.* Omnia ex etymologiâ rerum similitudine. Frons est ipsa facies aciei exporrecta erga hostem: quæ vel solo ordine, vel solo fulgore armorum aliquando terret hostem, ut incipiat animo cadere, si se cognoscat similia non habere. Undè Onosander ait: Milites micantibus armorum scintillis terribiliores apparent, multæque per oculos species in animos delapsæ perterrere adversarios solent. Florus scribit inter alia, quæ Mario Victoriam de Cimbris pepererunt, fuisse fulgorem armorum, quem etiam Julius Cæsar; & postea Aurelianus à Tribunis severè exigebant.

9. Subsidia, de quibus paulo ante memini, sunt ad omnem casum eventumque prælii mox parati milites vel agmen supplere, vel cuneum agere, aut serram ducere. Difficile enim est ad ejusmodi præter ordinaria, de loco suo ordinatum militem aliò transferre sine turbatione. Hetrusci contra Romanos pugnantes, quia nullis ejusmodi subsidiis fultam habuêre aciem, ante circaque signa omnes penitùs ceciderunt.

10. Cuneus est peditum multitudo, quæ primo angustior, deindè latior se pandit, adversamque aciem rumpit. Cuneum agunt præcipuè illi, qui inferiores sunt viribus, & cum perdendo militem prodigi non sint, tantumque sæpe efficiunt, quam alii multo milite.

11. Forceps contraria est cuneo, estque Ordinatio aciei latioribus primis & apertis, ac paulatim in angustum desinentibus militibus ut plurimum illis usitata, qui hostibus numero militum superiores sunt, & copiis abundantes non valent pertinacem hostilis exercitus frontem fronte fundere, proindè, ut ait Onosander, patefactis atque explicatis ordinibus, cornibusque hostium conclusis eos circumveniunt, ut feliciter cessit aliquando Scipioni in Hispaniâ.

12. Orbis aciei est species in directum & longum exporrecta quæve in Gyrum se construit. Hoc genere, ut ait apud Ono-

Onosandrum Vegetius, cum vis hostium interrupit aciem, resisti â militibus consuevit, ne omnis multitudo fundatur in fugam. Romani, si quos locus aut casus conjunxerat, Orbes fecêre, atque ita ab omnibus partibus simul tecti & instructi hostium vim sustentabant.

13. Serrâ pugnari dicitur, cum assiduè acceditur recediturque, neque ullo consistitur tempore. Hoc aciei genus plerumque ab Equitibus conficitur, estque velitationi similis.

14. Alæ, sunt aciei cornua, sive Equitatus à dextrâ & sinistrâ Legionum parte positus.

15. Globus, est extra aciem militum manipulus vel phalanx, quæ vago superventu inimicos incursat.

16. Turris, Ordinatio est aciei in quadrum oblongum protractæ. Quæ omnes acierum species dependent à prudentiâ belli Ducis, adstrictâ loco tempori & occasioni. Hæc tria Dux exercitatus nunquam negligit, nisi cum suo discrimine: & quoties sagaciter arripit, arripit cum hostis clade.

Ideò quâcunque ex inopinato, & ut fert casus, ordinatâ acie, si occasio præsto est, expedit hostem aggredi. Ejusmodi autem occasiones sunt: si ex itinere fatigatur hostis; si in transjectione fluminum dividitur, aut in paludibus occupatur, vel in jugis montium laborat, si in mansione dormit, si ad sarcinas & prædas helluatur sui securus. Tunc opportuna occasio, locus & tempus sunt inferendi prælium; prius indè cadet hostis, quam se præparet ad sui tutelam.

17. Quod si autem insidiarum nullus sit locus, tunc adversus scientes, videntes, præsentes æquâ conditione pugnatur. Sed in hoc, arte maximâ opus, & satagendum est maximè, ut prior instruas aciem, quia tunc ex arbitrio tuo valebis instruere, cum nullus obsistit. Hinc tuis confidentiam augebis, adversariis fiduciam minues, quia fortiores videntur, qui provocare non dubitant: Hostes contrà tui formidine percutientur, cum viderint contra se acies ordinari. Utilius semper est, præoccupare ordinatum, quam ab ordinato præoccupari. Ubi verò consi-

lium tuum cognoveris, adversariis proditum dispositionem mutare necesse erit, quid fieri debeat tractato cum multis. Quid verò facturus sit cum pauciſſimis & fideliſſimis, vel potius ipse tecum.

Breviter complectitur hæc Poëta Jambicus:

Acie instruendâ melior est, qui cautior.
Aciem prior qui struxit, habetur fortior.
Pulcra occasio adsit necesse, cum certare acie lubet.
Noli acie certare totâ, si minimè est necessitas.
Acies bifrons usque unifrontem vicerit.
Agmen quadratum, ubique agmen tutissimum.
Equites aciei bina præstant cornua.
Hostis peritus cuneo occurrit forfice.
Non semper ut vis, acies instrui potest.
Turbata acies impedimento ipsa est sibi.

18. Tandem magnum in acie construendâ arcanum, immò pars magna victoriæ est : *Hostem turbare antequam dimices.* Antigonus rogatus, quomodo oporteat hostem aggredi, *aut dolo*, respondit, *aut rei*, *aut apertè*, *aut per insidias.* Boni Duces non aperto Marte prælium, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentent, ut integris suis, quantum possint, viribus hostes interimant, vel certè terreant. De Cæsare dubitat Suetonius, utrum in obeundis expeditionibus cautior fuerit, an audentior ? De Annibale Carthaginensi tradunt, quod sine callido aliquo consilio prælium nunquam commiserit, sed decipiendo hosti intentus, non tàm conflixit, quam hostem circumvenit, ratus rationem, rerum benè in præliis gestarum sibi cum suis militibus communem ; sed eorum, quæ prudentiâ transegisset titulum ad se solum spectare. Crœsus prævalido hostium Equitatui camelorum gregem oppositit : quorum nativitate & horrore consternati equi, non solum insidentes præcipitarunt, & extra Ordinem decurrentes, etiam peditatum, partim in confusionem posuerunt, partim contriverunt, vin-

vincendosque Crœso ante prælium dederunt. Atheas Rex Scytharum, cum adversus ampliorem Triballorum exercitum confligeret, jussit à fœminis & pueris, omnique imbelli turbâ, greges asinorum ac Boum ad postremam hostium aciem admoveri, & erectas hastas præferre: famam deinde diffudit, auxilia sibi ab ulterioribus Scythis adventare, quâ assecuratione avertit hostem, falsò credentem, tam magnum fuisse Scytharum exercitum, cum quo citra apertum discrimen confligere non posset. Transeunt ejusmodi Martis astus & strategemata, quæ fidem pactam non lædunt: Alias fides & pacta hosti promissa non minus servanda sunt, quam amico. Nam ea fraus, quæ committitur fidem frangendo, non est glorioſa. Similiter veneficia, & superstitiones non computari debent inter strategemata belli; Licet enim hosti nocere liceat, non tamen armis & mediis iniqui, & prohibitis. *Romani ferro, non veneno pugnabant.*

CAP. XV.

De Fortunâ Belli.

1.

NUllibi deest fortuna, ubi virtus non deest. Bonum est, Belli Imperatorem opinione hominum felicem æstimari, sed melius, virtute propriâ. Sicut inflat Superbia; ita felicitas externa, nisi virtute temperata, facit insolescere potentes: quia isti haud unâ fortunâ contenti sunt. Interim vulgus, magnorum Heroum felicitatem, regulariter arguit ex prosperis, & iteratis successibus, vel in populi commoda, vel in Regni gloriam vergentibus. Ego fortunam omnem belli aliam, non esse reor, quam *concursum virtutis divinæ, quo comitatur eos, quos elegit in ministros justitiæ, & executores suæ voluntatis.* Ut inter Thaumaturgos & Prophetas erat Moyses, inter Reges David, inter Belli Duces Josue; ad cujus unicum vocis tonum (*Sol ne moveare*) Deus

ſtitit curſum primi Luminaris. (Quanta hæc belli fortuna, cui aſtra obediunt?) Inter Mediæ Monarchas Cyrus, quem Dominus in Scriptura vocat *ſervum ſuum*, vel Nabuchodonoſor, pro quo, ut plane oraret, proque ipſius vitâ ſacrificia offerret populus ille Iſraëliticus, Deo unicè carus, diſtrictè præcepit Dominus. Inter Barbaros Attila & Tamerlanes, uterque flagellum DEI dictus, quibus in Chriſtianos ipſos divina Nemeſis tot contulit victorias, quot illi numerarunt prælia. Inter Græcos & Romanos Alexander & Auguſtus, quorum, indubio Numinis decreto, alter Orbem domuit, alter inter pomœria ſua incluſit.

2. Incidit hìc quæſtio, an ejusmodi Barbari & gentiles Principes (id quod ad Chriſtianos etiam applicare licebit) ex injuſto procul dubio bello, ut Attila & Tamerlanes, uterque manifeſtus tyrannus; Alexander invaſor aliorum Regnorum; Auguſtus uſurpator Romanæ libertatis & patriæ hoſtis, ut victores tamen, imperium in victos, & dominium in occupata & devicta conſequi valeant. Sanè fortunam hic ſe maximè immiſceri, hebetudini noſtræ videtur, ſed quam DEUS occulto quidem, ſed ſemper juſto judicio, diſpenſat. Fingamus Alexandrum Magnum ex apetitu vel gloriæ, vel dominationis: Auguſtum ex prætextu politico (*quia fortè intererat tunc Rempublicam ab uno regi*) in transverſum abreptos, nulla de causâ, ardentiſſimo bello, invaſiſſe aliena imperia, & Regna, & in eas redegiſſe anguſtias, ut ſpe omni defendendi (ejectis nimirum Regibus, proſtratisque æmulis) abjectâ, ſe arbitrio & poteſtati victoris permiſerint; quis non videat hic intervenire, non cæcam fortunam, ſed illius Providentiam, qui conſtituit & transfert regna, prout vult, aſſeveravitque in verbo æterno: *Meum eſt judicium, mea eſt poteſtas*, & in cujus manu, ſicut corda Regum, ita vices Regnorum ſunt. Hoc proinde titulo victores conſequuntur à DEO Majeſtatem: & ſubditos, ex quibus conſtant Regna & Imperia (nam cives faciunt civitatem, non muri, communio ſubditorum conſtituit Regna & provincias, non Sylvæ & flumina.) ad idem obſequium, quod ante legitimo Regi debebant, his quoque victoribus, licet violentis

lentis invaſoribus teneri, certum eſt. Idque non ſolum, ut quidam infra citandus obſervat, ex tacitâ ſubjugatorum voluntate, qui Dominum habere maluiſſe cenſentur, quam bello internecino perire. (Quid enim in vitâ, vitâ homini carius?) Sed etiam in pretium ſervatæ vitæ, quam victor illis, ſi utique noluiſſet, potuiſſet omnibus adimere. Poſtquam omnis Aſia, ait Henninges, ab Alexandri Magni felicitate jugum accepit, quamvis id violentum fuerit, & nullo juſtitiæ velo excuſari potuerit: non minùs tamen ſubditi Macedonum Regi obedire tenebantur, quam antea Dario legitimo Domino. Non eſt nec noſtri officii, nec poteſtatis, interiora DEI ſacraria penetrare, cur iſte interdum injuſtos, & prædones etiam, ſuper bonos triumphare ſinat, ſufficiat nobis, hoc omni ſæculo contigiſſe, nec noſtro deeſſe exempla, ubi ex Civibus facti Principes, oppreſſa libertate patriæ: & Batavi ex olim ſubditis, jam planè totius Europæ calculo & confeſſione facti liberi Status. De eo certi ſumus, proſequitur citatus, quamprimum alicui imperium ex titulo Belli & victoriæ incipit competere, cauſam juſtitiæ, ex quâ competere cœpit, non determinare obſequium ſubditorum, ſed idem deberi prædoni, quod illi debebatur, qui legitimo per electionem vel ſucceſſionem, modo Regnum adeptus eſt; Nam & idem ei imperium à DEO datum eſt, cui obſequium neceſſario nexu cohæret. Si ſola juſtitiæ cauſa concederet Imperium, vel Majeſtatem, nemo teneretur obſequi, niſi qui juſto bello in ditionem & fidem venit. Quoniam verò illud â DEO eſt, quem novimus, injuſtum quoque dominum aliquando purpurâ induiſſe regiâ, ſubditis ſanè præter obſequii gloriam nihil relictum eſt. Diademata ſancta ſunt, etiam capitibus gentilium impoſita. Utraque pagina id luculenter commonſtrat: Nabuchodonoſor injuſto titulo in captivitate tenebat Iſraëlitas, & tamen DEUS eorum, obtemperare præcepit: *Obedite Regi veſtro Nabuchodonoſor.* Et in Novo Teſtamento imperavit Chriſtus, omnibus in poteſtate conſtitutis, ejus autem Apoſtolus, plane diſcolis obedire. Sic nobis ſatis eſt: *Victoribus competere imperium in devictos & devicta non*

Lib. 3. c. 7. de Jure belli & Pacis contra Grotium.

ſolum jure gentium, ſed magis ordinatione divinâ, cujus eſt Regna dare, vel mediatè, vel immediatè. Jam ad propoſitum redeo.

3. Plato dicebat: ſi uſpiam, in bello maximè, fortunam eſſe neceſſariam. Ita eſt: Sed illa ſæpe non conſiſtit in milite, non in multitudine, non in apparatu, non in Belli Duce; Sed in ipſo in Principe, ſive Imperante bellum, nec ſemper in hoc, ſed in illis. Experti id ſumus in noſtro Auguſto, videlicet Leopoldo, cujus fortunam DEUS in bello ſemper mirabiliter provexit præter ſpem & exiſtimationem hominum. Andreas Doria nihil memorabile egit ſub Franciſco Franciæ Rege, at magna quæque patravit ſub Carolo V. Quandoque etiam fortuna favet Principi non propter ſeipſum, ſed propter ſuum Miniſtrum, ſive belli Ducem, cui illi propitia eſt. Sic Narſetes Italiâ expulit Gothos, multosque victorias de ipſis obtinuit. Sed quarum fructu non gaviſus eſt ejus Imperator Juſtinus. Ubi vero DEUS ſibi complacet tam in virtute Principis, quam ipſius Ducis, certum habe: fortunam ſemper præſto eſſe, comitemque agere Juſtitiæ, Religionis, bonæ cauſæ. *Dii promptiores ſunt in eos, qui maximè eos colunt:* effatum eſt Ariſtotelis, repetitum ſæpius à Cicerone & Senecâ. Unde S. Auguſtinus totam Romanorum fortunam attribuit bonis operibus, quæ ex morali quodam reſpectu virtutis continuò faciebant: Non calliditate, ait ille, aut robore Romani, ſed pietate ac Religione omnes gentes, nationesque longè ſuperarunt. Major fortuna non eſt, quam â Cœlo. Facile vincit, cui Cœlites confœderati ſunt. DEO auſpice & Duce ſemper vincebant Conſtantinus Magnus, Carolus Magnus, & Carolus V. etiam Magnus, qui centies & quater cum hoſte congreſſus, ſemper palmam victoriæ tulit.

4. Rurſus hic incidit quæſtio: An interdum fortunæ committenda belli alea? Rem explico: Cum bello nihil calamitoſius dixit Epiphanes: & innocentium ſalus, in quocunque belli æſtu, periclitetur, ne dicam de cædibus & direptionibus, de ſacrilegiis & ſceleribus: Bellum denique ex Etymo magis belluinum, quam humanum eſſe videatur; An non licebit huic malo prævenire, &

& potius, ſive ultionem injuriæ, ſive ſecuritatis publicæ diſcrimen (propter hæc duo enim omne bellum exoritur) ſingulari pugnâ dirimere, quam juſto exercitu contendere. Ratio dubitandi eſt ipſum periculum, tentandi DEUM ex condicto certamine, & exponendi univerſorum ſalutem, Regnorum translationem, Religionis forte mutationem &c. paucorum, qui facile vinci poſſunt, dexteritati. Quæ ratio ſat fortis eſt, ſed univerſim non probat. Diſtinctione, quæ Magiſtra eſt veritatis, opus habeo, & cum doctiſſimo Henningio adverſus Grotium ita diſſero: Quemadmodum Principi jus eſt, juſto exercitu damna, vel injurias vindicare, aut pacis publicæ ſecuritatem ſtabilire, ita id ipſum quoque per Judices Jure experiri, longe minori periculo licebit, quam calamitoſo bello. Quis enim prohibebit Principibus (immò utinam hoc ſemper foret) res graviſſimi momenti per Arbitros componere, nec omnia ſemper jure gladii, quod fermè barbarum eſt, decidere. Facile à juſtitiâ deflectunt Regnantes, ubi omnia ad vim referunt. At vero, ſi ſe ita, ut revera eſt, res habeat; nonne ejusmodi, armorum loco, licitè adhibiti arbitri, tam facile proferre poſſunt injuſtam ſententiam, cum dubius ſit eventus litium, quam pugnantes in condicto certamine vinci. Quid obſtabit igitur diſparitatis, ne controverſias belli, quas per agmina & exercitus conficere deberent, ſolum per aliquos in arcanum decurrentes conficiant. Idem utrobique periculum eſt, eadem utrinque Fortunæ alea; quam tamen divina Providentia ita flectit, ut ab æterno conſtituit.

5. Quæ tamen omnia ſub juſtâ diſtinctione accipienda ſunt. Si cum Barbaro hoſte res ſit, qui nos omnes in ſervitutem & ad cultus ſuperſtitioſos, & fidei noſtræ adverſantes, petit: qui veram noſtram Religionem mutare, Paganismum, Saracenicam luem, aut damnatos hæreſes invehere, & denique noſtrûm omnium internecionem intendit, rationis eſt, ut communem ſalutem in paucorum manus atque irreparabile pretium non demus, ſed conjuncti totis viribus pro patriâ, aris & focis ad extremum usque ſpiritum pugnemus. Noli tentare Dominum

tuum;

tuum; tentationem arguit conditum certamen, nisi extrema necessitas & certissima innocentium pernicies ex magnitudine hostium moraliter æstimandâ minus malum apprehendendum jubeat. Sed non versamur semper in tanto discrimine. Interea vero, verius est bellum geri debere semper, quoad fieri potest, cum minori tam periculo, quam damno. Multis modis vincitur hostis ferro, fame, cunctatione, aliisque modis, qui non tam à fortunæ favoribus dependent, quam ab industriâ, arte, ingenio, experientiâ, consilio, quibus regulariter assistit providentiæ divinæ auxilium.

6. Ejusmodi non tam sortis tentamina, quam avertendorum majorum malorum conamina, nunquam summam rei, seu universorum salutem comprehendant. Sicut enim ejusmodi condicta certamina, particularia sunt, ita alios sortiri non debent effectus, quam particulares; vel finiendi belli, vel reddendæ Urbis aut Provinciæ, vel obsidionis solvendæ, vel Hereditatis accipiendæ &c. &c. In ejusmodi non tentatur DEUS, nisi omni bello DEUM tentari velis: sicut enim dubius est successus privati conflictus; ita omnium Sapientum calculo maxime ambiguus est omnis eventus Belli. Si Justitiam causæ, fortuna, id est, favor divinus prosequatur benigniùs, tantundem obtinget in conflictu privato Reipublicæ causâ, quam in formali prælio cum toto exercitus: Immo qui conflictum privatum offert, aut ultrò amplectitur, quò paucis occisis, plurimis parcatur, hoc ipsum indicium est causæ bonæ, quæ à cœlo meretur protegi.

7. Interim adversante Belli aleâ nemo fortunam accuset ream, nemo injustam dicat, nisi DEUM injustum velit. Justus est Dominus, & justa sunt judicia ejus; licet nobis occulta. Magnum certe doctissimi Scoti arcanum est: *Deo non jubente, sed permittente, maxima bona, hominibus maximè indignis, Fortuna temerè largitur.* Scit ipsa quid agit quid permittit DEUS, nemo est consiliarius ejus. Quod ego totum nomine *Ordinationis divinæ ab æterno nunquam in nostrum malum semper in nostrum bonum constitutæ complector.* Fortuna injusta non est, quia nos sumus injusti.

injuſti. Dolemus, ſi repetit, quæ nobis gratis dedit. Annon magis doleat fortuna, quod ejus beneficiis abuſi, nullam ex acceptis, illi addamus uſuram. Secundâ fortunâ indignus eſt, qui non rectè tulit primam. Qui adverſam nunquam voluit, proſperam non meruit. Si ſecundâ fortunâ potius, datori ſupplica, ne rurſus auferat, quam dedit ipſe.

CAP. XVI.

De Seditione militari.

1.

MAteriam hanc Tacitus digniſſimam ratus, quam libro primo Annalium per multa capita diffusè exponeret. Ejus ſequar methodum, veluti in utrâque facilè Principis, *Hiſtoriâ* & *Politicâ*. Rem olim apud Romanas legiones geſtam, & à tanto viro ſcriptis digeſtam, non difficile erit ad præſentia applicare. Cauſas itaque multifarias ſeditionum militarium adducit. Primò *communes, uſitatas, ſolitas, & fermè*, ut ille exiſtimat, *ſolemnes*: quales ſunt, cupido novandi, libido prædandi, inſolentia obſequendi, tædium & dedignatio diſciplinæ. Secundò, *Cauſas peculiares, quæ ex certis eventibus, temporibus, occaſionibusque emergunt*, & fermè innumeræ ſunt, totque, quot caſus accidere poſſunt: quia ex rebus & occaſionibus proximis, inopinatis, occultis, quarum nec metus, nec cura, nec aliquando cogitatio fuit, enaſcuntur. Omnium autem fermè eſt radix *inſolentia militaris*, vel nimiùm *laxata diſciplina*: vel *caſtrenſis inopia*, aliquando etiam *externa & precaria militia*: *Spes* quoque apud hoſtem *melioris ſtipendii*. Ut ſub Maximiliano Imperatore, jam prope omnia, quæ Veneti habebant, occupante, noſtro malo experti ſumus; ubi noſtri Germani deſertis caſtris Cæſaris ad Venetos confœderatorumque caſtra transfugiebant ſpe quintuplicis ſtipendii, quod illis in omnem ſingulatim diem per chartulas in

caſtris hinc illinc Cæſareis diſperſas promittebatur ac dabatur: ſicque illi brevi intervallo cum noſtro milite amiſſa omnia, longoque conatu occupata à Cæſare, recuperarunt, ex victis victores facti.

2. Tacitum autem ipſum jam audiamus: Hic rerum Urbanarum ſtatus erat, cum Pannonicas legiones ſeditio inceſſit: nullis novis cauſis, niſi quod mutatus Princeps (nam Auguſtus exceſſerat) licentiam turbarum & ex civili bello ſpem præmiorum oſtendebat. Sanè magnarum rerum tranſitus opportuni ſemper fuêre rebus novandis. Unde Peſcennius occaſioni huic inſiſtebat, & audito Auguſti fato dicebat ad milites: Quando unquam aliàs auſuros expoſcere remedia, niſi novum & mutantem adhuc Principem precibus & armis adirent. *Armatæ preces, neceſſe eſt, ut exaudiantur.* Rumor ſiquidem in caſtris erat (qui, ſi primus eſt, facile percellit aures, & omnium occupat animos) quod Germanicus Cæſar Imperium Tiberii pati nequiret, daretque ſe legionibus, vi ſuâ cuncta tractaturus, cujus enim arma ſint, ejus Imperium eſſe, tunc nemo dubitabat. Vix nuntiabatur Regis Philippi ab aulâ morbus, jam ſupremus credebatur Belgis, morte ejus omnibus Provinciis evulgatâ. Inde confeſtim ſecutæ multæ defectiones civitatum, nobilium, feſtinante per hæc turbido Orangio, ritu Aranei, nubilo texentis. Et vero vix ulla in Provinciis Regi obſequentibus urbs, pagusve aut caſtrum erat, quo ille turbarum non deduxerat, ait Pamianus Strada.

3. Alteram ſeditionum cauſam innuit Tacitus fuiſſe *otium caſtrenſe.* Cujus Junius Blæſus cauſa fuit, qui apud Pannonicas Legiones Legatus, fine Auguſti & initiis Tiberii auditis intermiſerat ſolita munia. Iisdem æſtivis Germaniæ inferioris Legiones in finibus Ubiorum habebantur per otium, & levia munia, unde principio laſcivire miles, deinde diſcordare cœperat.

4. Tertiam cauſam refundit in novam militiam & vernaculam multitudinem, laſciviæ aſſuetam, laborum intolerantem. Quartam vero, & præcipuam attribuit concitatoribus & ducibus tumultuum; quales erant apud Pannonicas Legiones Peſcenius

&

& Vibulenus: Ille Dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax linguâ, & miſcere cœtus hiſtrionali ſtudio doctus. Vibulenus verò gregarius miles, atrabilaris, nec ſorte ſuâ unquam contentus, quia meliorem non meruit. In Germanicis vero legionibus non unus concitator, & tumultuantis multitudinis fomes, ſed multa, ait Tacitus, ſeditionis ora, vocesque, & quò fœdiſſimus quisque, eò in ſeditionem promptior, primum irritamentis, mox pravis ſermonibus, inſinuata opportunitate & occaſione; deinde plures conglobati, nocturnis colloquiis, & in veſperum flexo die præſertim dilapſis melioribus audaciores facti, apertiùs querebantur, prioris fortunæ memores, præſentis pertæſi, maledici Principibus, Ducibus infenſi, tandem conjurabant, & deterrimum quemque in ſeditionis fœdus vocabant. Vibulenus extremè hypocrita incendit fletus & pectus, atque os manibus verberavit, & mox præceps ſingulorum pedibus advolutus eſt, ut omni vecordiæ apparatu turbam militarem infuriaret.

5. Quintam cauſam conficiunt varii *Prætextus, & ſpecioſa ſeditionum vocabula.* Ut: Severitas nimia Belli Ducis, re præſertim benè geſta, quod aliquando Papyrio, cum Fabium Magiſtrum Equitum re benè geſtâ, punire tentabat, accidit. Nimii militum labores, aut diuturni, nullo extraordinario præmio donati, concitant animos adverſus Duces. Sic duriorem indies militiam Alexandro Farneſio exprobrabant in faciem aliquandò præſidiarii milites Namurcenſes. Prætextus vero non alius militarium tumultuum frequentior eſt, quam ſtipendiorum major, quam obſequentes decet, efflagitatio. Inculpant tribunorum fidem, non modò commoda militis non procurantium, ſed etiam ejus poſtulata faſtidientium: intereà ab illo exigi plusquam Religioſam diſciplinam: Ad omnem nutum eundum illi adverſus igneos tormentorum globos: ſulcanda fluminum vada: ſcandenda prærupta, excipienda vulnera: ſuorum commilitonum corporibus exæquandæ foſſæ: Nihil denique militis animâ vilius haberi. Ex ejusmodi cauſis intrà ſpatium tantum octo annorum, quatuor graviſſimas Hiſpani in Belgio moverunt ſeditiones, eâ progreſſuum

trepidatione, ut res Hiſpaniarum Regis jam collapſa crederetur. Anno 1574. in obſidione Lugdunenſi tanta exarſit Hiſpanorum militum, quorum ſupra quatuor millia erant, in Waldeſium ſuum Belli Ducem, ſeditionis flamma, ob ſtipendia non numerata, ut ipſum Ducem caperent, novumque illi ſubſtituerent, relictâ obſidione Lugdunenſi, ſignis Trajectum verſis: quam Urbem in compenſationem ſtipendiorum expilaſſent, niſi Belgii gubernator Requeſſenius in tempore refractarios perſolviſſet. Stipendiorum ſubtractio maxima progreſſuum militarium remora eſſe cenſetur, atq; indè contracta ſeditio, ſi non veniâ mereatur propter exempli conſequentiam, ſaltem compaſſione digna, quod duplici ſupplicio pœna videlicet & fame, quæ ſolâ morte minus ſuppliciũ eſt, mulctetur.

6. Quàm autem horridum eſt, ſive videre, ſive audire, ſive pati, ſeditioſum & tumultuantem militem, ipſe Tacitus tam in Pannonicis, quam Germanicis legionibus luculenter commonſtrat. Germanicæ prætendebant: ſuâ in manu ſitam rem Romanam, ſuis victoriis augeri Rempublicam, in ſuum cognomen adſciſci Imperatores, mirâ quâdam & confundendi omnia cupiditate, novum Ducem, novum Statum, novam quærebant Rempublicam. Quin etiam auſi ſunt minari daturos Senatui, daturos Principi leges, modum ſtipendii, finem militiæ, ſibi ipſi conſtituere conati ſunt. Mox carcere effracto, deſertores belli ac rerum capitalium damnatos, ſibi miſcuêre: Jus hoc antè, nec Tribunis, nec caſtrorum Præfectis permiſſum: Vigilias, ſtationes, & ſi quæ alia præſens uſus indixerat, ipſi partiebantur. Ex hinc in Centuriones ſævitum vetuſtiſſimam militaribus odiis materiem, & ſæviendi principium. Eos igitur diſtrictis gladiis invadunt, ſexageni ſingulos, ut numerum centurionum adæquarent. Tum laniatos convulſosque partim exanimes ante vallum, aut in Rhenum projiciunt. Poſt hæc ad diripiendos proximos vicos & municipia, (velut præruptis aggeribus immodicus torrens) prorupêre, & circumjecta quæque ſine metu, ſine modo populati ſunt. Ipſum Germanicum è domo Cæſarum, Principem & caput ſeditionis quærebant, cum illi ultrò Imperium offerrent.

7. Nec

7. Nec aliter à seditiosis apud Pannonicas Legiones actum, patratumque. Illi enim cum populabundi in proxima municipia excurrerent, ac à Centurionibus retinerentur, vel amoverentur, perfrictâ fronte insistentes prædæ centuriones irrisu, & contumeliis, postremò verberibus insectati: Rufum castrorum Præfectum dereptum vehiculo sarcinis gravant, aguntque primo in agmine per ludibrium rogitantes: an tàm immensa onera, tàm longa itinera libenter ferret? Centurionem Lucillium interfectum, dicit idem, qui hæc omnia describit, Tacitus; cæteros latebræ texêre. Septimius Chærea, cum ad tribunal perfugisset, pedibusque Cæcinnæ advolveretur, eò usque flagitatus est, donec ad exitium dederetur. Ipsis Prætorianis militibus, qui cum Legato Tiberii custodiæ ergò, venerant, manus intentatæ; Legatus ipse vix ereptus exitio, & Plancus etiam luit seditionis acerbitatem. Quin ipsæ inter se legiones octava & quintadecima ferrum parabant: dum centurionem cognomento Sirpicum, illa morti deposcit. Denique ipsum Cæsarem Germanicum cubili extraxerunt, & tradere Vexillum Imperatorium, intento mortis metu, subegerunt. Ideò jure expostulabat ille in seditiosos: interfici Centuriones, ejici Tribunos, includi Legatos, infecta sanguine castra, flumina: ipsumque Ducem precariam animam inter infensos trahere. Ita nimirum seditionis militaris pericula, damna & incommoda describit Tacitus, eo animo videlicet, ut Belli Duces præcavere, præoccupare, avertere id discerent, quod deinceps tantum detrimenti, publicique discriminis facessit. Verum ea quidem se in antiquitate habuêre, lubeat recentius & in gente quidem non minus constantissimâ, quam fidissimâ (qualis Hispanorum est,) immanis seditionis tentamen videre.

8. Post atrox illud in Belgio prælium Mochense, in quo tres Principes occubuêre cum strage totius exercitus Nassovici, & Sanctius, Avila, Hispanæ militiæ Dux, indè magnam glorioſamque retulit Victoriam, ingens tamen in Hispano exercitu efflagraverat seditio, ob non soluta trium ferme annorum stipendia, quæ miles à victoria & justâ causâ ferocior, tanto implacabi-

cabilius ab Avila vacuo, ut Famianus Strada ait, tàm grandi ære, & naturâ perſevero viro, non habuit. Primum igitur ſeditioſus miles adoritur centuriones, quibus, cum obvius Avila reſiſtere voluiſſet, non obſequentia, ſed objecta ſibi militis arma expertus, regredi coactus eſt. Tum ex ſeditioſorum more ſibi novum Ducem creant, & Antwerpiam infeſti contendunt, contemto Requeſſenii ſummi Belgarum Pro-Regis Legato Petro Trigoſio, quem nec audire volentes proteſtabantur: ſat jam verborum inanium dictum, palàm autem, certumque eſſe tantùm ab iis pro Rege fuſi ſanguinis dediſſe, ut iſte in una lance, alterâve Regis argentum illis debitum, poſita; plus habiturus ſit ponderis ille, quam hoc. Igitur populabandi Antwerpiam ditiſſimam Urbem ingrediuntur, ad aram tumultuariè factam publicè conjurant, & electo Duci ſpondent. Tum ſibi opulentiorum Civium domos deſignant, occupant, diripiunt, helluantur: & quod placitum erat inſolentiæ militari impune agunt: nec deſiſtunt, donec poſt unum & medium menſem, undique corraſo ære ſolverentur ſeditioſis planè ſtipendia. Sed multò hâc periculoſior erat ſeditio Anno 1589. Legionis Levianæ contra Mansfeldium, non ferme multum abſimilis ſuperioribus duabus, quas Tacitus deſcripſit, niſi quod hujus principium ab otio fuerit: Nam in hybernis Mechliniæ & Liræ laſciviebant non minus Præfecti, quam ipſi milites: Et quia Bacchus & Venus magno ære opus habent, ne planè frigeant; ſe permulto alieni æris pondere aggravârunt ſtipendia, planè mercatoribus oppignorantes, quæ nec ſufficiebant: Indè amiſſa fides apud caſtrenſes annonarios & tabernarios, nihil ab his accipere poterant, niſi parato numo, quem hybernum otium, ſympoſia, & fæminæ abſumpſerunt. Nullibi ſpes erat, niſi in deſperato tentamine. Forum igitur caſtrorum obſederant, acclamantes Regi vitam, & proteſtantes contra malum Regimen: Neque Ducum hortamina, minùs juſſa valebant, Mansfeldii autem præſentia magis incendebat in ſeditionem animos, quem ex aliquot capitibus odio habebant. Adeò nihil aberat, quin diſpoſitæ utrimque

que acies in prælium ire viderentur. Interim Sagacitas Ducis Parmenſis, cognito diſcrimine, eò provexit majorem militiam, quæ ſe ſeditioſis opponeret, & ne gentilitius in ſe ſanguis fæviret, ſatius duxit antiquiſſimam Legionem diſſolvere, remque ita componere, ut nec hoſti ſolatium, neque Regiis progreſſibus ulla remora objecta fuerit.

9. Et reverâ major in belli Duce vix ars experiri poteſt, quam noſſe tumultuantem ſeditione militem rurſus in ordinem redigere. Multi in hoc laborarunt, ſed non omnes aſſecuti ſunt. Seditionis remedia, quam principia majora ſunt. Videamus atamen uſitatiora remedia. Ea autem fermè ſunt, *dehortatio, diverſio, præſentia belli Imperatoris magnanimi pœna in Autores.*

10. Primum igitur eſt, Dehortatio plena argumentis, à fide juratâ, à facti turpitudine, à ſpe veniæ ſi reſipiſcant : à periculis, ab hoſte imminentibus, ab olim promeritâ, jam verò turpiter deperditâ gloriâ : à benignitate Principis, ab amore denique Patriæ deſumptis. Jam ſæpius ceſſerunt arma togæ, abſterrita inſolentia à bono conſilio, oppreſſa per linguam audacia, & ab eloquentibus viris ſedati tumultus ſeditioſi. Sicuti enim ſeditioſi buccinatores in infames, quos volunt, affectus, excogitatæ nequitiæ argumentis, multitudinem rapiunt, ut juratæ fidei oblita maledicat Principibus, obſequium neget Ducibus, & ſceleratiſſima quæque moliatur : ita eloquentes Duces virtutis, fidei, & gloriæ exemplo, rurſus revocant errantem militiam, ut ſui compos facta, ultrò in Autores mali ipſa poruat, & dicto citius placetur, ſeque colligat, & in ordinem priſtinæ diſciplinæ reducat. Mantuanus id Poëta expreſſit in bello Trojano; Æneidos:

- - Veluti magno in populo, cum ſæpè coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile Vulgus:
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tum pietate gravem, ac meritis, ſi forte virum, quem
Conſpexêre, ſilent ; arrectisque auribus adſtant.

Fgre-

Egregiè præſtitêre hoc in præfatâ tàm Germanicâ, quam Pannonicâ ſeditione (ut diffusè Tacitus refert,) Germanicus ipſe Dux & Cæſar, & à Tiberio miſſus Druſus. Ille milites alloquebatur auctoritate & eloquentiâ, & quia omnibus gratus erat, audiebatur patientiùs. Miſcebat gravitati moderationem, dolori miſerationem, iræ benevolentiam, conqueſtioni excuſationem, ſpei metum, gloriæ dedecus; ſicque ſeditioſorum animos penetrabat, convincebat, mitigabat; etiam immutabat, adeò, ut conſcientiâ ſceleris jam trepidarent ad conſpectum Cæſaris. Druſus verò nobilitate ingenitâ ſenſim ſe communicabat obſtinatis: monſtrabat Epiſtolam Tiberii, incuſabat flagitia, probabat pœnitentiam, tentabat, quos idoneos rebatur, circumibat tentoria, inſerebat ſe cuſtodiis portarum, magis ſpe, quam metu, non minis, non vi, ſed clementiâ hortabatur eo effectu, ut jam diverſis animorum motibus inter ſe colluctarentur ſeditioſi, jamque paverent, mox clamarent, iterum quieſcerent; & ad ſuppliciorum patientiam ſeſe ſubmitterent.

11. Secundum remedium eſt indulgentia, ſtipendiorum ſolutio, item largitiones, promiſſiones & præmia ad diſciplinam, priſtinumque obſequium redeuntium. Stipendiorum ſolutio æqua eſt, & maximum fermè ſeditionum remedium, ac levamen. Solutus miles, non facilè excutit diſciplinam, facilis eſt in obſequium, & laboris tolerantior. Spe ſtipendiis magis, quam gloriæ ducitur; illius amittendi metu impellitur in conſtantius obſequium, fidemque firmiorem. Omnes propè militares ſeditiones, vel ex numeratâ pecuniâ, vel hujus habendæ ſecuritate confeſtim extinctæ ſunt. Duobus ab hinc ſæculis, centum, decem & octo ſub Auſtriacis Principibus numero militares ſeditiones leves, & graviſſimas aliquas; ſed omnes comperio ſtipendiis exhibitis quam primum finitas. *Stipendiorum longior dilatio duplex in Republicâ conſciſcit malum*, nimirum, *quod illa difficilius ſemel reddi, & vix cum diſcrimine poſſint.* Vel enim indè ſeditiones militares oriuntur, vel optimi progreſſus ſiſtuntur. Experti primum olim in Belgio, nunc experimur alterum

in

in Italiâ. Quoad reliqua verò, promiſſiones videlicet, præmia largitiones, præſertim verò conniventiam in ſeditioſorum poſtulatis, advertendum eſt ad Taciti arcanum dicentis : *Æque in ancipiti fore Rempublicam, ſeu nihil militi, ſeu omnia concederentur.* Non itaque omne indulgendum ; Preces ad principem remittendæ : (Prætextus iſte Druſo fuit *Arbitrii Imperatorii & Senatorii*, quo profuſa petentes ſuſpendat,) ſpes danda : aut ſi ad promiſſa cogeris, cum tempore neganda, irritanda : alias inſolentiam contrahent ſeditioſi, & tu tibi geminabis pericula, ne amplius majora petant, ſed audeant. In ſuſpicionem traxit Germanicum (aliàs de ſuppreſſâ ſeditione optimè meritum,) Tiberius Auguſti Succeſſor : Is gaudebat oppreſſam ſeditionem, ſed quod largiendis pecuniis & miſſione feſtinatâ favorem militum quæſiviſſet ; bellicâ quoque Germanici gloriâ angebatur. Nam quarta decumanis pecunia, & miſſio, quamvis non flagitantibus oblata fuit. Audaciores redduntur, ſi ſe metui, Ducesque ſibi cedere videant. Hinc cum Blæſi filium ad Tiberium mitti, qui poſtulata ſeditioſorum exponeret, vidiſſet, illicò cœperat ſuperbire miles, ait Tacitus, quod filius Legati Orator publicæ cauſæ ſatis oſtenderet, neceſſitate expreſſa, quæ per modeſtiam non obtinuiſſent.

12. Tertium remedium eſt, Venia ſupplicibus & pœnitentibus oblata. Illis facilè ignoſcendum, qui non perſeverare, ſed ab errato ſe revocare moliuntur. Leones proſtratis parcunt. Magnus in hoc Theodoſius, qui beneficium ſe putabat accepiſſe, cum rogaretur ignoſcere : & tunc propior erat Veniæ, cum fuiſſet commotio major iracundiæ : & optabatur in eo, quod timebatur in aliis. Ut iraſceretur, hoc erat remedium reorum, qui cum haberet ſupra omnes poteſtatem, quaſi parens poſtulari malebat, quam quaſi Princeps punire. Quod maximè circa eos obſervare expediet, qui vel in ſeditionem inducti, vel fame & inopiâ compulſi, vel à ſuis centurionibus innocenter afflicti, vel male habiti fuêre.

Cæterùm cum contumacibus ita agendum, ut Plato dixit:

Qui ſeditionem moverit, moriatur : qui ſedaverit, præmium ferat. Miſereri enim oportet Juſtorum, non improborum. Juſtinianus Byzantinam ſeditionem, quæ inter graviſſimas legitur, ſublatis Autoribus Hypatio, & Pompejo, trucidatisque triginta millibus ſeditioſorum, vix extrinxit. Exaſperato, & jam latè diffuſo ſeditionis incendio, ſæpe Venia offerri non poteſt, ex metu, ne non acceptaretur à contumacibus : interim ſenſim deflagrante jam ſeditione, utiliter à Principe *Generalis venia, & delictorum perpetua oblivio promittitur.* Si enim ſeditioſi veniam conſecuti fuerint, pœnitentiâ atque pudore adducti; non modo, non audebunt, Principi à quo clementiam acceperunt, inferre injuriam, ſed etiam plerumque Veniam obtendam remunerabuntur fide, quam hactenus majore.

13. Quartum remedium eſt Diſſociatio, & confuſæ multitudinis Diviſio. Ita Romani fecerunt, cum ſeditioſos inter ſe ſuſpectos redderent, concitarentque; Tirones verò à Veterannis, legionem à Legione diſſociarent : Et Mansfeldius Anno 1589. in Belgio, cum inter Hiſpanos prima, & ſuprema Legio, Leviana dicta, in apertam ſeditionem abiret ; illicò omnem operam adhibuit, ne Babadilliana & Mauriquina, quamvis par cauſa omnium eſſet, illi jungeretur ; immò quantocius turbidis Levianorum conſiliis ſubduceretur, quod egregiè præſtitum fuit ab Emanuele Vegâ & Didaco Avilâ; aliàs proximus periculo erat Mansfeldius cum toto Regio exercitu, cujus fermè dimidium hæ tres Legiones confecêre. Audacia enim omnis accedit ſeditioni ex numeri & multitudinis fiduciâ. Ideò Tacitus teſtatur in Germanicâ & Pannonicâ ſeditione, quoties ſeditioſi oculos ad multitudinem retuliſſent, toties truculentis vocibus ſtrepebant; rurſum viſo Cæſare trepidabant. Cur enim innumeri paucos paveſcerent ? exiſtimabant. Plurimùm autem ſuccedet, ſi Capariones & Autores Seditionis vel tollas, vel tibi quomodo devincias. Mox latebras quærit vulgus, ubi ductore deficit. Emortuum collabitur cadaver ſine capite. Frequentiores adhuc forent ſeditiones, ſi ſemper Dux præſto eſſet. Undè Tribuni Legio-

gionum, ſi qui turbulenti vel ſeditioſi ſint officiales in Legione, eos prudenti conſilio ſegregent à caſtris, ad agendum aliquid, quod illis videatur optabile : aut caſtella urbesque deputent muniendas, atque tuendas, tantâ tamen cautelâ, ut cum abjiciantur, exiſtiment ſe ad majora electos. Nunquam ad contumaciam pari conſenſu prorumpit multitudo, ſed plerumque incitantur ab aliquibus, qui Vitiorum, ſcelerumque impunitatem ſperant peccare cum plurimis. Ideò poſt prædictam ſeditionem, teſtatur Tacitus, Veteranos, haud multò poſt, in Rhætiam miſſos fuiſſe, ſpecie defendendæ Provinciæ, ob imminentes Suevos.

14. Quintum remedium eſt Diverſio militis ; vel in hyberna, vel in hoſtem producendo : ſed magis hoc, quam illud. Poſtquam enim ſeditioſos pudor & metus invaſit, ipſi non aliud malorum levamentum credunt, quam ſi linquerent caſtra infauſta temerataque, & ſoluti piaculo ſuis quisque hybernis redderentur. Tacitus ipſe refert, poſt ſopitam Pannonicam & Germanicam militum ſeditionem, truces tum animos duarum Legionum cupido involaverat eundi in hoſtem, piaculum furoris : nec aliter poſſe placari commilitonum manes rebantur, quam ſi pectoribus impiis honeſta vulnera accepiſſent. Adeò pudet ſceleris, poſtquam patratum eſt. Ejusmodi turbidos homines à caſtris divertendi prima ſit cura belli Ducis, exemplo Alexandri Parmenſis : cui cum primum Levianæ Legionis, quæ ſuper ter mille militantium ſub ſignis numerabat, ſeditio innoteſceret ; diſſolvendam, & à caſtris procul removendam ſibi propoſuit contumacem Legionem ; ſic ut militibus ejus aliis aliò diſpartitis, tumultuandi confidentiam, quæ in conſenſu ſeſe una reſpicientium inerat, opportunè ſubtraheret. Id verò, ut & motu quam minimo perageret, quaſi expeditionem aliquam in Flandriam meditaretur, feſtinatis literis Levæ Tribuno Legionis mandat, quam primum Legionem navibus impoſitam Namurcum deportet ; indè apud Tiletum ſupprimendam, Strada part. 2. l. 10.

quod & factum magno dolore antiquissimæ & meritissimæ Legionis, sed longe majore exemplo in posteros.

15. Sextum Seditionis militaris remedium validius non est, quam Præsentia magnanimi & imperterriti Ducis, qui linguâ, telo, autoritate pollet, quorum quæque contumaciam quamcunque frangunt, absterrent, & amicos reddunt attonitos. Profectò, si Hispano Commentario credimus, affirmare non dubitabimus: Nullum ex retro omni antiquitate facilè dari, qui militarem seditionem aggressione unquam audaciore compresserit quam Alexander Dux Parmensis Anno 1582. Is, cum percepisset Germanos in castris ad Abdenardam Seditione moveri, duplex exigentes stipendium, ut erat equo insidens, illuc cum equitum advolans Magistro, videt nihil pacatâ ad Ducis supremi præsentiam legione, inter minas strepitusque & concussiones armorum, duos milites raptum ex manu signiferi vexillum ad terram affigere: & hastatos in fronte agminis, obversis in accedentem cuspidibus, vim parare. Enim verò irâ succensus Alexander (ita scribit Belgii Historicus,) incitato equo, primas hastas gladio submovens, atque agmen aperiens, terroremque & plagas ingerens, ad signiferum penetrat: vicinumque ibi militem è collari arreptum tractumque extra agmen asportat, ac suspendi illicò jubet. Tum advocato ad se Legionis Tribuno, è singulis centuriis binos milites culpæ propiores exigit, omnibus eodem loco in furcas actis, spectante nec hiscere ausâ Germanorum legione; Admirandum, me castor, magis quam immitandum exemplum, nisi ita sciviſſet sibi à residuo exercitu præsidio esse. Stupebant, hærebantque attoniti totius exercitus Proceres ad tantum Ducis animum contra tot armatorum vires. Sic seditio unius magnanimitate sopita diuturnæ omnium memoriæ inhæsit, ut meritò observatum sit, ab inde nullam amplius seditionem in exercitu Regio exortam fuisse.

Strada Dec. 2. lib. 5. de bello Belg.

16. Septimum Seditiorum militarium indigitat remedium sæpè memoratus Tacitus, ubi ait, post Germanicarum & Pannonicarum Legionum compressam seditionem, Auctores illius Vibule-

bulenum & Peſcennium interfectos, & præcipuos quosque turbatores conquiſitos, traditosque fuiſſe ad condignum ſupplicium. Quorum ſuppliciis gaudebant plane miles prius ſeditioſus, tanquam ſemet abſolveret : Immò permiſſa Vulgo licentia atque ultio, & ſatietas. Verum nova clades magis erat, quam Medicina, ubi in tot promiſcuè ſævitum fuit. Decimatio olim & nunc in uſu fuit, ſed quia illa fortuita magis quam certa; ſæpè inſontes ſontium culpam luerunt. Ad Autores potius pœna redeat, quos etiam vulgus ſedatâ ſeditione abominatur. In univerſos & indiſcriminatim ſævire idem eſt, quam velle homines delere, non ſcelus. In paucis ſæpè, omnium emendatio eſt : Igitur *pœna ad paucos extendatur, ut terror & emendatio ad omnes perveniat.*

CAP. XVII.

Belli Ducis dotes.

1.

MAgna res eſt belli totius eſſe, ſive Ducem, ſive Imperatorem cujus nimirum fidei & curæ Rex & Regnum, Urbes & populus, & totius concreditur Reipublicæ gloria & ſalus. Tantæ Poteſtatis inſignia, non minores in illâ exigunt dotes, aut pauciora encomia. Sequor imprimis Onoſandrum Strategicum græcâ quidem lingua, non fide Autorem. Vult iſte belli Ducem caſtum, ſobrium, & uno verbo temperantem, ex Romani Conſulis mente, ut nimirum imperaturus aliis, ipſe ſibi primus imperet, refrenetque libidines, voluptatum exactus oſor, integerque mente & corpore, & tunc incipit aliis imperare, cum ipſe dedecori, & turpitudini obtemperare deſierit. Ex veſano Cleopatræ amore tertiam mundi partem cum deſperatâ vitâ amiſit Antonius. Quantæ ex intemperantiâ Urbes prolapſæ! quot Heroës effæminati! quot Regibus perduelles! quot Patriæ

triæ proditores! quot à fidei Apoſtatæ! non refero, quia palam ſunt. Unus interim ex omnibus, Cæſar, ad occupandum Orbis Imperium, Romanam videlicet Rempublicam, *ſobrius acceſſit.* Noctu, quaſi ſilente & quieſcente animo ſobrii Ducis cogitatio multa molitur ac perficit. Parſimonia temperantiæ eſt vera ſoboles, ne intempeſtivi Ducum luxus atque deliciæ conſumant *rem communem*, detrahantque ſuſtentamenta militi. Avarum tamen nolo: quia ſordes tantùm Autoritatem diminuunt, quantum illam auget Magnificentia.

2. Alterum eſt, quod inclutum reddat belli Imperatorem ſcilicet: *Intellectus, eloquentia & labor.* Quæ tria omnes cæteras Ducis qualitates præcellere debent. Intellectus quippè perſpicacitate ſuâ reſolvit dubia, aggreditur difficilia, & omni proſpicit diſcrimini. Inſperata enim ſæpius accidunt, quam quæ ſperantur. Ideò tumultuarium quandoque conſilium expedit, & è re natâ conſulere non ſemper deterrimum, ſed ſæpè dexterrimum habetur. *Cogitatio Ducis inſtar volatus eſt* apud Homerum. *Eloquentia* in omnem partem flectit militem, ſolatur & perſtringit: medetur & corrigit: componit, & concitat: minatur & conciliat: omnia denique Suadâ comite evincit. Extat Cæſaris olim Oratio libro tertio ad milites in *Theſſaliâ* à Pompejanis fuſas: quâ habitâ exercitui tantus inceſſit ex incommodo dolor, tantumque infamiæ ſarciendæ, ut nemo, aut Tribuni, aut Centurionis imperium deſideraret, & ſibi quisque etiam pœnæ locò graviores imponeret labores, ſimulque omnes arderent cupiditate vincendi. Undè rectè concludit Strategicus: *Nulla igitur Respublica aut exercitum ſine Imperatore, aut Imperatorem abſque eloquentiâ mittat.*

Claud. Plutarchus. 3. *Labor* exemplum & incitamentum eſt omnium. Tum, promptius ibunt te ſocio: tum conſpicuus gratusque geretur ſub te teſte labor. Jucundiſſimum eſt ſpectaculum Dux in oculis militum eodem pane veſcens, (ut de Rudolpho I. Auſtriaco dicitur,) aut humi, aut in vilithoro quieſcens (ut de Annibale tradit Livius,) aut in foſſâ, vel aggere faciendo operam communem

nem præſtans, ut Plutarchus teſtatur de Mario. Apud Græcos exiſtimabat Ageſilaus belli Imperatorem decere potius, ut tolerantiâ, quam mollitie privatis hominibus præſtaret. Penuria aquæ, fervida ætas, longinqua itinera, ſolâ Ducis patientiâ mitigantur : eodem plura, quam cæteris militiæ ſociis tolerante. Ibunt privati æmulatione obſequii in Anteſignani ſui proprio labore ac ſudore prælibata juſſa & imperia. *Non indè corrumpitur honor Ducis, ſi ad opus primus, ſi in agmine gregario militi mixtus fuerit.* Talis apud Romanos Cæſar : Laboris ultra fidem patiens, & in agmine nonnunquam in equo, ſæpius pedibus, capite detecto, pectore aperto, brachiis ſindone nudatis, ſeu Sol, ſeu imber eſſet, anteibat. Quam pulchrum videre eſt ſummum belli Imperatorem medium in acie commilitonum obverſari oculis apertâ caſſide, auguſtâ fronte, geſtibus ferocem, aſpectu verendum, artubus fortem, in catefracto equo, militariter (non molliter) indutum perluſtrare campum, ordinare lineas, diſponere vigilias, dare teſſeras, defillare phalanges ; nunquam otioſum, ſemper vigilem, ad diſcrimina paratum, omnibus providum, conſtantem inter pericula, nunquam ambiguum, omniumque belli incommodorum tolerantem magis, quam exemptum. Credite : Nec Hector, nec Achilles, nec Auguſtus, nec Pompejus, nec Alexander, nec Pyrrhus alio claruêre nomine, quam *Labore.* Non aliud ſulcabant ad Victorias mare, quam per cædes & ſanguinem hoſtium. Non alio ſcalpello ſuam marmoribus imprimebant gloriam, quam ferro, ſiti, ſudore, fame, labore.

4. Tertium eſt, quod belli Ducem commendat *Amor* nimirum *erga ſuos commilitones.* Abſit hîc Superbia & contemptus : abſit aſperitas & odium. Amari magis debet quam metui : ſed metui etiam, ne offendant illum, quem amant. Sic amor metu temperatur : ſic diſciplina exigitur jure ab iis, qui amantur. *Male vim ſuam Poteſtas aliorum contumeliis experitur : longèque valentior amor ad obtinendum, quod velis, quam timor.* Affabilitas & humanitas erga inferiores præclarum

Duci-

Ducibus viaticum eſt ad victorias & triumphos. Decertabunt illi ex amore non minùs pro gloriâ Ducis, quam ex quotidianis ſtipendiis pro cauſa Belli.

5. Quartum, *Auctoritas* adorabilem planè reddit Belli Imperatorem, quia felicitas ſucceſſuum eſt ſoboles autoritatis apud viros ſummos. Hæc ex triplici derivat fonte: *Fortunâ, ſanguine, & factis egregiis.*

6. Fortuna ſi præſcripſit, ſecura eſt victoria: Ubi autem victoriæ certitudo, ibi merces eſt Gloria, & univerſalis omnium exiſtimatio & applauſus. Felicitas rerum geſtarum, ſæpe magis ſpectatur, quam experientia, aut quæcunque dos animi. Res adverſæ Ducum Auctoritatem imminuunt, ſicut proſperæ usque ad intemperantiam provehunt.

7. Sanguinis claritudo illuſtrat omnem Magiſtratum, ſed eum maximè, qui eſt militiæ. Quid enim præclari homo ignavus, aut ignobilis geret? quis eum non deſpiciat hoſtis? quis ei ſocius obtemperet? quis Militum non dedignetur Ducem à ſtivâ venientem? Quis bubulci ſigna ſequatur. Multum accedit à claro ſanguine, qui plerumque fervidus & in Gloriam accenſus eſt militari virtute: Natura quoque impreſſit Nobilitati reverentiam quandam, quam inferiores, ex quibus major quaſi componitur militiæ pars, ingenito quodam horrore ſuſpiciunt.

8. *Egregia autem facta* eorumque fama apprime commendant Belli Imperatorem. Nam qui præter hæreditarios honores, avorumque imagines, peculiari propriâque virtute gloriam laudemque meretur, is omnium exoptatur votis, omnium celebratur vocibus.

Apud gentes aliquas etiam ſeclusâ nobilitate attenditur ſola facinorum claritudo & fama, ut Turcis mos inolevit, in munerâ diſtributione non eos, qui Nobilitate alios ſuperant, ſed qui fortitudine & experientiâ rei Bellicæ aliis præſtant, ad ſupremas Belli Præfecturas evehendi. Adeo ſolus Magiſtratus ſive munus publicum illos facit Nobiles. Tranſeat hoc apud Turcas, ubi nulla Nobilitas eſt, ſed omnes mancipia: & Chriſtianorum filiis, ſi fidem

ſi fidem renegent, plerumque obveniunt primæ Præfecturæ. Nemo tamen prudens id Chriſtianis Monarchis ſuaſerit, quorum ſuccedaneâ & longâ per ſtirpes ſerie progeniti Nobiles & Illuſtres viri meruêre tam Patrum merito, quam virtute propriâ à ſuis Principibus cum diſtinctione æſtimari, foveri, evehi. Natura quippe ipſa paſſim teſtatur: *Fœtum non facile degenerare à ſuo principio.* Et nos fermè ſupponimus: *Fortes naſci Fortibus,* & virtutem habitualiter miſceri claritudini ſanguinis. Paucis comprehendo ſuperiora omnia: In ſupremo Belli Præfecto confluere debent dotes planè non communes, Magnanimitas nimirum Alexandri, generoſitas Themiſtoclis, ſagacitas Annibalis, affabilitas Pyrrhi, ſolertia Sertorii, modeſtia Scipionis, fortitudo Ajacis, Fortuna Cæſaris: Sit ille indefeſſus, ut Ageſilaus: ſit providus, ut Auguſtus: ſit ſuis carus, ut Germanicus: ſit eloquens, ut Epaminondas: ſit invictus, ut Alcides: ſit ingenioſus, ut Ulyſſes. Magna hæc ſunt, ſed fermè neceſſaria illi, cujus humeris incumbit Regum ſive Autoritas, ſive contemptus; Regnorum ſive felicitas, ſive ruina; Univerſorum ſive Salus, ſive perditio.

CAP. XVIII.

Reflexiones Principis circa Belli Ducem in capite.

1.

DAre ingratum militi Belli Ducem tantundem Xenophonti videtur, quam ſibi domeſticos conſciſcere hoſtes, totque in ſuum caput inimicos legere, quot Ducem odêre. Invitis nemo voto imperat. Odium Ducis nocet commodis Imperantium.

2. Certò exiſtiment Principes fortunam nulli unquam compromiſiſſe de eventu belli, manet iſte dubius tamdiù, quamdiù ſors propitia, vel ſiniſtra, è ſinu ſuo non effundit vel clades, vel victorias. Bellorum eventus omnium actionum humanarum in-

certiſſimi ſunt. Bellum varium, anceps, atrox his, rurſus illis exitiabile, dixit Tacitus. Belli momenta Ducis quidem virtute, ſed primitus Fortunæ (quam nos Numinis Providentiam intelligimus) felicitate & ordinatione conſtant. Videtur plerumque accidere, ut bella casu potius, quam certo Ducum arbitrio, conſilio, aut ductu conficiantur: interim ignaviæ hoc axioma non meretur felices ſucceſſus. Quia Cauſa prima regulariter ſe accommodat cauſis ſecundis; *Dii* quippe *laboribus omnia vendunt.* Ducum peritiam, vigilantiam, dexteritatem, recta conſilia, bonam cauſam ſemper excipit ſerenitas fortunæ, abhorret autem ignaviam, ſtupiditatem, temerarios conatus, æmulationes, cum peſſimo Belli eventu.

3. Turpe Navarcho foret clavum navigii cedere imperito: turpius Regnanti totam Belli molem committere Duci, qui nunquam hoſtem expertus, nec Mavortis incommoda tulit, nec ſtrategemata novit, nec ſtrinxit acinacem unquam pro ſalute publicâ.

4. Delectus hujus non facilis: quia paucos formavit natura fortes, raros educavit ars prudentes ſine metu, glorioſos ſine faſtu, generoſos ſine temeritate, callidos ſine fraude & dolo, acceptos omnibus ſine metu perfidiæ, felices ſine æmulatione, & in ſubitaneis motibus conſtantes, & impavidos. Rari mihi ſunt tales Belli Duces, & ideo rarior eorum *bonus delectus.* Arduum eſt invenire Antagoniſtam cujuscunque hoſtis, Anteſignanum totius diſcriminis, univerſorum ſalutis, ſpei & fortunæ unicum Atlantem, aut Atlanti parem Alcidem. Miſeram vel in hoc Imperantium conditionem, quis non videat? Illi enim cum omnibus ſufficere non valeant, præſertim in re bellicâ, opus habent adjutoribus, qui eorum vices agant incerto planè exitu, ne quid illi nimiùm audeant libertatis amore, ne quid machinentur poteſtatis occaſione, ne multitudo ab illis cupit gubernari cum Regnantis contemptu. Ejusmodi viros, cum non ſemper tulêre patriæ cunæ, cogitur aliquando ſibi quærere Vicarios in alieno ſolo. Verum quantæ tunc exclamationes Magnatum! quanti ſtrepitus Nobilium! Quam ferales voces ſubditorum! Vidimus priore Ævo

Fran-

Franciam undequaque ſeditiosè commotam à Principibus coronæ Navarro & Condæo propter Lotharingum in caput Belli evectum.

5. Sanè multum habent, quod deliberent Regnantes, an armorum arbitrium in manus eorum committere expediat, qui aliunde expectant Regnum ex ſucceſſione, & affectant ex fomite innato eminendi. Titillat affectus iſte teneriùs, quam par eſt, animos Principum, ut nec fidem colant, nec ſanguini parcant, nec Jus attendant, ubi regnandi gratia violandum eſt. Ipſi Exercitus ſtipendiati ex ærario Regnantis, & obſtricti jurata fide; nihilominus fumos magis iſtorum æſtimant, quam juſta ſtipendia juratamque fidem. Tam Philippus II. Hiſpanus, quam Carolus IX. Gallus, cum primùm ſuos Germanos ſanguine exercitibus præfecerint, angebantur mille curis & ſuſpicionibus. At ſi abſtinebant ab illis: mox indignabantur, immo moliebantur præteriti. Eadem cauſa erat, quod Ludovicus Sforzia viginti dierum ſpatio ampliſſimum in Italiâ perdiderit Infubriæ ſtatum, cujus ruinam procuravit uterinus ejus frater Comes Galeazius, indignum ferens, quod ſe præterito, Ducem belli creaſſet Sanſeverinum. Haud majus periculum imminet, quam à ſuis; nec ulli majores, quam domeſtici inimici.

6. Tres autem præcipuæ cauſæ ſunt, quæ Regnanti periculum creare poſſunt à ſuo Belli Duce. Prima plerumque eſt Avaritia aut inopia Principis, quâ aut non vult, aut non poteſt, merita ſui Belli Ducis condignè remunerari: unde ſe iſte contemni exiſtimat: ex contemptu autem ſuo facile in odium contemnentis incitatur.

7. Secunda cauſa eſt ipſa Diffidentia ipſorum Principum erga ſuos Belli Duces, præſertim plus æquo potentes vel autoritate, vel opibus, vel clientelis & factionibus. Regnantes etenim, ſicut delicatæ illæ & plus aliis ſenſibiles plantæ abhorrent ab altitudine earum arborum, quæ magnam umbrã faciunt. Cum primum verò Magnus aliquis Miniſter, præſertim ſupremus Belli Dux præſentit ſui Principis diffidentiam aut ſuſpiciones, illicò ſe contra

audentius parat, ratus; vix amplius posse erripi ex sui Principis animo similes umbras, quarum difficilis in Regnante oblivio est, nisi suspectus umbra fiat. Scipio Africanus & Julius Cæsar, cum suspectos se Romæ viderent, invaserunt Patriam & Romanam libertatem, facti ex civibus suspectis hostes aperti.

8. Tertia causa est Insolentia ipsorum Ducum, quibus fermè innatum est magna somniare, sibique imaginari, se omnia meruisse: unde aliquando terribiliores, quam ipsi hostes, redduntur Principi. Nolunt limitata, sed absoluta ambiunt imperia; ut Fridlandus in Bohemiâ, & Nassovius in Belgio: maximè ubi accedit Autoritas vel à milite, vel à populo; vel fomenta ab adulatoribus, vel occasiones à rebellibus. Sic Betlem Gaborius, Ragozius, Abaffius, viri ex privata prius nobilitate, armorum ope, rebellium suffulti viribus, jam toties diviserunt cum Jove Austriaco Hungariæ imperium.

Tres istæ non mihi vanæ causæ sunt, emendandæ quatocyus Principi, si salutem publicam sartam, si suæ domus augmenta, firmitatemque perpetuari velit.

9. Primæ medebitur Emeritorum Belli Ducum præstita obsequia palam jactando, pollicitationibus fovendo, & sæpius condignis præmiis remunerando: his quippe magnorum quique Virorum animi excitantur. Lysander interroganti Persæ, quam Rempublicam maximè probaret? Eam, respondit, in quâ fortibus viris, ac meticulosis congrua utrisque redduntur. Sensit virtutem invitari præmiis, ignavos excitari ignominiâ. Magna imminet bonis desperatio, cum ab ignavis se præmiis discretos non videant, & qui se periculis atque laboribus objiciunt, subterfugientibus pari ratione haberi. Præclaris virtutibus præclara præmia & insignia virtutis conveniunt. Prudentes Principes non dant occasionem occultæ compensationi, quæ aliquando plus æquo sibi satisfacit, immo totum absorbet, ubi pars illius à Principe ex meritorum æstimio data acquietasset prætendentis animum.

10. Tri-

10. Triplici autem mercede exſolvuntur magnorum Ducum merita, vel honorificis titulis, promotionibus, & etiam matrimoniis: vel ære magno, tam in capitali, quam intereſſe, & etiam annuis penſionibus: vel amplis dominiis, & ſtatibus, & etiam feudis. Triplici hoc vinculo nuper ſibi addixit Domus Aſtriaca generoſiſſimum ex Angliâ Ducem *Marlebourgum*, & Sacri Imperii Principis titulo, & pretioſiſſimis multisque millibus æſtimatis donariis, & ceſſione ſtatuum, ditionumque, quas Electoris patruus in Bavariâ ſive hæreditatis, ſive appanagii nomine olim poſſidebat. Hæc & plura meruit Magnus ſine exemplo Dux.

11. Duo primi modi non tam periculoſi ſunt, quam tertius: ubi arcani locò caveat Princeps: *Ne dominia illa & ſtatus in eâ ſint Provinciâ, ubi ſedes eſt Belli, bellumque agitat remuneratus.* Vincat enim ille, vel non: ſemper ſuſpectus erit, ne, ſi vincat, volupe illi veniat etiam reſiduo potiundi; Vel, ſi non vincat, ne accedat ad partes victoris ex commodo ſuarum ditionum: ut Proſper & Fabritius Columna fecêre in Regno Neapolitano. Prævalentibus enim Arragoniis uterque deſeruit factionem Franciæ, licet ab hoc Ducatus & ampliſſima dominia in feudum accepiſſent. Diſſimulandum quoque Principi eſt cum Belli Duce non minus, quam cum proprio ſanguine, etiam in rebus iis, quæ pœnam merentur, dummodo ille in ſuo officio integer inculpatæque vitæ permaneat. Id ipſa ſacra pagina non improbat, ubi latè deſcribit Davidis diſſimulationem cum ſuo primo belli præfecto Joabo, licet is non mediocres commiſiſſet inſolentias, & planè publica homicidia perpetraſſet. Verebatur enim Rex David, ne offenſus ille, quantumcunque juſtas, ultum iret pœnas, quæ in magnis viris ſemper injuriæ peſſimo Imperantium fato proclamantur.

12. Altera cauſa itidem eſt in arbitrio Principum: Suſpicio nimirum, quæ indignum eſt in Regnante vitium, aliquando tamen neceſſarium, ſed tunc *Sui curam & defenſionem* rectùs dixeris. Suſpicio aliàs vilitatem denotat, à metu procedit quærit latebras, aperto Marte nunquam prodit: interim cavet ſibi, ſecuritatem

procurat, & ſine ferro vincit, quod integris exercitibus vincere nequiret. In materiâ ſtatûs facillimè diffidunt Principes etiam ſuis confidentiſſimis; neque in hoc errant, niſi detegant. Mater ſecuritatis eſt ſuſcipio, quam compreſſam tamdiù teneat apud ſe Princeps, eamque nec vultu nec geſtu, minus verbo, aut querimoniâ profiteatur, donec ſuſpectum Belli Ducem ab exercitu amoveat. Agat, ut Domitianus cum Agricolâ, vel Tiberius cum Germanico. Spe honorum majorum alliciat: prætextu conferendorum negotiorum invitet: comprimat etiam ex inopinato, ſi periculum ineluctabile eſt, uti Tiberius Sejanum, uti Ferdinandus Fridlandiæ Ducem, uti Philippus II. Egmontium aliosque: & quia hoc Arcanum non obſervavit alter Philippus cum Duce Brigantino, perdidit Regnum Luſitaniæ.

13. At contingit ſæpe numero, ut aliquando falſo reddantur apud ſuos Principes ſuſpecti Optimi quique & fideliſſimi Duces; aſtu non minùs arcano, quam probabili. Annibalem in exemplum pono: Is, ut Fabium Belli Imperatorem, ſuum Adverſarium Romanis ſuſpectum faceret, juſſit ſuos, ne ulli parcerent agro, campo, aut prædio Romanorum Civium, excepto Fabio Maximo, cujus, ne terram quidem contingere auderent. Tanta ſuſpicionis diffidentiæque cauſa in apertum diſcrimen commiſiſſet Fabium, niſi aliâ arte ſuſtuliſſet ſuſpicionem male de ſe conceptam. Caveant in hoc Principes, nec ad quamcunque adverſam auram mox ſuis diffidant fidiſſimis: neque ſibi umbras confingant ex Melancholico magis humore, quam vero & genuino veritatis amore.

14. Tertiæ cauſæ remedium fermè difficillimum eſt: quis militari inſolentiæ modum, metamque facile ponet? quis comprimet Ducem ovantem? Quis victorias ſiſtet, quarum pars minima Principi (licet omnia Belli onera ſuſtineat) tota Duci, ejusque Miniſtris defertur. Miſera profecto Principum conditio! Undè lucra expectant, indè damna reformidant. Diſcrimini huic olim Romani Legatum belli objiciebant. Continuant hoc ipſum etiamnum Veneti, Batavi, & quorum imperium apud plures

plures eſt. Carolus Burgundus nulli confidebat exercitus, niſi ſibi, nullo unquam niſi, ſe Duce, conflixit: ſed hic quoque periit amiſsâ vitâ & ampliſſimis Statibus: an nimio æſtu gloriæ, an malâ causâ, an proditione inferiorum ſuorum Ducum? omnia fermè convenêre. Franciſcus Rex Franciæ & Sifax Rex Numidiæ, uterque præſens bello, & Dux belli amiſêre libertatem, tracti in carcerem cum periculo ſuorum. Romanis hoc in uſu erat, ut quotannis novum belli Imperatorem deligerent, ne cum tempore evaneſceret inveterata poteſtas: Sed hoc ipſum ſæpe magis afflixit Rempublicam, quia hâc ratione multos cives Scipionem, Pompejum, M. Craſſum, Syllam, Marium, Antonium, Julium &c. æmulandi ſtudio tandem ſibi conſcivit hoſtes, & libertatis Romanæ uſurpatores. Præter Turcas, multi alii Regnantes Europæi & Africani ſuæ dederunt in Duces, ſui ſanguinis Principes: ſed & hoc inane eſt, tam quod ſæpe in Regnatrice domo ejusmodi belli periti Duces deſint; atque ſi non deeſſent; usque tamen docuit *Invidiam Regni etiam inter domeſticos inſida omnia facere*: paucosque eſſe, *qui malint expectare, quam accipere Regnum.* Rurſus Imperantes alii poſt partam victoriam confeſtim ſuos avocarunt Duces: ut Philippus II. Ducem Toletanum, & Conſalvum, maximum illum inter magnos Capitaneum, ac felicem Monarchiæ Hiſpanicæ propugnatorem. Hujuſcemodi avocationes repentinæ adverſantur rationi & honeſtati. Quæ enim ſana ratio, aut honeſtas civilis eſſe poteſt, ut qui meruit victoriæ præmium, vocetur in exilium. Egregia me herclè merces tanti laboris! An non adhuc major turpitudo, quod tales vel ex ſyndereſi animi, vel neceſſitate obſtrictos, confeſtim interum, (quemadmodum frequentius contigit) pœniteat, ut vix lapſo anni intervallo rurſus amotos offenſosque repetant Duces, ut Ferdinandus Wallenſteinium Ducem, indultâ illi inſuper fermè Imperiali poteſtate.

15. Carthaginenſes & Athenienſes, ut ſuſpicionibus præveniret, duos Belli Duces æquâ poteſtate exercitibus præficiebant. At vero hic modus tollendi ſuſpiciones, licet in ſe juſtiſſimus, &

apud

apud Polyarchica Imperia celebris, multas tamen belli expeditiones fruſtravit ex æmulatione Ducum. Experta eſt hoc Romana Respublica ſub M. Varrone & Paulo Æmilio Belli Ducibus: Et vero verius eſt, *plures in capite Duces nunquam tantum effeciſſe, quantum unus.* Quod jam multoties ſuo malo experta eſt domus Auſtriaca in Imperio, nuperrimè in Belgio, & priori ſæculo ſub Canisâ & alibi. Æmulatione ſiquidem poteſtatis dividuntur vires & conſilia. Diviſa autem imbecillitatem, ſicut unita firmitatem indicant. Et hoc illud eſt, quod jam ſæpe ſæpius Porta Ottomanna objecit Chriſtianis Principibus: *Eos eſſe corpus magnum & validum, ſed multorum capitum, quæ illud in partes diſtrahunt, & ex valido reſolvunt in imbecille.*

16. Ultimum contra ſuſpectos Belli Duces remedium eſt ipſa *Præſentia Principis.* Hæc non ſolum tollit aut confirmat diffidentiam & ſuſpicionem in Principe, per propriam ipſius Principis experientiam, ſed etiam impedit in Belli Duce iniquos conatus & molitiones ex reverentia Principis præſentis. Non autem neceſſe eſt, ut ſemper ſit in exercitu, vicinus duntaxat proderit. Sola fama ex viciniâ Principis Regnantis multa remorabitur ſibi adverſa, & promovebit in immenſim non ſolum expeditiones militares, ſed etiam ingens æſtimium addet Autoritati Regiæ, adverſus quam nemo quomodocunque malevolorum, infidum quidpiam tentare audebit. Sic in ipſis periculis ſua ſe præſentiâ tuetur Regia autoritas.

17. Carolus V. Rex Franciæ dictus *Sapiens*, ſemper in exercitu ſuis præſens aderat; ubi vero ventum ad prælium, mox inſignia ſua, chlamydem, caſſidem, cum baltheo Regio ex ſuis uni, quo veſtiretur, Regemque in purpurâ referret, tradebat: ſicque quaſi præſens eſſet, ſine ſui periculo, continebat in officio ſuſpectos, bonos animabat ad fortiter agendum. Sola præſentia Medici, etiam ſine applicatione medicinæ ſublevat aliquando patientis dolores: Quod ipſum ſæpiùs in Principibus compertum, ut ſolâ præſentia emendaverint malos, bonos confortaverint, nutantes exercitus erexerint, deſperatam victoriam reduxerint.

Lætus

Lætus ad conſpectum Regis pugnat miles. Regius vultus abſterret improbos à malis conſiliis. Ad fortia quæque animantur Duces, cum laborum ſocium, ſortisque ejusdem ſubire diſcrimen vident ſuum Imperantem. Hæc de ſuſpicione Principum adverſus ſuos Belli Duces; Jam vero, ne ſe iſti illis ſuſpectos reddant, ad quædam reflectendum eſt.

18. Et primò quidem Belli Duces *maturè dimiſſionem petant*; Si ſe ſuis Principibus, aut militi, aut populo ob pluries forte perpeſſam cladem adverſamque belli fortunam, ingratos & exoſos norint. Miſera enim Ducis conditio, quem fortuna deſeruit, quia vix hæc in amplexum amplius redibit. Satius eſt fortunæ cedere, quam invitam cogere. Non ſemper obſervant Principes fortunæ volubilitatem, ſed culpam attribuunt aut ignaviæ, aut perfidiæ.

Secundò Belli Dux quantumcunque ſe amari, obſervarique ſciat à ſuo Principe, habeatque ipſas ſecuritatis tabulas in manu, velut aliquando habuit Ibrahim Baſſa à ſuo Solymanno; nunquam tamen ſe ita faciat Principi, aut Regno neceſſarium, quaſi ejus Princeps operâ indigeret, aut ſine ipſo ſubſiſtere nequiret. Hoc perdidit multos Heroës.

Tertiò diſſimulet magis Aulæ diſguſtus, quam apprehendat: ferat potius, quod emendare nequit: neque propterea cum Pauſaniâ & Themiſtocle externorum Principum quærat protectiones, & officia. Vetus mos Aulæ eſt, quod malè exſolvat viros emeritos: num ideò integritatem animi, aut fidei candorem abjicient?

Quartò: Avaritia & prodigalitas duo extrema vitia ſunt, quæ Belli Duces facile ſuſpectos reddunt. Utrumque vitium aurum amat: unum prodigit illud, alterum cumulat: nec huic, nec illi ſufficiunt theſauri. Ideo his vitiis affecti Duces, quærunt cum Columbo aurum apud exteros, ſed in necem Patriæ & ſui Regnantis. Aurum infaſcinat ferrum Belli Ducis, ne ſtringi valeat: evincit invincibilia cum unico Aſello pecuniâ onerato: Argos excæcat centoculares, ne videant turpitudinem perfidiæ. Inſcul-

ptam licet habeas in Adamante conſtantiam & fidem; vix auri ictus ſuſtinebis, ne rumpatur ille; vel colliqueſcat velut gelu ad radios auri ſolares. Beatus belli Dux, qui poſt aurum non abiit.

Quinto: Quidquid Gloriæ, quidquid Fortunæ, publicâ famâ conſecutus eſt Dux belli, id totum referat in Principem ſuum ſolo reſervato ſibi encomio *ſervi inutilis.* Hâc ratione removebit à ſe omnem ſuſpicionem, ſi agnoverit ſuum Imperantem eſſe principium omnium rerum gerendarum. Germanicus, cujus virtuti ſemper invidebat Tiberius, tanta per Germaniam egit, ut ex tot obtentis victoriis ſibi tandem trophæum erigeret, ſed cum hac modeſtâ inſcriptione: *Exercitus Tiberii poſt ſubactas nationes inter Rhenum & Albim monumentum hoc Marti & Jovi poſuit.* Nec minimam quidem hîc ſui mentionem fecit Germanicus, ſed in capite Tiberium ſtatuit, cui omnia victoriæ obtentæ merita, nihil ſibi attribuit in cauſam primam redundant, omnium ſecundarum cauſarum momenta.

CAP. XIX.

Monita ad Belli Ducem, præcipuè circa committendum prælium.

I.

PRudentia quidem duplex eſt: Togata & Sagata: Politica & Polemica: non tamen in hoc, ut quidam rebantur, hæc contradiſtincta ab illâ, quod Polemica videlicet & ſagata temeritatem ſuis immiſceat conſiliis; Politica verò & togata poſt maturas deliberationes ea tantum amplectatur conſilia, quæ nulli caſui obnoxia ſunt. Erronea planè erat hæc Opinio. Nam etiam in arte militari *Temeritas* vitium eſt, & difficilius reparabile, quam in arte Politicâ. Nihil in belli Duce ignominioſius audio, quam puerile illud verbum, *non putabam.* In bello bis peccare non datur. Temerè agere, ſimulque perire affine eſt.

Erat

Erat olim non ineptum diverbium, *ne incalceatus in rupes.* Qui armorum diſcrimen ſuſcipit, armet ſe adverſus occurſura incommoda, ne pœniteat ſuſcepti. In bello ſemper ſera eſt pœnitentia. *Quæ enim ferro peraguntur, ea nullo modo oportet temerè aggredi ; quia hic error fermè eſt irremediabilis.*

2. Temeritatem autem ajo *ſubitos & vehementes illos impulſus, quorum ictibus mens belli Ducis concuſſa ; nec ſua pericula diſpicit, nec alienos in ſe conatus juſtâ æſtimatione perſequitur.* Dies me deficeret, ſi omnia temeritatis exempla, quæ exactis proximè ſæculis in Europæis bellis obtigêre, narravero. Externa potius & antiqua cum Livio commemoro, Atilium Cornelium Lentulum, Cinnam, Syllam, Terentium Turronem, & C. Flaminium ad Cannas, ad Thraſymenum, ſicut inſignia Temeritatis prototypa, ita Romani Nominis ludibria. Bonis Ducibus re trepidâ perfugium eſt ad fortitudinem ; malis ad temeritatem. Hæc innititur inſipientiæ, illa prudentiæ. Qui in bonis Ducibus Reipublicæ amantibus ſunt recti conatus, hi ſunt in malis temerarii auſus.

3. Prudentia fortitudinem genuit, eamque collocavit mediam inter temeritatem & ignaviam: Temeritatis autem principium eſt præſumptio, & finis deſperatio. Ego militarem artem peritiamque, quâ primitus belli Dux omnibus præſtare debet, confidenter pronuntio : *Scientiam periculorum, repellendorum, excipiendorum, provocandorum.* Omnis autem ars ex Philoſophorum placito eſt. *Habitus cum verâ ratione effectivus*, procul ergo arte Bellicâ omnis temeritas, quæ ratione nunquam, ſemper impetu agit: procul à belli Imperatore præſumptio, quæ in iis, quæ contemnit, ſuffocatur periculis: procul deſperatio, quæ virum fortem minime decet. Nulla enim eſt tanta calamitas, quam virtus loco prompta non diſcutiat.

4. Fortitudinem bellicam in periculis impigram eſſe convenit & audacem, ſed cum res poſtulat, etiam regibilem & conſultam. Aliud quippe eſt Temeritas, aliud Fortitudo, aliud Magnanimitas, aliud abjectio & vilitas animi. Differunt inter

ſe, ſicut vitium & virtus, vel *per exceſſum*, vel *per defectum*. Qui ſe periculis objicit, nec priùs, qualia ea ſunt, conſiderat, bellua magis eſt, quam homo. Illum vero fortem & animoſum dixero Ducem, qui cognitâ periculorum vi, magno animo ea ſubit, vel neceſſitate compulſus, vel honeſtâ ratione inductus. Fortium Ducum animi non modo, acceptâ inſigni aliquâ clade non remittuntur aut infringuntur, quin potius ad majora audenda incenduntur. Is ſe verum fortemque Ducem probat, qui inter ſuos effusè fugientes, ipſe (ut Tacitus ſcribit,) inſignis manu, voce, vulnere ſuſtentat pugnam, hoc eſt, Ducis & militis munia ſimul obit, eâque ratione inclinatam aut etiam perditam rem reſtituit: Ut proximè de Principe Sabaudo Eugenio, Cæſarei Exercitûs primo belli Imperatore in Italiâ ad Mincium & Adam percepimus. Plurimùm prodeſt ad omnia intrepidus & invictus quidam animi vigor, quem propriè *Fortitudinem* dicimus, atque talem in belli Duce exigimus, quem nunquam inconſulta temeritas, nec belluini motus, neque inſanus appetitus formidabilium, impellunt in diſcrimina quæque, ſed ratio vel neceſſitas; ſalus publica, amorque Patriæ adſtringunt, ut fortiter viriliterque agat, & etiam ferre valeat, quod emendare non poteſt. Ubi temeritas priores partes habet, ibi bonos exitus laborare neceſſe eſt. Fortitudo militaris non ambitioſa quærit, ſed glorioſa; non præſumptuoſa ſed neceſſaria; non temeraria, ſed utilia. Illud ſemper videatur Duci glorioſum, quod eſt Reipublicæ tutiſſimum, & ante conſcientiæ quam Famæ, aut inani gloriæ conſultum. Nam boni Ducis officium, ut aſſeverat Plutarchus, eſt ſuam gloriam poſt ſalutem Civium ponere. Si temerè ille pericula adeat, non ſui ipſius, ſed eorum omnium cauſam, quorum ſalus ab ipſo pendet, abjeciſſe cenſebitur. Cauta potius conſilia cum ratione, quam proſpera ex caſu propiora ſunt prudentiæ. Satis citò incipi victoriam Dux credat, ubi proviſum eſt, ne vincatur. Non ſufficit præſentia rectè agere, ſed & futura proſpicere, & quidem à tergo magis, quam à fronte. Noſſe oportet non ſolum vincere, ſed & cedendi tempo-

ra

ra obſervare. Ad belli Imperatores ſpectat, quam ſæpè in bellis ex caſuum varietate conſilia ſint immutanda, & expendendo, apparatus ab initio, quoad fieri poteſt, ad omnes caſus conſiliaque accommodanda.

5. Conſilium bonum præſtat omni robore: Conſilium rectè ſuſceptum & deliberatum hoſtes prævenit, inopinatò opprimit, vires eorum diſtrahit, occaſionem commodæ, magnæ facilisque victoriæ ſuppeditat. Militum robur, velut remigum labor impellit navigium in portum, ſed uti Navarchi ars & cynoſura præpollet remigum manui, ita belli Ducis mens provida, rectumque conſilium præ militantium labore & robore palmam meretur gloriæ militaris. Ideò nunquam conſilia Ducis exercitûs judicio, ſed exercitus, Ducis providentiâ regatur. Periclis exemplum veritatem hanc comprobat: Is bello petebatur ſexaginta armatorum Peloponneſiorum, & Bæotiorum millibus: cum quibus confligere, vix ipſi è re viſum erat. Anhelabant cives ad pugnam, indignèque ferebant hoſtium populationes: aſt verbis quidem eos Pericles mitigabat, non tantam arborum ædiumque jacturam eſſe, inquiens, quam civium, ſi congrederetur, futurum. Intereà quemadmodum navis rector, vento mari incumbente, omnibus rectè curatis inſtructisque armamentis arte ſuâ utitur, valere juſſis eorum, qui navi vehuntur; ita Pericles Urbe tum clausâ, omnibusque locis præſidio firmatis, non audito populo ſua conſilia ſecutus eſt, parvi faciens obtrectationem, indignationesque civium. Enim verò & ex amicis multi precibus eum urgebant, inimici minis, ac criminationibus territabant, multi cantilenis & dicteriis imperium ejus exagitabant, mollitiem & proditionem objicientes. Verum his nil motus Pericles odia omnium toleravit, interim clam miſſâ in Peloponneſum centum navium claſſe, mox hoſtes divertit, & à Patriâ bellum avertit, nec amiſſo unico cive, nec in dubium jactâ prælii aleâ. Altiora ſunt Ducum conſilia, quam cujusque gregarii. A Duce regi debet populus, non Dux à populo. Non tamen ideò aliena conſilia improbo, aut rejicio, ſed Richel. in in Miniſt.

in Duce maximum volo : non emendicatum, non coactum, non cuique manifestum, secretum magis, quam publicum, rationi congruum, fortitudini militari innixum, prospero tandem successu omnium plausu excipiendum.

6. Consilia bellica plurimum ab opportunitate rectè observata dependent, dicente Pythagorâ: *Illâ, primam rerum omnium contineri causam*, scilicet *oportunitate*. Undè sapiens belli Dux sagaciter hostem observare debet, an ejus Duces animis fortè dissideant? an hostis militem, viresque distractas aut seditiones habeat? an majora expectet subsidia & auxilia? Tunc opportunum erit aggredi, antequam Ducibus, sive concordia, sive auctoritas, militi obsequium, & ex accessu novarum legionum fiducia redeat. Sic Cæsar, postquam didicisset Suevorum copias adventare, ut Rhenum trajicerent, prior progressus est, inque Arioviſtum duxit exercitum, ne per conjunctionem legionum hoste inferior ipse evaderet. Sic extemplò cum Carthaginensibus conflixit Scipio, cum sciret, eos ex morâ Asdrubalis sibi nondum prævalere. Quiscunque enim sibi prius præcavit, & captatâ occasione hostem opportunè invadit, is plerumque voti sui fit compos. In necem & prædam exponit exercitum, qui inutili cunctatione optima agendi tempora consultando & deliberando consumit.

7. Plurimùm verò conetur Dux, ut in principio statim successu felici quidpiam in hostem moliatur. Primi enim successus, aut fortitudinem, aut trepidationem in animis omnium suscitant. Quemadmodum primum Mobile, ait Cardinalis Armandus, omnes reliquos Cœlos trahit ; ita primus armorum successus, nescio, quam imprimit opinionem in animis partis adversæ, ut jam sibi victi videantur, aut saltem valdè labefactati per stuporem illum, quo se denuò metuunt vincendos. Dimidium facti, qui benè cœpit, habet; primo annulo trahitur tota catena; prima actio sive felix, sive infelix, prodroma est fermè omnium, quæ sequuntur.

Cardinal. 8. Verum & illa haud exigua est in Belli Duce prudentia; im-

impedimenta hoſti ultrò permittere, ut ſumma rerum conſtet, & hoſtem potentiſſimum carpere (quod Fabius docuit,) donec æquo Marte confligere liceat. Sed penes caveat, ne unquam incompletas centurias, cohortes, aut legiones educat, & certus ſit de ſuorum numero, ſuasque cum hoſte comparet vires, munimenta, rem tormentariam, campum, caſtra & ſubſiſtendi tempus. Licet non tàm numerus plurimum conficiat pugnam, quam virtus paucorum, nihilominus Duci ſummopere proſpiciendum, ut ſuſcepto bello nunquam illi juſtus deſit exercitus. Nam quod avaritia ſervare, & parere ſtudet, certo certius hoſti accedet. Si autem in paucitate conſtituto neceſſe eſt confligere contra magnam vim hoſtium, tunc aſtu magis, quam viribus dimica, ſed quantum fas tamen eſt, pugna abſtine, ne incerto caſui ſummam rerum committas. Interim veriſſimum eſt: Multos magnos exercitus à minoribus aliquando propter imperitiam Ducum, aliquando propter timiditatem multitudinis minus exercitatæ, deletos fuiſſe. Nemo facile metuit, quo ſe bene didiciſſe confidit, & in certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promtior eſt, quam ruralis multitudo ultrò in cædem fortiorum expoſita. Quam levi manu tot ruſtica bella ſopita legimus in Auſtriâ, Hungariâ & Bohœmiâ! Pluribus caſibus ſubjacet incondita multitudo plerumque effrenis, minus ordinata, nec diſciplinæ militari aſſueta, ut à paucis ſuperventa, aut mole ſuâ perire, aut ſpe fruſtrata terga vertere vidimus. Amentia autem non mediocris eſt, eos adoriri vel perſequi, quos neque Victor in officio retinere poſſis, & ad quos poſteà ſemel ab iis victus, regredi non valeas. Inutilia bella bis perdunt Rempublicam tàm ob incommoda ipſius belli, quam ob defectum emolumenti, quod plerumque belli ſaltem minùs principalis finis eſt. Nam Bellum minimè ſuſcipiendum judico, niſi cum majus emolumentum ſpei, quam damni metus oſtenditur. Richel. in Miniſt. Veget.

9. Cùm de quovis bello ſuſcipiendo diù & prudenter deliberandum eſt, tùm verò præſertim de eo, quod eſt longinquum & periculoſum, id eſt, quod adverſus validum ac bellicoſum ho-

hoſtem, & à nobis procul remotum gerendum eſt. Quia nullum durius comperio aut atrocius, quam illud, quod adverſus viros fortes & ſapientes geritur, qui non niſi per magnas difficultates, ſummumque capitis periculum vincuntur. Contra ejusmodi inſtructum, & paratum oportet prodire Ducem, ut indè commoditates hoſti eripiat, & metum injiciat. Undè bonus Dux, bellum in hoſtile ſolum transferre, quantum poteſt, ſatagit. Nam eâ ratione magis terretur hoſtis, magis ad ſua tuenda, quam aliena quærenda cogitur. Ne dicam de emolumentis aliis, quæ alienum ſolum cum commodo noſtro, & proprio ſuo diſpendio exſolvit.

10. Nihil imprudentius belli Imperatoris faciunt, quam quod vocibus quibusdam aut temerè aut inaniter, aut etiam verè jactatis ſtatim vel credant, vel ſe ita obſtrictos arbitrentur, ut quædam, nimium ſolliciti, bis imperent, & majorem rumore famam ipſi promoveant. Animo ejusmodi coquenda, vultu contemnenda ſunt. Lyſandrum imitare, is cum ſuos Lacedæmonios in expugnatione Corinthi attonitos videret, emiſit clam per foſſam lepuſculum, quo à ſuis viſo, obteſtatus eſt omnes: Pudet, ô Spartani, ad Corinthi muros expaveſcere, quibus ob civium ignaviam lepores indormiunt. Res, opinione eorum fortuitâ, animavit omnes ad impavidam aggreſſionem Urbis. Julius Cæſar iturus in Afranium, ut ſuos accenderet, dixit : *Se ire in exercitum ſine Duce.* In Pompejum verò : *ad Ducem ſine exercitu.* Utrumque vicit. Oſtentatio in Belli Duce vitium non eſt. Fortiſſimus metuit, ſi Dux ipſe ad pericula hæſitat. Magnam iſte partem victoriæ amittit, ubi pericula plus æquo metuit: præcipuè verò, ſi metum externo geſtu oſtendit. Sunt, qui ſibi præcipitia in plano fingunt : hæſitant, deliberant, & ſic optimas indè occaſiones (quarum uſus anima eſt ſcientiæ militaris,) elabi ſinunt. Fortitudo & ...mositas Ducis velum præſtat pugnanti militi, & omnia cedunt audenti, nihil non meticuloſo reſiſtit. Pericula neceſſaria & indeclinabilia acuunt generoſos animos ad audendum, & non temerè audentes fortuna proſequi-

quitur glorioſis ſucceſſibus. Væſanum eſt appetere formidabilia & quærere extrema ; ſed caſu obventa excipere imperterrito animo ; fortiſſimi eſt viri. Non debent etiam declinari pericula, quæ expugnari debebant. Non quia difficilia ſunt, multa non audemus, ſed quia non audemus, difficilia ſunt. Minimè glorioſum erit Duci, eousque differre conflictum, usque dum omne plane remotum videat periculum. Talis nunquam, aut rarò pugnabit, ſed ſtertet potius iniquus occaſionum æſtimator, & fruges potius conſumere natus, quam trophæa quærere per labores & prælia. Alea interdum (priùs rebus prudenter diſpoſitis) ſubeunda, & quidpiam etiam fato (vel ſi mavis) Providentiæ Numinis concedendum. Nullus m...i talis adhuc Dux fuit (dicebat Naſſica, cui nec quidpiam virium addere, aut animi demere opus erat. Nullus exercitus tàm diſpoſitus; qui vacillare nequiret. Tàm tutum nullum prælium, quod vel in principio vel in fine ancipitem ſortem non ſenſiſſet. Tutiùs inchoantur, quam finiuntur pugnæ : nec ut initium illarum, ita & exitus in manu pugnantium reponitur. An igitur ideò non prælian-dum ? minimè. Cum tu tua feceris : cætera ſine DEO curæ. *Potior plerumque prompta expeditio, licet cum aliquo periculo juncta ; quam moroſa illa belligerantium tinea, quæ inſenſibiliter conſumit militem, expedit ærarium, teritque tempus majore Reipublicæ diſpendio, quam ſi aleam ſubiiſſet cum periculo.*

11. Attamen plurimum cordi ſit Imperanti bellum, *milites ſuos conſervare, hoſtemque ex occulto magis petere & exinanire, quam ſemper aperto Marte dimicare.* Metellus non magis afflixit Sertorium, quam declinando pugnam ; immò aliquando in extrema deduxit : aut intercepto aut impedito commeatu; aut abductâ aquâ, aut præciſis pabulis, aut ſeratis viarum repagulis, vel, ſi obſedit aliquam Urbem, confeſtim obſidentem obſedit præcluſa annonâ aliisque neceſſariis. Et hoc pacto magis attrivit Metellus Sertorium, quam ſi iſtum ille bis viciſſet. Iſtud ante aliquot annos Gallis ceſſit feliciter, & cum noſtrâ maxima clade, licet inſenſibiliter inflictâ, expertus eſt ad

Rhenum exercitus Cæsareus à Duce Turrennio. Apud Spartanos longè plurimi fiebat victoria per artem astumque Ducis comparata, quam quæ connixâ vi obtigisset. Vix enim accidere solet, ut non victorem etiam suorum strages affligat. Pluries, quam sæpè fit in bellis, quod adagio exprimitur cujusdam Anonymi: *ut victor fleat, & victus intereat* : id est, ut bella sint pœnæ tàm victori, quam victo.

12. Ad hoc bellandi ex occulto genus refert, hoc etiam Xenophon : *Strategema strategemate vincere :* asseritque confidenter hanc esse colluſionem simulatam, tantæque virtutis, ut parem æquè cum vi effectum parturiat. Quod verò verius est, & in omni historiâ notorium. Non omnis victoria à profluvio sanguinis dependet. Extrahuntur sæpè cuniculi, & machinæ in Autores retorquentur citra nostram perniciem, cum hostis autem exitio maximo. Præstat aliquando etiam sternere pontes hosti fugienti. Non minor Ducis gloria est hostem astu eludere, dummodo ille vincatur aut frangatur. Solum jusjurandum, pactaque inter Duces inita excipio ; cæterum fas erit quocunque Martis & Artis genere hostem profligere. Nullum contra hostem crudelitatis amplius artificium prohibitum est ; cum jam Pyromantia, igniumque feralium ars (ex averno fortè prognata) toleretur immò celebretur publicè à profanis sacrisque Principibus. Constanter cum Polybio assevero : Errat, quisquis opinetur, aliquod magis proprium optimi belli Ducis officium esse, quam consilia, & ingenium hostis intelligere, & illud suo ipsius strategemate astuque eludere & invertere. Sic Fabius illâ ipsâ arte recuperavit Tarentum, quâ illud priùs Annibal occupaverat. Quod cum intellexisset Annibal, illicò exclamavit : *Etiam Roma habet suum Annibalem.* Non possunt tamen doceri ejusmodi particulares artes & strategemata, sed nasci oportet quasi ad ea, sicut Poëtæ ad Musam. Natura & genius hîc prævalet doctrinæ, & usus subministrat habitum : sed ratio & prudentia in cujusque usus exempla derivat, quæ, si non leges & regulæ sunt, saltem erunt hortamina & ductus, ut ea se-

ſequantur belli moderatores multum, vel modicè, ut è re natâ viſum fuerit.

13. Studium contradicendi morbus eſt belli Ducum omnium maximè peculiaris : ii enim pleraque vera, aut vero proxima, falſa etiam (dummodo nocent) maximè ea, quæ grata norunt Principi & populo ſuadendo æmulorum autoritatem comminuêre, atque obſcurare connituntur. Et quis unquam belli Dux exercitio hoc ſive activè, ſivè paſſivè caruit ? percurre omnino omnia Regna, omnes exercitus, omnes obſidiones, omnia prælia, cunctas hiſtorias evolve, vix Ducem aliquem vel ab hac peſte immunem, vel ab hâc calumniâ non affectum reperies. Nolo narrationem hanc ingredi, quæ me longe diſtraheret, odiumque mihi pareret ; ſed ſi tu ipſe Lector aliquid meminiſti omnium, quæ legiſti, vix tibi poterunt ignoti eſſe tanti tàm tui, quam mei temporis Duces graves & ſagaces, qui vel non in hoc lapide offenderint, vel offenſi ſunt. Periculoſiſſimâ ſorte gaudet res communis, ubi eorum Duces trahuntur in varias, easque differentes ſententias, magis voto æmulandi, quam cooperandi in ſalutem publicam. Recta conſilia ex rectâ ratione, velut fonte omnis ſapientiæ, profluere debent, non ex æmulatione & invidiâ. Excentrici iſti ſunt, qui validè turbant & confundunt ſphæram Reipublicæ. Neque enim favet cuique ſic fortuna (ut obſervat Cardinalis Richelius,) quemadmodum Piſanis olim repudiato Archi-Epiſcopi Mediolanenſis conſilio, qui bellum in Florentinos ſumendum ſuadebat, dum Franciſcus Gambacuſtius demonſtraret : Archi-Epiſcopum illos bello implicare, non ex aliquâ ſpe utilitatis, ſed ex odio in Florentinos, quo flagrabat.

14. Alexandri Magni æmulationem Ducibus ſuadeo : is viſo Achillis ſepulchro, collacrymari cœpit *ſtudio gloriæ & æmulatione virtutis* : eumque felicem prædicavit, cui contigiſſet, habere laudum ſuarum præconem Homerum. Illa quippè æmulatio ſancta eſt, dum honeſti ſtudio movemur in optima : turpis verò, cum ex timore optimis abſtrahere nitimur optima.

Utramque & illam assequeris, & hanc declinabis, *si constanter virtuti & gloriæ studueris.*

15. Cæsar in commentario de bello Gallico inter arcana suæ artis etiam hoc reponit: ut per Provinciam alienam transiturus *Angustias occupet omnes, nihilque à tergo relinquat.* Undè deinceps gloriabatur, quod in expeditione suâ in Galliam post moditum fastidii Tervannam deditione accepisset, ne à tergo ullum sibi infensum hostem haberet. Caput rerum petere glorioſum quidem est, sed non minus periculosum, distractum hinc inde in munimentis hostem post se habere. Id totius exercitus discrimine & ruinâ ante aliquot annos expertus est Turcarum Vesirius, redux ab infaustâ obsidione Viennensi. Idem tulit, Guiccardino teste, Carolus VIII. in expeditione Italicâ: ubi subigere neglexerat ea loca, quæ tam in transitu, quam reditu multum faciessebant negotii. Primum occupanda veniant limitanea claustra; deinde communicationis linea disjungenda, leviores Urbes in fidem accipiendæ, populares exarmandi, munimentis nondum expugnatis tollendus commeatus, & omnis præcludendus aditus & exitus. His præmissis, tandem propitio Marte petendum caput rerum, non secùs.

16. Impugnat opinionem hanc Cardinalis Richelius ex Thucydide, qui velut arcanum magnum militaris disciplinæ asseverabat esse: *Si extemplò obruatur primarium Provinciæ oppidum, cujus jacturam sequuntur cætera.* Exempla quidem in utramque partem non desunt: & ego non improbo, si uno impetu & antequam â se ad defensionem accingant, hostes obruatur, & occupetur caput Provinciæ nullo dato illis se recolligendi amplius tempore, aut occasione.

17. Hoc etiam inter arcanum præcipuum sit cuique Belli Imperatori: *Ne quidpiam hosti indulgeat:* nec horam, nec momentum. Quantumcunque parvum exiguumque sit, licet, quod hosti concedis in compendium, maximum erit rerum tuarum dispendium, & momentum neglectum vix longo, aut tempore, aut labore reparandum. Præstat prævenientem in tuto esse, quam

rei

rei bene gerendæ occasione amissâ belli protrahere fastidium. Plus opis momentum adfert temporis, quam ulla posteà Ducis industria militumque labor. Nullus tam fidus tamque diligens sit Duci consiliarius, quam tempus & occasio; nunquam errabit, si ex horum dictamine aget. Tempus & occasio dominantur in cunctis rebus humanis, sed maximè in bellicis. Si Pyrrhus Spartam eâdem nocte invasisset, cujus postridie facultatem sibi ademptam frustra lugebat. Contrà C. Domitius, cum ad Tribunorum hortamina negasset cum hoste confestim confligere, illud identidem asserebat: tempus sibi non sufficere ad hoc, ut tot millibus trucidatis ac direptis impedimentis, in castra cum suo milite reversurus, sua curaret corpora: Sed hoc se postridie tempestivè facturum, dixit. Ac postero die congressus quinquaginta millia trucidavit. Dux strenuus non dubitavit de victoriâ, spatium modò temporis gerendæ rei eligebat. Adeò maximum est, ut belli Imperatores opportunitatem ex tempore, & occasionem ex circumstantiis cognoscant, valeantque, vela illuc flectere, ubi securitas portum tenet.

18. Si Annibal institisset Romanis â clade Cannensi turbatis, nec ex partâ victoriâ otium, sed ejus fructus potius collegisset, ad incitas plane redegisset Romanum Imperium, quod ex clade illâ jamjam nutabat. Cæsar suo exemplo in totâ vitâ suâ, Duces edocuit omnes, ut unâ victoriâ sibi nunquam satis factum existiment, nec in persequendo hæsitent, sed audentius (rebus tamen in campo, ad sarcinas, in munimentis ex victoriâ occupatis, aliisque bene dispositis, non secus) semper insistant, donec exterminatum videant hostem aut subactum. Non eadem semper tempora, nec eadem fortuna est: respirare permitti non debet hostis, sed deleri aut subigi; ne fortunæ versâ aleâ victus insultet victori. Unâ alterâve partâ victoriâ non statim dissolvendus exercitus; Sæpe ultima Victoria extinxit primas, finemque ostendit deteriorem accidisse principio. Omnis in bello præsumptio securitatis est noverca. Uno sæpe momento res conficiuntur magnæ, aut pereunt. Unius jactura, alterius est compendium. Ovantes ex Romanâ clade Gallos tempestivus Camilli

adventus disjecit ex inopinato, sicque populum liberavit à fame, cives à servitute, urbem ab excidio, datâ â victis victoribus lege. Una Nôrdlingana victoria consumpsit omnem Suecorum gloriam in Germania; tantumque fuit inde restitutum Cæsari, quantum Suecus per triginta annos longo conatu, adjutus à Galliæ coronâ & totâ protestante Germaniâ vix (quatumvis deinde ex pace Monasterienſi deperdita) occupaverat. Aliquando inopinata audacia frangit optimos progressus; sed certius Belli Ducis prudentia restituit res collapsas. Prudens Dux nunquam deserit campum suum, ut prædâ potiatur, vel fugitivos ultum eat, quia glorioſius est campo potiri, quam incerta insequi. Similiter, nec facile aggreditur desperatum hostem. Necessitas magna Magistra est rerum insolitarum. Satis erant quindecim millia Locrensium, ut centum millia Crotoniatum cæderent, quia aut moriendum illis, aut vincendum erat; neque alia, Justino teste, victoriæ causa ferebatur, quam quod desperaverant. *Una salus victis nullam sperare salutem.* Noluit Corbulo bello iterato experiri, aut Victorias suas persequi cum Tigrane, quia sciebat desperatum. Sat est, vicisse semel, ubi bis vincere periclitamur. Denique cautus Dux nullo loco, nisi quantum necessitas cogat, committit se fortunæ, sed omnia prius perspicit, disquirit, emendat, restaurat, ordinat, componit, animat, antequam ultimum pugnæ clasſicum intonare jubeat. Ego vero, ait magnus ille Belli Dux Trivultius, illud maximorum Imperatorum firmamentum perpetuum semper esse, quod & ipse usu verum esse comperi, nunquam, nisi vel magnâ rei bene gerendæ occasio invitet, aut necessitas cogat, pugnæ fortunam esse periclitandam.

19. Deinde ante, ut sæpe repetii (sed vix satis) omnia cogitanda, ante omnia tentanda, ante facienda, quam ad ultimum abruptum veniatur. Boni Duces non aperto Marte primum prælium, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant, ut integris suis, quantos possint homines interimant, vel terreant. Ad hoc nosse expedit, omni adulatione submotâ, quantum pugnatorum numerum hostes habeant, an majorem,

rem, an exercitatiorem, an magis armatum & proviſum? cui magis victus abundet, aut deficiat: nam fames internus hoſtis eſt, & vincit ſæpius quam ferrum. Loca quoque, ubi prælium committendum, obſervanda; utrum nobis, aut hoſti commodiora: nam, ſi equitatus prævalet, campos opta: Si pedeſtris miles, loca quære anguſta, paludoſa, impedita. Ipſa natura hoſtis penetranda: an ferventior, an timidior, an temeritate magis, quam cautelis utatur. Quæ omnia in rem faciunt.

20. Maxime autem delibera, an expediat pugnam cum hoſte protrahi, an accelerari? interdum enim ſperat adverſarius expeditionem citò finiri poſſe: & ſi dilata fuerit, in longum, aut penuriam patitur, aut deſiderio duorum reverti debet ad propria, aut per ſe diſſolvitur. Tunc fracti laboribus plurimi deſerunt, aliqui produnt, aliqui ſe tradunt: Quia adverſis rebus rarior eſt fides, & nudari incipit ſenſim exercitus, qui copioſus advenerat. Cavendum ne dubitantem, aut formidantem exercitum ad pugnam aliquam producas; ſicut neque ex itinere longo fatigatum, impar enim conditio eſt, laſſum cum requieto, ſudantem cum alacri, currentem cum eo, qui ſteterit, ſubire conflictum. Ipſo die, quo prælium deſtinatum, diligenter explorandum, quid ſentiant Tribuni, quid Veterani, quid univerſim milites? Fiducia vel formido ex vultu, ex privatis colloquiis patebit. Si Veterani, ſi Tribuni & Centuriones metuant: magis prælio ſuperſedendum ſuadet Vegetius, quam dimicandum. Hora & dies multum in utramque partem faciunt. Ubi vero alea jam jacta, nec ullum prælii effugium eſt, tunc multum Ducis hortamina proderunt, ſi vel hoſtium ignaviam, vel Ducis eorum imperitiam, vel ab hoſte jam ſæpius reportatas victorias, vel Religionis ſtudium, vel bonæ cauſæ juſtitiam, vel inevitabile periculum omnium honoris, vitæ, patriæ, titubanti militi remonſtraverit. Formidinem quoque lenies, ſi antequam dimices, frequenter exercitum tuum eo collocaveris, undè hoſtis videri poſſit; nam quæ ex uſu ſunt, non timentur. Connitere, ut conſerturus manum, primum auxilium capias ex loco, qui tantò utilior judicatur,

Vegetius lib. 3.

catur, quantò ſuperior. In ſubjectos vehementiùs tela deſcendunt, & majore impetu obnitentes pars altior pellit. Pedites contra equites loca inæqualia, montuoſa, ſcabroſa & paludoſa quærant, veluti certas remoras irruenti equitatui. Planities peditatui fatalis eſt, niſi agmine denſo, ſtricto & ordinato ſe conſervet adverſus equitatum.

21. Ordinaturus autem aciem de tribus provideat prius, ait Vegetius, *de ſole, pulvere & vento.* Sol in facie viſum turbat, pulvis à fronte congeſtus oculos implet & claudit, ventus contrarius reſiſtit tuis telis, & hoſtium magis in te impellit. Igitur tria hæc adverſa in conſtituendâ acie poſt occipitium militis ſunto, & ſi fieri poſſit, (poteſt autem ſæpe fieri ex dexteritate Ducis & militis arte exercitati) Adverſariorum impetunto faciem.

22. Plurimum ad Victoriam confert, ut lectiſſimos de peditibus & equitibus cum ſuis Capitaneis habeat Dux poſt aciem in ſubſidium præparatos, alios circa cornua, alios circa medium, ut ſicubi hoſtis vehementiùs inſiſtit, ne rumpatur acies, provolent ſubitò, & ſuppleant loca: additâque virtute inimicorum audaciam frangant. Quod ſi bellatorum copia non abundant, melius erit Duci aciem breviorem inſtruere, dummodo in ſubſidiis collocentur plurimi. In conflictu enim non tam multitudo, aut virtus imperita, quam ars & dexteritas ſolent cauſare victoriam. Exinde hoc obſervandum: ut, quo cornu Dux pugnare voluerit, eo fortiſſimos & exercitatiſſimos collocet, & omni poſſibili modo caveat, ne facile imbecilliores in hoſtem pugnatum educat. Victoria etiam per paucos conficitur. Rupto autem jam hoſte & in trepidatione fugæ conſtituto, ſubmittendi ſunt etiam imbecilliores in hoſtem, quia tunc ſine periculo committuntur, & inde audaciores redduntur.

23 Præcipua vero cura & conatus ſit Belli Duci, ut prior hoſte inſtruat aciem, multum hoc ad Victoriæ ſpem confert, non ſolum, quia tunc ex arbitrio, ut illi placitum eſt, cum nemo obſiſtat, inſtruit exercitum, ſed etiam, quia hinc augetur confidentia militi, & hoſti minuitur fiducia: fortiores enim videntur vel ſaltem

ſaltem æſtimantur provocantes quam provocati: hoſtes etiam turbantur primâ fronte ex visâ & ſurgente contra ſe ordinatâ acie. Pars autem magna victoriæ eſt, turbare hoſtem, antequam ſtringas ferrum, vel globum jacias.

24. Ad ſummam Prudentiam Belli Ducis refert Cardinalis Richelius (urgente præſertim neceſſitate) in hoſtem irruere, eumque quærere, non expectare, impetu denique inopinato frangere; eôque magis, ubi vires inferiores ſolâ virtute ad victoriam valent. Ita Ludovicus Badenſis ad limites Croatiæ (an neceſſitate adſtrictus, an inductus? non conſtat) cum tribus Germanorum millibus contra quindecim Turcarum millia cum internecione ferme omnium pugnavit fortiter, & gloriosè vicit. Militi ſemper plus animi ad invadendum, quam ad reſiſtendum. Qui aggreditur, ſtuporem incutit adverſario, ex ſtupore confuſio ſequitur, ex confuſione fuga & clades. Ex primâ trepidatione & fugâ vix, niſi per fortiſſimos Duces, reſtauratur acies. *Oportet tamen*, ait Cardinalis Richelius in miniſt. lib. 3. c. 19. *ad tales caſus Ducem eximio milite, timorisque experte, eſſe inſtructum, cum trepidantibus omnia reſiſtant: illi nihil unquam operæ præſtant, dum cordatus per omnia graſſatur.*

25. Deinde quocunque incumbit hoſtes ſit Belli Dux *cum Turno præſens.* Præſentia quippè Ducis ingentes addit animos militi, quaſi ſpiritus ille defluëret in membra ſingula. Nullum in pugnæ trepidatione conſtantis Ducis ac fortiſſimi militis officium omittat: Occurſet paventibus, retineat cedentes. Ubi plurimus labor, undè aliqua ſpes, conſilio, manu, voce inſignis, hoſti terribilis ſuis conſpicuus. In pugnâ alios pudore & probris, multos laude & hortatu, omnes ſpe promiſſisque accendat. Solertia Ducis non ſolum terrorem eximit animis militum, verum etiam commodâ interpretatione caſuum & turbationum addit alacritatem. Num autem ipſe Belli Imperator pugnet? Rarò, aut nunquam. Ejus imperare eſt, non pugnare. Ejus lapſu, qui inter pericula facilis eſt, omnia protinus collabuntur. Cum Epaminondâ Duce Thebano procidit tota Respublica. Cæſum Sci-

pionem excepit fuga Romanorum. Cuncta licet cadant, Fortuna emendare poteſt; at prolapſo Duce, tantundem eſt, ac ſi Navarchus ex puppi mergatur in fluctus; dimiſsâ in naufragii diſcrimen totâ navigatione. Nihilominus tamen, ubi inſtat periculum grave, trepidatio & fuga, plurimum valet, ut ſupra dixi, ad reſtaurandam aciem pugnamque, *Exemplum belli Ducis.* Julius Cæſar rapto fugienti è manu ſcuto, in primam volitans aciem, manû prælium reſtituit. Ubi miles laborat, turpe otiari Ducem. Alexander cum Homeri verſus variè haberentur, nullum deprædicavit magis, quam illum in Iliade: Dux bonus, atque idem validus pugnator in armis. Perinde eſt, ſive militis, ſive Ducis munus, ubi neceſſitas exigit. Niſam expugnaturus Alexander, cum videret milites deterreri fluminis, quod civitatem præterlabitur, profunditate, exſiliit, *O me omnium deterrimum! exclamans; qui natare non didicerim;* moxque clypeo pro ſubere innixus, primus tranavit. Fractis rebus violentior ultima virtus. Romæ mos erat, ut equites, qui legitimum tempus militaſſent, equum ad forum mitterent, ad Duum viros, quos Cenſores appellabant, ut commemoratis expeditionibus & Ducibus, ſub quibus meruiſſent, pro meritis aut collaudarentur, aut vituperarentur. Itaque Pompejus, cum eſſet Conſul, ipſe equum ad Cenſores Gallium & Lentulum deduxit, quibus ex more percontantibus, an omnia militaria munia, obiiſſet? *Omnia,* inquit, *ſub me Imperatore*, ſignificans, ſe ſic geſſiſſe Ducem, ut nihilo ſecius omnes militis partes exactè præſtaret. Idem & Imperator bonus, & miles ſtrenuus, quâ laude nulla poteſt Principi major contingere.

Plut. in Apophth.

26. Unum ſupereſt commemorare, ſi Belli Duci confligere cum hoſte è re expedire non videatur, ut ſæpe evenire certum eſt, quibus modis tutò ab hoſtibus recedere valeat? Hic Vegetium ſequar, qui libro 3. de hoc diſtinctè agit.

Primùm, ut neſciant milites, ideò te recedere, quia confligere nolis, ſed credant arte aliquâ ideo exercitum revocari, ut hoſtis alliciatur ad locum prælio commodiorem. Recedendum

deinde

deinde eſt, ne hoſtes ſentiant: Ideò obtegere debent equites peditatum, ut iſte ſe ſubducat, vel articulatim incipientes à primis, ſingulas acies ſubducent, retroque revocabunt, in gradu ſuo manentibus reliquis, quos ſenſim poſteà ad illos jungent, quos primùm ſubduxerant.

Secundò dormientibus noctum Adverſariis receſſus parandus eo ſilentio, ut ab hoſte adverti non valeat, eâque ſecuritate, ut ſi hoſtes orto Sole intellexerint, non facile poſſint comprehendere abſcedentes. Præterea levis armatura præmitti poterit ad colles, ſub quos ſubitò totus revocandus exercitus: & ſi hoſtes inſequi voluerint, à levi armaturâ, quæ ante occupaverat locum, additis equitibus facile fundentur. Nihil enim periculoſius accidit, quam ſi inconſulte inſequentes, ab his, qui in ſubſeſſo fuerint, vel qui ante ſe paraverint, obſerventur. Hoc propriè inſidiarum tempus eſt inimico ſtruendarum, quia adverſus fugientes major audacia, & minor cura eſt. Neceſſariò autem amplior ſecuritas, gravius ſolet habere diſcrimen.

27. Porrò, ſicut in ipſo conflictu, vel hoſtis trepidantis perſecutione, ità in receſſu omni, ordines nunquam ſolvi, ſed velut in acie compoſiti recedere debent. Aliud enim fuga eſt, aliud receſſus. Fuga cladem ſequitur, aut ob metum incipit. Receſſus ante conflictum ex ratione, ex ſtrategemate, ex illuſione hoſtis aut cauſa melioris aucupandæ occaſionis ſuſcipitur. Eximii in hoc ſunt Germani & Helvetii. Sanè in memorabili illa pugna ad Galliæ oppidum Dreux, cum Condeus Hugonotorum Dux jam aciem illam, in quâ militabant Helvetii, prima impreſſione multum fregiſſet, & diſperſiſſet; Helvetii tamen ſtricto ordine pedeque firmo ſubſtitêre, hoſtiumque impetum tamdiu ſuſtinuêre, donec ſenſim coacti pedetentim plenâque acie, ſemper eminùs cominùs pugnando, ad ſuos referre gradum. Quod eo præſtitêre animi robore, ut hoſtium teſtimonio *locum mutaſſe, non ceſſiſſe*, palam dicerentur. Nihil in bello tutius utiliusque eſt, quam *Ordines ſervare*, nihil contra pejus & periculoſius, quam *ſolvere*.

28. Onoſander Strategicus, ad belli Imperatorem egregium planè arcanum capite 24. innuit : *Familiares cum Familiaribus, & notos cum notis ordine collocandos eſſe.* Addo : *Nationes cum nationibus.* Vel ut olim Germanos per familias & propinquitates acies inſtruxiſſe, teſtatur Alexander ab Alexandro. Quod duplici cauſæ innititur, quia non ſolum proximus proximo, amicus amico, ſocius ſocio in periculis promptius & fidelius aſſiſtit, verum etiam æmulatione gloriæ præ aliis & ignotis fortiùs dimicant, ſataguntque illis præripere palmam cum ſuæ ſocietatis, propinquitatis aut nationis gloriâ, præmiorumque ſpe, ut hoc pacto, Tacitus dixit: *Diſcretus labor fortes ignavosque diſtinguat, atque ipsâ contentione decoris accendantur.* Turma olim Thebanorum ſacra, ac invincibilis ferebatur, quia *amicis conſtabat.*

29. Quomodo autem ſalubriter à belli Imperatore mandata dari debeant, ſive ſigna tàm ad conflictum, quam receſſum aliasque belli functiones, deſcribit Livius, & Paulum Æmilium in exemplum proponit : Paulus quippe Æmilius, ut Ordine ac ſine tumultu omnia in acie ad nutum imperiumque ipſius fierent, providit. Ubi omnibus ſimul pronuntiaretur, quid fieret, neque omnes exaudirent incerto imperio accepto, alios abs ſe adjicientes, plus eo, quod imperatum ſit, alios minus facere. Clamores deindè diſſonos oriri omnibus locis, & prius hoſtes, quid pararetur, ſcire. *Placere igitur, Tribunum militum Primipilo Legionis ſecretum belli Ducis edere imperium ; illum & dein ſingulos proximo cuique in ordine centurioni dicere, quid opus facto ſit : ſive à primis ſignis ad noviſſimum agmen, ſive ab extremis ad primos referendum ſit.*

30. Eandem rationem in dandâ Teſſerâ obſervare oportebit, cui quoque aliud ſignum addendum, non vocale, ſed corporeum ; ut haſtæ inclinatione, alioque corporis vel armorum motu, ut coorto aliquando tumultu non ſolum pronuntiatæ teſſeræ credunt milites (illam enim hoſtes quoque audiendo accipere poſſent,) ſed aliud adhuc certitudinis habeant ſignum, & qui-

quidem ideò corporeum propter ſocios alienigenas, qui linguam non callent.

31. Clamor ante conflictum omnibus à condito Orbe gentibus Romanis, Germanis, Græcis, Parthis, Medis, Judæis & Barbaris præcipuè, uſitatiſſimus. Immò multæ nationes ex clamore judicabant de prælii eventu. Ita teſtatur Livius : Clamor indicium primum fuit, quo res inclinatura eſſet, excitatior crebriorque ab hoſte ſublatus ; ab Romanis, diſſonus impar, ſegnis prodidit pavorem animorum, clamori utiliter jungitur Tubarum clangor, Tympanorum fragor, equorum fremitus, armorumque ſtridor & colliſio. Sic Scipio invaſit Annibalem clamante Romano milite, & gladiis ad ſcuta concrepante : ac aliquando tantâ vi & effectu, ut primus clamor atque impetus rem decreverit. Vexillum in Eccleſiâ S. Dionyſii antiquitus conſervatum, Gallis venerandum multoties contra hoſtes productum fidem fecit certæ victoriæ : hoc uſus eſt Robertus contra Burgundum, Carolus Craſſus contra Henricum Imperatorem, Philippus II. contra Ottonem, Philippus VI. contra Anglos, Carolus IX. contra Hugonotos, vario eventu. Regina Caſtiliæ Iſabella fomenta circumvehebat fortitudinis, ſpecioſiſſimas nimirum virgines, quæ merces & præmia victoribus erant. Sino alia ſuperſtitioſa, prodigioſa, quibus obnoxia erat antiquitas.

32. Quibus præmiſſis aggreſſio hoſtis ſequitur: an autem hæc ferenda, vel inferenda, variant alii, nos ad ipſum belli Ducem, qui ex rerum circumſtantiis, occaſione, tempore, milite, quid in hoc frangenti magis expediet, prudenter concludet, deciſionem remittimus. Interim Cyri conſilium aut arcanum potius, perſuadet apud Alexandrum ab Alexandro : *Ut, ſi hoſtes ferocius & tumultuoſius* (ut Galli & Turcæ ſolent,) *irruerent, taciti milites impetum excipiant : ſi autem taciturni eſſent, clamore & ſtrepitu acies invadant.* Ardentem tamen in prælium militem, continere vix ſuadet ratio, ſi cætera paria ſunt. Pharſalicam pugnam non luiſſet Pompejus, ſi prior feciſſet in hoſtem

impetum, quam ſuſtinuiſſet ; quod ab hoſte ipſo Julio Cæſare illius culpæ imputatum fuit.

33. Qui multitudine & virtute præcedit, quadratâ dimicet fronte. Qui imparem ſe judicat, dextro cornu ſuo pellat ſiniſtrum inimici. Qui ſiniſtram alam fortiſſimam habere ſe norit, dextram alam hoſtis invadat. Qui habet exercitatiſſimos milites, in utroque cornu prælium audet incipere. Qui levem armaturam optimam regit, utramque alam hoſtis invadat, ferentariis ante mediam aciem conſtitutis. Qui nec numero militum, nec virtute confidit, ſi depugnaturus eſt, de dextrâ ſuâ, ſiniſtram alam hoſtium pulſet, reliquis ſuis in ſimilitudinem veru porrectis. Qui pauciores infirmioresque habere ſe novit, ex uno latere aut montem, aut civitatem, aut mare, aut flumen, aut aliud aliquod habere debet ſubſidium. Hæ ſunt regulæ Vegetii.

34. Non defecerunt etiam Duces, ait Vegetius, bellorum peritiſſimi, qui concrematis navibus, aliisque ſubfugiis ſublatis, necdum tamen adducere copias potuerint, ut cum hoſte vellent congredi. Quâ re ſæpenumerò Duces moti, ut ne ignavia hæc fraudi ipſis foret, exercitui juramento ſe adſtrinxerunt, ad unum omnem prius morituros, quam re infectâ domum reverſuros. Ita Fabius Conſul victoriâ potitus. Ita Sylla, cum in Orchomeno fuſam aciem ſuam ab Archelao Mithridatis Duce videret, ex equo confeſtim deſcendens, ſigno arrepto in medios irruit hoſtes, exclamans: Hic, hic milites Romani, mori volo. Sed vos cum rogabimini, ubi Ducem veſtrum amiſeritis, mementote reſpondere in Orchomeno : Hâc ipſius voce moti milites ad Ordines regreſſi, redintegratâ pugnâ, victores jam hoſtes, victi in fugam verterunt.

35. Lucullus, proſequitur idem Vegetius, cum Tigrane prælliaturus, acies ipſæ inſtructæ atque ad dimicandum paratæ cum eſſent, ipſe cum parte equitatus, ac duabus tantum cohortibus tumulum quemdam pedes aſcendit, ac ſuperato tumulo contemplatus eſt hoſtium ordines & loci ſitum, exclamavit quantâ potuit maximâ voce ; Vicimus milites, vicimus ; conſpicatusque

que cataphractos equites totius robur exercitus sub tumulum collocatos, præcepit equitibus suis, ut in cataphractos incurrerent: nihil aliud curaturi, præstaturique, quam ut gladiis illorum hastas concíderent: quibus concisis, fore, ut illi pugnæ inutiles omnino redderentur. Conversus hinc ad milites: Non pilis hodie & lanceis opus est, inquit, gladiis tamen res agenda. Itaque strictis simul ensibus, suris femoribusque figendi tantum incumbendum est: quâ parte cataphracti equites exarmati sunt, æreisque tegmentis nudi. Quod cum ab equitibus peditibusque, ut præceptum erat, observaretur, cataphracti vix primam impressionem sustinuerunt, terga vertentes: quorum trepidationem reliquus exercitus in fugam conjectus est.

Cæsis igitur supra centum millibus peditum, cataphractisque; âdmodum paucis incolumibus, Victor Lucullus castris ac prædâ omni potitus est, tulitque hanc prudentiæ militaris laudem, ut diversissimis artibus ipse cum parvâ manu, duos potentissimos Reges, Mithridatem ac Tigranem, illum cunctando, hunc celeritate summâ utendo, brevi tamen utrumque fregerit.

CAP. XX.

Quid finito prælio agendum?

I.

PUgnâ diremptâ, vel Victoria secuta est, vel clades. Alia utrobique ratio imponit finem bello, aliudvè belli Ducis exigit officium. Iste, sive vicerit, sive victus fuerit, sive inducias fecerit, semper vigilias & custodias tàm victis, quam victoribus, cautè ad omnes subitaneos casus, non minus ac bello flagrante prospiciat & constituat. Eæ victis planè necessariæ sunt: Victoribus salubres, quia quam diù victis arma superstant, victoria vera dici nequit. Victores, si nil aliud timere possunt, sat est, si non timent. Neque induciis crede, sed mentem hosti infidam esse

eſſe ſemper ſuſpicare. Nunquam Imperator bonus, ait Seneca, ita paci credit, ut non ſe præparet bello, quod etiamſi non geritur, indictum eſt. Bona de hoſtibus opinio, ſecuritatis eſt noverca. Reconciliati ſolummodo tempus aucupantur, ut ſe præparent ad novas injurias inferendas.

2. Deindè inter prima ſit tàm victori, quàm victo belli Duci, occiſorum militum funeribus proſpicere, quod tàm pium, quàm neceſſarium eſt. Pietas forte quosdam non commoveret, at neceſſitas cogit. Non enim defunctorum cauſa, inquit Seneca, ſed vivorum inventa eſt ſepultura, ut corpora viſu & odore fœda amoverentur; alios terra obruit, alios flamma conſumpſit, alios lapis, oſſa redditurus, incluſit. Non defunctis, ſed noſtris ſenſibus parcimus.

3. Expedit quoque poſt cladem ſuſceptam, aut victoriam partam, quantocius ad Aulam Regnanti ſuo, ſine fuco, aut reſtrictione, integrè, tàm damna percepta, quam emolumenta obtenta, pericula etiam indè metuenda, vel bona ſperanda referre, ac deſuper ulteriora mandata expectare.

4. Practici belli Duces non minùs artem poſſident fugiendi, quam cum hoſte confligendi. Qui fugere ſtatuit, priùs hoſti repagula, clauſtraque ponat, ne fugientem, ſive hoſtis, ſive Victor, inſequi facilè valeat. Fuga utilis aut neceſſaria, interdum præſtat victoriæ ancipiti aut cruentæ.

5. Victor fugitivos non inſequatur relicto, aut non proviſo: nec, niſi in primo poſt victoriam adeptam ardore, & non cum toto exercitu, nec facilè ultra limites Provinciæ. Themiſtocles victo Xerxe volentes ſuos pontem rumpere, prohibuit: cum decuiſſet potius eſſe, eum expelli ab Europâ, quam cogi ex deſperatione pugnare. Iphicrates magnus belli Dux, hoſtibus in fugam verſis, pedetentim eos inſequebatur & præcipiens ajebat: Inſidias omni ſtudio cavete, reliquos autem ex fugientibus cædite, usque ad fluviorum tranſitus & locorum anguſtias atque foſſas.

Hic maximè fugientes includi non oportet, ne cogantur ex

ex desperatione pugnare. Propè munitiones & mœnia persequi non utile est: multi enim jam sæpè partâ victoriâ, postquam intra teli jactum venerunt, maximis cladibus affecti, discesserunt. Simulant aliquando victi fugam, ut in cassos & decipulas deducant victores. Molon Pro-Rex Mediæ, Seleuco Regi rebellis, quamprimùm Seleuci exercitum, Xenetâ Duce, contra se venire vidit; fugam arripuit, relictis castris, & omnibus impedimentis, & insuper (in offam hostis,) suppellectile pretiosâ. Castra ovans ingressus Xeneta Dux, confestim suæ militiæ, in opimis fugientium castris, quietem & direptionem permisit, fugientes autem persequi insequentem lucem distulit. Interea Molon integris adhuc viribus in propinquo latitans, circa medium noctis somno sopitos invasit, totumque Xenetæ exercitum parvâ manu aut ferro subjecit, aut aquis mersit. Ejusmodi fuga, non tàm fugæ, quam strategematis speciem præ se fert, nec fugientes victos esse arguit, sed magis hostes brevi victores extituros. Antigonus aliquando cedens imminentibus hostibus, ajebat, se non fugere, sed opportunitatem à tergo sitam persequi, sentiens, non esse turpe fugere, quoties magis expedit hosti dare locum, quam conserere manus. Persequi & fugere sunt quidem duo contraria, sed ubi idem utriusque finis est, nempè victoriæ spes, eadem est utriusque ratio. Tempestiva fuga prudens securitas est: nimius verò periculi contemptus, temeritas insidiis obnoxia. Infeliciter jactâ prælii aleâ, si fugiendum ratio suadet, tunc fuga instituatur in castra, vel loca munita, quæ in futuras clades ante pugnam muniri & præsidio firmari solent. Magnum hoc arcanum est, sive ad pessumdandos victores, sive ad victoriam hosti planè eripiendam. Ideò nunquam, propter adversum prælium clademque factam, mox spem omnem deponas: Spes sibi temper sit, quamdiù vita. Noli tàm conqueri, quod prælium perdideris, quam gaudere, quod evaseris. Non perdidit omnia, qui se habet. In momento alia aura flat, alia fortuna spirat, alii consequuntur eventus. An non potius præstabit, cautissimè subducere, colligere, munire, consolari, reficere, animare

ſuos, ultionem plagæ acceptæ meditari; quam animo deſpondere, plangere, ſuos deſerere, hoſti commoda omnia relinquere, in propriam denique necem currere. Hoc enim minimè Imperatorium, aut Magnanimi belli Ducis eſt. Adverſa probant fortitudinem, acuunt prudentiam, & veram belli peritiam commonſtrant. Varro Dux fugâ Cannenſi clade elapſus à Senatu Romano fuit laudatus, eique gratiæ actæ, quod de Reipublicæ ſtatu non deſperaſſet, ut ejus fortè Collega. Germanicus poſt acceptam cladem ſuos ſolari ſolitus, militem proprio ære ſublevabat: utque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire ſaucios, facta ſingulorum extollere, vulnera intueri, alium ſpe, alium gloriâ, cunctos alloquio, curâ & futuro prælio, quo ulturus cladem jam meditabatur, firmabat. Annibal Dux erat primæ ſphæræ, qui utramque ſortem bonam & malam ſuperare, & ex clade ipsâ audentiùs agere noverat. Seu vicit: ferociter inſtabat victis. Seu victus: ex modico intervallo inſtaurabat cum victoribus certamen, ſicque aut repetebat ab hoſte vincente victoriam, aut reddebat dubiam, aut cruentam illi ſinebat. Magna vis & poteſtas fortunæ verſatur in bello, ſed majora operatur fortitudo & virtus in belli Duce, quam, ut plurimùm fortuna comitatur.

6. Inter cætera optimum eſt, ut belli Dux, ſi prælium adverſum fecit, colligat reliquias & contineat ſe, quantum fieri poteſt, intra ſuas munitiones aut caſtra, aut experiatur, ſi quâ ratione non nimium difficili, aut deſperationi proximâ queat recuperare amiſſam gloriam, ſuisque animum addat, curet, diſponat, invigilet, quemadmodum ſæpè fecêre Annibal, Scipio, Pompejus, Germanicus, ut animi rurſus erigantur eorum in vindictam acceptæ cladis. Siquidem multos victorioſos exercitus unâ ſolâ voce, vel falſa quadam ſpecie, dum minimè rebantur, vel in fugam fuiſſe conjectos; vel ex clade perpeſſa, in ultionem fuiſſe animatos, ut dum victi fuiſſent, victores extiterint, comperimus. Romani ſecundis rebus mitiores, adverſis ferociores fuerunt. Ducis virtutem non cœptæ res arguunt, ſed peractæ de-

desiignant. Virorum fortium animi non modo insigni acceptâ clade non remittuntur aut infringuntur, sed potius ad reparandam illam, ultionemque audendam in hostes ardentiùs incenduntur. Sapiens belli Dux nunquam percellitur, nunquam perturbatur, non frangitur unquam, nec à virtute, dignitate, aut statu suo abscedit. Igitur, ô mei vos belli Duces, si vos belli excepit calamitas:

Durate, & vosmet rebus servate secundis.

7. Jam à calamitoso ad glorioſum, cui obtigit victoria, belli Ducem digredior. Posteaquam autem, ait Onosander Strategicus, omnia feliciter & ex animi sententiâ cesserint, fine bellicis negotiis impositò, caveat ille, ne ob res secundas elatior, aut gravior, (adde ignavior,) videatur. Tria hæc plerumque vitia sunt, quæ victoriæ insensibiliter adhærent. Elatio nimirum animi, crudelitas, & ignavia, quodcunque horum potens est victoriam destruere, & adeptam gloriam victori abripere.

Præ omnibus autem scias: *Victoriam magno emptam, non esse victoriam, sed calamitatem: interdum enim facilius est, non assequi, quam nimiò mercari, quod ambis. In bello prima esse debet Ducum cura, ut quam minimâ civium jacturâ pariatur victoria.* Ideò ex hoc non judicanda est victoria, quod parta sit, sed quam benè parta sit.

8. Belli extremus finis victoria est, quæ ut certa sit & salutaris, omninò Duci connitendum, ne eâ malè utatur: fit enim sæpè, uti qui Victor est belli felici successu insolescat, & dum omnia tuta credit, victis victoriam relinquat. Nihil est, quod majori arte tractari debet, quam fortuna belli, quæ tunc etiam metuenda, ubi lætam se & faventem ostendit. Solet enim humanum ingenium, ut luculenter testantur Gregoras, in magnâ fortunâ & insperatâ victoriâ humanitatis oblivisci, nisi incerta fortunæ momenta singulari prudentiâ moderetur. Ut moderatum victorem omnes laudamus, ita nimis elatum, nimisque insolentem, ipsâ victoriâ indignum, censemus. Atque ut uno verbo concludit Natalis Comes: *nihil tàm laudabile in re militari,*

ri, quam victoriam quoquo modo adipisci : illam adeptis nihil tàm glorioſum, quam moderatione animi atque prudentiâ uti. Con. Pompejus Tigranem Regem bello ſuperatum, certis rebus impetratis in priſtinum fortunæ habitum reſtituit, æquè pulchrum eſſe judicans: *Vincere Reges, & facere.* Poſt omnem victoriam, præſtanti quadam opus eſt, moderatione ac temperantiâ belli Duci, *ne proſpero curſu fortunæ fiat inſolentior, & ea deindè conſilia ſequatur, quæ ad præcipitium deducunt illum, qui plus inſolentiæ incubuit, quam veræ victoriæ.*

9. Ignaviam verò belli Ducis in eo colloco : ſi à victoriâ obtentâ ille remiſſior in vigiliis, in campo conſervando negligentior, in theſſeris & ſignis dandis incautior, in prædâ diripiendâ longior, in hoſte perſequendo tardior fuerit. Poſt victoriam Ordo, ſilentium militum, plurimum ad ejusdem firmitatem conferunt & juvant. Penes eum eſt laus & decus victoriæ, penes quem eſt ejusdem lucrum, nec enim quis, quod vicerit, quæritur quo conſilio ? ſed ſpectatur, quæ ſit victoriæ firmitas, qui fructus & emolumenta, quæ caſtrorum ſecuritas, quæ militum conſervatio, quæ demum ex victoriâ ſpes ? Etſi certus belli exitus, adhuc eventus eſt dubius, & de lætis triſtia, læta de triſtibus erumpunt. Victoria alata eſt, evolitat facilè, niſi vigiles, niſi excubes ; niſi exercitum tuum, quantumcunque vincentem, in caſtris, in campo, in acie, primis præſertim horis, contineas. Victoriam ſemel partam prudens conſervabit belli Imperator, *ſi ſecuritatem frequentiſſimum calamitatis initium vitaverit.* Victor ſiquidem exercitus facilè vincitur, ſi quis eum poſt victoriam ſui ſecurum, incautum & negligentem aggrediatur. Tantum periculum & jam velut in portu naufragium declinabit ille, ſi fuſo hoſtium exercitu milites ſuos aliquamdiù, ut dictum eſt, in acie contineat, omniaque diſpoſitis vigiliis diligenti cuſtodiâ rectè gubernet ; & fidos inſuper exploratores tàm intra, quam extra emittat, ne forte invida fortuna victos rurſus extollat, ipſumque victorem ſui ſecurum dejiciat. Nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet. Nimia ob hoſtem

ſtem fugientem exercitûs victoris ſecuritas, ebrietas, ac negligentia ſæpenumerò victoriam perdidit, majore ſuperinducto rerum damno, quam victoriæ fructus unquam ſperari poterant. Annibal unâ clade deperdidit plus centum antecedentium victoriarum fructus. Prædæ inconſulta rapina & aviditas ſæpè victorias certas corrupit. Turpe eſt ad ſarcinas delituiſſe, ubi hoſtis funditus deleri poterat: periculoſiſſimum vero ad ſarcinas ab hoſte inveniri. Hoc malo ſuo experti ſunt *Samnites*, quos poſt multam pugnam victores, ſed præmaturè prædæ inhiantes, reſtaurato prælio Romani, jam prius victi ad ſarcinas ſub Cornelio Dictatore & Fabio Duce miſerè cæciderunt. Ita fœderati ad Tarum contra Carolum VIII. Franciæ Regem periêre. Ita Rudolphus ad Rinsbergam occubuit. Væ! qui prædaris *quia prædaveris* inconſulta.

10. Cum veteres milites Romani è caſtris ad prælium egrederentur, jurabant omnes, nihil ſe ex prædâ defraudaturos, ſed fidem ſecundùm datum Sacramentum ſervaturos. Dum ſic diviſi, pars ad prædandum convertebatur, pars cuſtodiæ gratiâ in acie remanebat, pars hoſtem inſequebatur, ſic univerſis proviſum erat, ſine periculo ullo amittendæ victoriæ, ut fusè refert Polybius. Quæ cautela à noſtris malè obſervata plures peſſumdedit victorias. Prius hoſtem perſequi neceſſe eſt, quam prædæ inhiare cum diſcrimine totius amittendæ. Præda ad victoriam accidens eſt, hoſtium autem ruina & interitus, ſubſtantia. Cum Annibal ad Cannas feliciſſime pugnaſſet, amicis ſuadentibus, ut hoſtem fugientem inſequens, in Urbem irrueret, non obtemperavit. Quam rem Barchia Carthaginenſis adeò indignè tulit, ut illicò exclamârit: *Vincere ſcis Annibal, victoriâ uti neſcis*; quâ ſi rectè uſus fuiſſet, non deindè tam magnam cladem cum tanto ſuo dedecore tuliſſet. Non eſt plena victoria, ubi armatus hoſtis ſupereſt, quanquam ſi & hunc oppreſſeris, alii renaſcentur. Quædam incautæ vel non ſtrenuæ victoriæ prodromi ſunt futurarum cladium, vel ſaltem bellorum. Quorum exempla abundè ſubminiſtrat utraque pagina. Quid-

quid tardat victoriam, urgendum: quidquid impedit, amovendum: Unde pericula imminent, providendum, prævenien-dum: nec te unquam plenâ victoriâ potiri credas, nisi eodem tempore, quo hostem vincis, castris etiam & impedimentis exuas, ac tàm diù persequaris, donec se ita dispergat, ut non facilè nec se colligendi tempus, nec locum, nec commoditatem habeat: Perfecta victoria consistit in duobus: in hostium nimirum exactâ clade, eorundemque profligatione: & imposterum securitate. Victoria nulla est, immo victoriæ nævus, *hostem vincere, nec persequi.* Pompejus cùm Cæsarem ad Dyrrachium conflictu fregisset, victoriam autem persequi noluisset, illicò Cæsar *Pompejum scire vincere negavit.*

11. Sed jam de prædâ in specie & hostium spoliis, quæ post *securitatem* primi sunt fructus victoriæ, quædam notabimus.

Spolia alia sunt *immobilia*, alia *mobilia.* Immobilia sunt castra, territoria, Provinciæ, Regna à victoribus occupata, & hostibus in victoriæ emolumentum adempta, quæ citra omnem controversiam ei acquiruntur, ex cujus potestate absolutâ, bellum actum est, id est Principi sive Regnati. Etiam *belli sociis*: eâ tamen ratione, ut vel qui plus in bellum contulit, plus indè lucri habeat: vel illud duntaxat accipiat, de quo in tabulis societatis sive confœderationis conventum fuit. Etenim
Aules. *res militaris quidem secumfert naturalem acquirendi modum, sed non solum ei, qui principaliter bellum gessit, verum etiam ejusdem fortunæ sociis & confœderatis.* In bello quippe sociali ita naturalis est societati omnium utilitatum, damnorumque belli, communio, ut illa in hâc, teste Grotio, præcisè consistat: secùs non dicenda belli societas, sed turpis illusio fidei humanæ.

12. Verum Dominia & Provinciæ, ad alios qui cum hoste non participant, spectantes, detentæ tamen ab hostibus injusto præsertim titulo, aut specioso prætextu, expulsis his, cui cedant? controversum est. Quia jus gentium hostes similium Dominos fecit dominio externo, deindè victores jure justi belli; Quod multis constat Biblicis exemplis, in specie in libris Judi-

dicum & Samuelis, ubi expreſſe David Amalecitarum ſpolia immobilia, quæ prius iſti Palæſtinis abſtulerant, ſibi partim appropriavit, partim diviſit, nihil improbante Propheta Samuele. Idem antiquo Romanorum jure ſtatutum: Nam ubi Volſci olim poſſeſſa repeterent, reſpondit Titus Largius: Romani nos honeſtiſſimas eas, atque juſtiſſimas credimus poſſeſſiones, quas belli lege captas habemus, neque verò induci poſſumus, ut ſtultâ facilitate debemus, virtutis monumenta, ſi ea illis reddamus, quibus ſemel perierunt: Immò verò tales poſſeſſiones, non tantam cum his, qui nunc vivunt, civibus noſtris communicandas, ſed & poſteris relinquendas cenſemus, tantum abeſt, ut parta relinquendo in nos ipſos ea conſtituamus, quæ in hoſtes conſtitui ſolent. Ita ſeriò diſſerebat Legatus Romanus de jure belli, quod confluit ex jure gentium, illudque etiamnum mordicus obſervant Ottomanni Principes. Repugnare attamen videtur juri naturali, quo nemini licet cum alterius jacturâ locupletari. Unde Pomponius in lege, ſi captivus, ff. de captivis, & poſtliminio reverſis clariſſimè adverſatur præfatæ opinioni, inquiens: expulſis hoſtibus ex agris, quos cœperint, dominia eorum ad priores Dominos redire, nec aut publicari, aut prædæ locò cedere: publicatur enim ille ager, qui ex hoſtibus captus ſit.

13. Multo autem magis procedit hoc in eo, quod noſtris amicis, & ſociis: quod viduis & pupillis, ut Alſatia domui Oenipontanæ, Lotharingia filiis Caroli, Bipontum bipontinis hæredibus &c. vel quod noſtri causâ ab hoſtibus ablatum occupatumque, poſtea à nobis recuperatum eſt. Ratio id ſane, & omnis humana æquitas perſuadent, ne dicam de lege divinâ & civili. Attamen pius ille & Illuſtris Aulicus Cominæus Comes cum dolore teſtatur: quod nulli ferè ſint, aut pauci admodum Principes, qui poſteaquam ſemel aliquid occupaverunt, quocunque modo reſtituere id velint. Nam neque ratio, neque jurisjurandi religio, neque metus divini Numinis, neque æquitas ulla, nec inferni cruciatus perpetui, movere illos poſ-

ſunt,

ſunt, ut quod alienum eſt, quod à ſe malè poſſideri ſciunt, reddant. Jus belli non ſufficit, ſi bellum fuit injuſtum : Juſtum autem eſſe non poteſt contra eos, qui in bello impliciti non ſunt ; nec enim iſti prævaricati ſunt, nec eorum dominia, ex ſolâ & iniquâ poſſeſſione hoſtis. Verum, aliena rari licet reddant, Stiliconem tamen in hoc, ſolemni musâ celebravit Claudianus ; quod ego in Leopoldo noſtro ſine jactantiâ laudo:

Sub tot Principibus, quæcunque amiſimus olim,
Tu reddis.

Experta id fuêre Daniæ & Poloniæ Regna.

14. Eodem modo Victor ea, quæ occupavit, non aliter, niſi, ſicut cum commodo, ita cum onere, poſſidere valet. Quia bona devicti dici non poſſunt, niſi deducto ære alieno, resque omnis tranſire debet, cum ſuo onere & causâ; maximè verò ubi jus inhæret rei. Ah quam pauci hæc cogitant, creduntque! Interim veriſſimè Gallicus Scriptor Ærodius contra Franciſcum II. volentem ſe paternis debitis apud Helvetios contractis ex lege Regiâ exſolvere, aſſeveravit : *Æquiſſimam vocem eſſe, & jus gentium præ ſe ferre, licet re, & pronuntiatione difficilem: Redde, quod debes, inquit Seneca, neque adeo viris, ſed & infantibus cognitam, &c.*

15. Spolia immobilia Magni Principes non dubitarunt olim etiam in ſuos belli Duces, & emeritos Tribunos, conferre, velut præmia navatæ operæ ad victoriam obtentam. Lampridius id teſtatur de Alexandro Severo, quod ea, quæ de hoſtibus capta ſunt, limitaneis Ducibus & militibus donaverit, ita, ut eorum eſſent, ſi hæredes illorum militarent, dicens, attentius eos militaturos, ſi etiam ſua rura defenderent ; Addidit ſanè his & animalia & ſervos, ut poſſent colere, quod acceperant, ne per inopiam poſſidentium deſererentur rura vicina Barbariæ, quod turpiſſimum ille ducebat. Ejusmodi Limitanei Duces propugnacula ſunt totius Regni, & quia primos excipiunt ictus, fovendi ſunt in fide, & officio. Eò enim impenditur labor & periculum, undè emolumentum atque honos ſperatur. Nihil non aggreſſuros exiſtima, ſi ejusmodi tales in eâ libertate conſervaveris,

ris, quam accepêre in primâ inſtauratione. Id in Croatis gente fideliſſimâ jam toties experti ſunt Auſtriaci Principes.

16. Porrò circa *Mobilia Spolia* hoſtium propria, rurſus par ferme exſurgit quæſtio: *Anne fiant capientium: Singulorum* ſcilicet, *vel Ducis, ſive ejus, de cujus poteſtate actum eſt bellum?* Multi in eam ivêre ſententiam, quod fiant capientium, ſed eo pacto, ut ad Principem ea deferant; Princeps autem inter milites, veluti navatæ operæ præmia, dividat. Ita de Romanis teſtatur Livius: Conſul armis hoſtium (videlicet quæ inutilia erant) in uno concrematis cumulo, ceteram prædam conferre omnes juſſit: & aut vendidit tantum, quod ejus in publicum redigendum erat; aut cum curâ, ut quam æquiſſima eſſet, per milites, diviſit.

17. Apertius reſolvit Cyrus apud Xenophontem: *Lex eſt ſempiterna inter homines, captâ hoſtium urbe eorundem res atque pecunias victori cedere.* Ubi per victorem Xenophon intelligit, ipſum Principem aut Rempublicam, cujus ſtipendiis meret miles.

18. Quod ipſum diſtinctione aliquâ opus habet, quam Grotius inſinuat; nimirum diſtinguendum eſſe inter actum publicum & privatum. In actu publico, ubi ſtipendiis conductus miles militat, *res hoſtium capientis non fieri, ſed ad eum, qui ſtipendia exſolvit pertinere.* Scipio in hunc modum expoſtulavit cum Maſiniſſa, inquiens: Syphax auſpiciis populi Romani captus victusque eſt; itaque ipſe, conjunx, Regnum, ager, oppida, homines, qui incolunt, quidquid denique Syphacis fuit, prædâ populi Romani eſt. In eundem ſenſum ſcribit Halicarnaſſæus: ſcitis omnes, quod ſpolia, & prædam ex hoſtibus, quamcunque noſtrâ virtute adipiſcimur, eam *Lex publicam jubet eſſe.* Nec ſolum gregarius miles, aut privatus aliquis jus in hanc non habet, immò nec ipſe belli Imperator. Sed quæſtor eam accipiens divendit, & pecuniam in ærarium publicum refert. Quam legem, ex quo Urbem hanc incolimus, nemo, non dicam, ſolvit, ſed nec culpavit.

19. In actu vero privato, ubi non sub Duce, nec agmine, nec ubi *Summa rei* agitur, constitutus miles, ut in velitationibus, excursionibus, & strategematibus privatis, proprio acquisierit Marte, sanè capientis esse, omnis ratio, rectumque judicium persuadet. Videntur ejusmodi indulgeri tam à Principe, quam Belli Duce, nisi tamen sint valde pretiosa & rara, quæ verisimiliter, nec Princeps, neque Dux censetur indulsisse; nec ex more & consuetudine indulgere potuisse. Qualia sunt Personæ Regiæ, his proximæ, & aliæ eminentes, aut eorundem corpora; Apparatus nauticus & bellicus, commeatus, tormenta bellica & his similia, quæ Rempublicam Regiamque dignitatem conservant. Varius in hoc gentium usus est, eoque respiciendum semper, sed eâ cautela, ut bene merentium habeatur cura, respectus, & conservatio. Quod olim egregiè Romani præstiterunt, & etiamnùm apud glorioſos Principes usu venit: ne forte, quod aliquando Romanis accidit, miles meritò indignaretur, ubi tot ab ipso impensi labores frustrarentur, ideoque arma poneret, aut in victorem retorqueret, aut hosti accederet. Livius certe ait: *Castra capta: præda ad quæstores redacta, cum magna militum irâ*, quæ omni Regno, Regique fatalis. *Nihil ab irato milite spei est*, dixit Euripides. Ideo Sapientes Belli Duces post separata, quæ ad publicam sive utilitatem, sive dignitatem spectant spolia, cetera direptioni militum ad aliquod tempus largiuntur, salvis tamen iis omnibus, quæ supra ob utilitatem publicam exemimus, & ipsi Belli Duces, Tribuni, & capitanei, & cæteri commilitones, qui interea excubias agunt, ex more gentis (qui valde varius est) sibi prætendere & eximere solent. Nec enim (ajo cum Senecâ, sed inverso sensu) ille solum militat, qui prædatum excurrit, qui populatur, qui convasat spolia hostium, qui eos persequitur, qui capit, rapit, & extorquet quævis; Sed ille etiam, qui castra tuetur, vigilias servat, & alia non minùs necessaria, quam utilia belli ministeria (licet incruenta) indefessè perficit. Hi quoque in numerum prædæ veniunt ex lege æquitate & more omnium gentium.

Finio

Finio hanc de ſpoliis materiam cum egregio Onoſandri Strategici documento, is capite XXXV. ita perſuadet: Non tamen in omnibus rebus, quorumlibet hoſtium poſſeſſiones vexari ac diripi ſinas, ſed aliquando quidem potiaris, aliquando verò prohibeas. Omnia quoque quæ vel abigi, vel auferri poterunt, ut ad te convehantur, cura. Dignoſce etiam pro temporum ratione, an omnia, an partem, an omninò nihil retinere debeas. Nec enim æquum eſt cum publicis opibus, rebusque bellicis ſatis amplis, tantum militibus utilitatem invidere, cum ex devictorum locorumque ubertate lautiores præberi poſſint commoditates.

2o. Reſiduum eſt, ut de perſonis captis in juſto bello, quod juris victor in easdem conſequatur? breviter explanem.

Capti in bello juſto Jure Gentium ſervi efficiuntur. Effectum hujus ſervitutis tradit Juris Conſultus in l. 1. de his, qui ſunt ſui vel alieni juris, hiſce verbis: *Apud omnes gentes animadvertere poſſumus: Dominis in ſervos, vitæ necisque poteſtatem fuiſſe.* Hâc poteſtate ſicut major dari non poteſt: ita captivitate, quæ ſervitutem ex Jure gentium infert, nihil calamitoſius accidere valet. Verum, ſummum Jus ſumma eſt injuria. Magis hæc poteſtas in poſſe, quam in actu oſtendi debet. Non omnia, quæ poſſumus, licent; nec quæ licent omnia expediunt. Naturæ injuriam facit, & humanitatis legem violat, qui ultra victoriam, & etiam ſuperatis hoſtibus, crudelitati indulget. Si Belli Duces meminerint, *Vincere non eſſe hæreditarium: Victoriam potius apud ipſos accepiſſe hoſpitium, quam incolatum: Eventus felices non eſſe perpetuos: inter victum & victorem vix diem aliquando interceſſiſſe:* Si, inquam, hæc meminerint, non facile victoriâ abutentur; non inſoleſcent: nec captivis multum nocere properabunt. attenti ad fortunæ omnia alternantis genium, & inde formidanda honoris & vitæ præcipitia. Quâ menſurâ menſi fueritis, eâdem remetietur vobis. Quod Juris in alios ſtatueritis, tantundem ſuſtinebitis ipſi. Bajazethes ferream caveam, quam ante victoriam meditabatur Tamerlano, ipſe illam mutato caſu

ignominiosè tulit usque ad vitæ desperationem, morte sibi ipsi per vim illatâ. Inscrutabili judicio Divina Nemesis etiamnum utitur pœnâ Talionis.

21. Transeant præfata apud Barbaros, & quibus non est nec cognitio, nec metus Numinis: Apud nos autem hodie Christiana Religio tantum servitutis Jus, tantam vitæ aut necis in captivos potestatem, aliumque in magno excessu rigorem, aut hominum mercatum &c. Et si quid aliud ad huc cæca indulsit gentilitas, nequaquam admittit, sed severissimis legibus perstringit: quia ejusmodi è diametro repugnant non solum humanitati, sed etiam Christianæ Caritati, quod per se in comperto est, nec probatione indiget.

22. Est attamen aliquod, nec exiguum illud, victoris in captivos Jus, quod Christianæ Religioni non adversatur, sed toleratur ab illâ, & hunc fermè effectum habet. Primò: ut liceat victori leges dare, & victo necesse sit, eas accipere, iisque obsequi. Secundò: fide obstringuntur captivi suo victori, si abolito antiquæ servitutis more eos non cum ignominiâ, ut servos, tractat. Tertiò: Captivis, nec alteri se dedere, nec aufugere fas est, donec se redimant. Quarto: si bonâ fide dimittantur à victore, ad præscriptum tempus se sistere tenentur. Quinto: Fugâ datâ subjacent pœnæ, quam jura contra fugientes præscribunt. Sextò: Captivi nec amplius Victori resistere, nec hostilia moliri, nec cum hostibus aut seditiosis conjurare (nisi intercedat inevitabile periculum salutis) nec jure, nec integrâ conscientiâ possunt: immò secùs ejusmodi prævaricatores hostiliter à Victore tractari concessum est. Septimò: Captivi aut redimi debent, aut lytrum solvere tenentur. Permutatio captivorum inter belligerantes methodus est facillima ultrò citròque eliberandi suos. At si hæc non obtingat, opus est lytro, vel clementiâ Victoris. Quantitas autem lytri solvendi planè incerta est, rigidius tamen contra Barbaros captivos, mitius contra Christianos statuenda. Octavò: Quia diversitas est captivorum, diversa etiam ratio est obligationis eorum, ac major minorque potestas victoris in eos.

Subdi-

Subditi rebelles omnino in ſervitutem, non obſtante Chriſtianâ Religione, redigi poſſunt: cum aliunde ſint rei læſæ Majeſtati, & cenſentur eſſe omnium hoſtes. Non tamen ideò ita, & univerſim ſæviendum erit, ut plura & majora ſint ſupplicia & cædes, quam culpæ & reatus. Exemplaris paucorum pœna ſit omnium emendatio: & univerſalis abolitio jurium, perpetua manebit ſervitutis memoria. Nonò: In Turcas, Saracenos, infideles captivos citra omne dubium Jus ſervitutis, vitæ & necis procedit, tam ex pœnâ Talionis, cum illi ſic agant, quam quod hoſtes hereditarii ſint Chriſtianæ Religionis, cum quibus nulla vera aut ſincera pax, & ipſæ induciæ dubiæ ſunt. Poſteaquam autem ſe dederint, & cæterùm quieti, promptique ad labores fuerint; reſtringitur quidem Jus in eos necis, venundare tamen illos licebit. Decimò: Illi captivi, qui durante pace, nec præviâ diffidatione more latronum (ut extremis Bellis Galli fecêre) Urbes invadunt, expilant provincias, ſubditos velut mancipia abducunt, vel planè occidunt; hoc ipſo Servitutis extremæ pœnam ſubeunt, necemque merentur, ut malefactores. Ejusmodi non ſunt veri hoſtes, nec jure & privilegio gaudent hoſtium, ſed publici ſunt latrones, fures, & inſuper Tyranni, quos nullum Jus, nulla æquitas excuſat. Undecimò: qui delictum grave in captivitate perpetrant, clementiam Victoris non merentur, talem prætextum habuerunt Gandavenſes, Imbercortum & Cancellarium capite plectendi. Duodecimò: etiam in terrorem obſtinatorum, vel ex jure Talionis ſervitus imponit, ut ſi acerbius anteà & crudelius Victoris milites, à victis & captivis habiti ſint. Hoc jure uſi ſunt Helvetii, qui, ut ſuos priùs à Joanne Medices Caroli V. Belli Duce contra fidem datam, occiſos vindicarent, quotquot ex Cæſareanis habere poterant, ſine remiſſione interemerunt. Breviter præfata claudo: Duo præcipuè victoriæ effectus ſunt, *injuriæ acceptæ ultio*, & *impoſterum ſecuritas*: Ideò ita oportebit victorem in victos & captivos agere, ut hi ſat armis attriti ultra nec noceant victori, nec nocere velint, nec audeant, neque poſſint. Cæterùm

Non querimur cæſos: hæc bellica jura vicesque,
Armorum ſunt.

23. Sunt quidam Politici, inter quos Grotius, qui fugæ licentiam concedunt captis in bello injuſto, quod mihi ridiculum videtur; Anne captivus judicabit de injuſtitiâ belli? Omnis ſibi perſuadet ſe juſtam, belli ærnulumque, injuſtam cauſam habere: conſequenter quivis captivus ex hâc causâ blandiens, fugere poterit, ac proinde nemo Victor ſecurus erit de ſuis captivis, nemo fidem illis adhibebit, nemo clementiam exercitabit. Prudentiùs eſt exiſtimare, quod hoc ipſo, quia Victor vitam (quæ in ſuâ poteſtate fuit etiam confecto prælio, licet poſt datam fidem non amplius ſit,) miſero captivo permittat, tacitè per ipſum actum capturæ & donatæ vitæ enaſcatur aliqua ſtipulatio, ſive obligatio erga victorem. Quid enim homo non dabit, ut individuum ſuum ſervet? Quod tanto magis verum eſt, quanto certius ex multorum opinione Politicorum, quod per injuſtum etiam bellum Victor conſequatur dominium in ſuos captivos.

24. Quid ſi ex uſu militari, quando libertati, conniventiâ victoris aſſeruntur, promittant captivi, nolle ſe adverſus victorem militare; an inde exſurgat obligatio? vix in dubium cadere poteſt, cum omne promiſſum cadat in debitum: interea tamen diſtinguendi ſunt bello capti. An iſti extranei ſunt, qui tantum merent ex ſtipendio, an ſubditi & cives Principis aut Reipublicæ, cum quâ bellum eſt. Illi abſiſtere bello debent; iſti rurſus à ſuo Imperante ad bellum cogi poſſunt, cui citra perfidiæ crimen obtemperandum erit. Hujus cauſam allegat valde ſolidè quidam Neotericus. Nec enim in tam ingens Reipublicæ præjudicium aliquid hoſti promittere licet: Si enim is, qui ſummam poteſtatem habet, juramenta in necem publicam facta irritare valeat, immò potiùs per ſe, velut iniqua, aut metu, & non liberè facta, concidant; quanto magis à nudis promiſſis fidem liberare, quaſi hoc modo paciſcendi facultatem non habuerint, valebit. Sibi imputabit Victor, quod ſuo jure non uſus; Civem civitati reddiderit. Nec obſtat, quod iſte, ſi denuò capiatur, ſine veniâ occidi

cidi possit, hoc enim illo Jure Gentium externo fit, quo in hostes quævis licent (si tamen expediant, aut non refragentur conscientiæ.)

25. Pro coronide hujus capitis specialiter agendum venit *de Rege & Principe captivo.* Circa hunc duo rursus sub decisionem cedunt: An parcendum illi? vel potius an occidi possit, vel debeat? Secundò: an Rex captivus, titulo captivitatis Imperium in victorem transferat?

26. Primò, parcendum sanè est Regibus, non solum in vitâ, sed etiam in victu, amictu, tractandi sunt more Regio, id gentes docuêre, & persuadet humanitas, *moderatione uti in Regium sanguinem.*

27. An vero interdum *Reipublicæ causâ* occidi possint, vel debeant Reges captivi? magno consilio quæstio indiget. Majestas quippe Regia non solum Majestas semper manet in se sacro sancta & inviolabilis, sed etiam ejus subjectum, sive Rex, aut Princeps absolutus, delinquere non potest ad instar subditi, in alium Regem & Principem absolutum, adeoque nec puniri poterit usque ad amissionem præsertim vitæ: *Quia par in parem nec quidquam juris habebit.* Carcer & captivitas Regum extrema sunt fortunæ adversæ.

Interim cum *Salus publica sit lex universalis supra leges & Reges*, interdum hæc aliud deposcit, & *feriendos statuit, qui aliorum sceptro & coronæ nullo juris prætextu habito inhiant, insidiantur, rebelliones concitant, in caput Regium conspirant, venena propinant, atque ejusmodi attentant, quæ repugnant vel Juri naturæ, vel gentium.* Ejusmodi enim non hostes sunt, sed latrones, & venefici, nec ideò ut Reges tractandi. Aliud quippe est æmulatione gloriæ, aliud turpi quæstu agere: aliud ob vicinitatis limites decertare, aliud de solio præcipitare: aliud aperto Marte experiri, aliud seditiosis consiliis, & prohibitis armis machinari. Non merentur veniam, qui in humanitatem peccant. Hinc *Iniquus aggressor, & usurpator Regni legitimum Regem, licet bello captum, nullo jure occidere potest, è contra Legitimus*

gitimus Rex nullo jure prohibetur, invasorem sui Regni bello captum (præsertim ubi machinationes interveniunt) *interimere.* Ratio in aperto est, illius Justitia læsa hujus injustitia manifesta in causâ gravissimâ.

28. Idem procedit de Principibus feudatariis, licet quoad territorium suum absolutis, si bello capiantur atque fractæ fidei rei hostiumque complices inveniantur. Quod ferme Friderico Saxoniæ Electori aliquando accidere potuisset, qui apud Mühlpergam captus, & licet per sententiam capitis damnatus, liber tamen dimissus à Carolo V. cum totius Germaniæ interesset, ut refert Avila, ne ad extremam salutis desperationem ii compellerentur, qui spem suam in Cæsaris mansuetudine positam, solo Friderici exemplo liberabant.

29. Alteram quæstionem, an Rex captivus in victorem transferat Imperium, resolvit Grotius tractans, de Jure belli & pacis libro tertio capite octavo thesi primâ affirmativè, & asserit, *Imperium victori acquiri, ut est in Rege.* De Jure quidem gentium id verum omninò esse videtur; quia hoc jure captivus fit servus capientis, ut alibi insinuavimus. Cum vero ab hoc jure materia captivitatis abstracta sit, standum potiùs est Christianorum legibus & moribus, quibus ille antiquus rigor damnatur, ubi servus omnia Domino acquirebat.

30. Jam verò consideremus undequaque sive victorem, sive Regem captivum; aliud ille ab hoc prætendere nequit, quam lytrum, aut lytri loco conditiones tales, quæ tàm *illatæ injuriæ, quam futuræ securitati prospiciunt & satisfaciunt.* Jam enim supra diximus: *Omnes belli justi duas esse axes & cardines, ultionem* nimirum *injuriæ, & futuræ securitatis spem.* Consectarium proindè est: *A Rege captivo, vi captivitatis, non transferri Imperium in victorem, sed usum ejus impediri per captivitatem, & impotentiam Regis capti.* Immò retinet Imperium actu signato, licet non in actu exercito propter impedimentum dictum suæ capturæ. Eorum tamen omnium, quæ cum Rege capiuntur, acquirit Victor dominium; manente interim

terim Imperio & curâ Regni apud eos, quibus eſt proximum jus : vel cui Rex captus, ante, vel in captivitate illud commiſit, donec eliberatio ſuccedat, ut vidimus in duobus jam Regibus Franciæ, Joanne & Franciſco ; illo in Pictavienſi ab Angliæ primogenito ; hoc in Papienſi prælio ab exercitu Caroli V. capto : Undè tamen nec in Anglum, nec in Hiſpanum tranſivit Imperium Franciæ. Regna quippe à DEO ſunt, manentque Regna captis etiam Regibus, & non uſu capiuntur, ut res aliæ, ſed transferuntur de gente in gentem, ut ille voluerit, qui omnia poteſt.

31. Undè rectè præfata quæſtio diſtinctione reſolvitur : vel enim Victor cœpit Regem, ejusque dictiones jure belli occupavit, & ſibi actù ſubjecit ? vel ſolum Regem prælio ſuperavit, & in captivitatem abduxit, non occupato ipſius Regno? Primo caſu Rex & Regnum capientis ſunt, neque facilè conſtat ex ſacrâ vel profanâ hiſtoriâ, quod Regna capta Regibus captis, aut Reges captos Regnis captis reddidiſſent victores ſine aliquâ ſervitutis conditione, quam Veteres Romani optimè noverant colorare jam amicitiæ, jam ſocietatis, jam clientelæ nomine, interim ſibi Reges & Regna mancipabant. Secundo caſu jam ex dictis conſtat, quod cum Rege capto non accedant victori Regna & ditiones captivi, ſed liberum fiat proximis ſanguine, vel cui ille commiſerit, ea in ſuam poteſtatem interim accipiendi, donec fortuna propitia libertatem dederit capto, quemadmodum Franciſcus I. Franciæ Rex, ſupra id, quod rebatur, in captivitate Madritanâ detentus, publico reſcripto Regnum ſuum filio primogenito committere voluit. Immò Politicorum aliqui exiſtimant, capto & in ſervitutem abducto Rege liberum populo fieri, & adipiſci poteſtatem ſibi de alio Domino providendi, eâ tamen methodo & ſucceſſionis ſerie, quam Leges Regni fundamentales præſcribunt.

32. Incidenter hîc quæro : *Utrum & in quantum Regi captivo liceat alienare Regnum & ſua bona.* Ratio dubitandi eſt: Quia idem non poteſt eſſe Servus & Dominus, captivus & liber.

liber. Si autem nec Dominus, nec liber; igitur nec quidpiam eſt ſuum : quod autem ſuum non eſt ; alienare haud valebit. Prægnans hæc ratio videtur eſſe primâ fronte : Verum cum ſuperiùs jam ſervitutem, quæ aliàs jure gentium viguiſſet, Chriſtianâ manſuetudine à Rege captivo, abſtraximus, nihil planè officit, quin Rex bello captus ſui Regni Imperium ſaltem in actu ſignato ſemper retineat, ipſique inhæret jus Majeſtatis: Atqui ex vi ipſius Majeſtatis competit regulariter Imperanti *alienandi* facultas, (niſi ſpeciali ad eam impediendam inhibitione in primâ inauguratione cautum ſit, & in quam Rex expreſſe compromiſerit:) Exindè jure concluditur Regem captivum, non ſolum de rebus privatis, ſed & publicis, (puta Regni parte, aut aliquibus ejus ditionibus,) *ſive per reſignationem, ſive per abalienationem* (quarum idem effectus,) præſertim in compenſationem damnorum injuſto bello cauſatorum, vel in lytrum, vel in mulctam captivitatis diſponere, & cum victore paciſci poſſe.

33. Etenim Majeſtas, quæ in Rege, licet captivo, reſidet, & illa licet carcerata reſpectu victoris ſit ; manet attamen ex indole ſuâ reſpectu ſuorum ſubditorum, ita abſoluta, ut ab illâ dependeant omnia jura Regni & omnes diſpoſitiones & actiones civiles, ad quas paſſivè, ſe tantum habent ſubditi. At verò inter Regni jura & operationes civiles non minùs eſt jus & facultas abalienandi, quam jus Legis condendæ, belli gerendi, ſanciendæ pacis, &c. proindè verum manet, *Captivo etiam Regi licere alienare quidpiam de ſuo dominio, maxime ex cauſâ captivitatis, lytri aut damni illati.* Hinc eruo ſequentia.

34. Primum : *In Rege abſoluto & Hereditario nunquam contraverti facultatem alienandi res Regni.* Quod per ſe & ex dictis conſtat. Majeſtas enim abſoluta, & hereditaria infert dominium, proprietatem, & ſummum Imperium ; hoc autem libertatem vendendi, commutandi, diſponendi, ut in re ſuâ, nulli legi obnoxiâ vel adſtrictâ, ſupponet enim Regem talem nulla lege Regni fundamentali teneri in contrarium.

35. Alterum arcanum ſuggerit Henricus Henniges : *In quâcunque Republica Regi, qui vere Rex eſt, ſi expreſſâ conven-*

tione

tione jus alienandi non eſt ademptum, in illa eidem hoc competere. Quoniam (ut ille egregiè diſſerit) alienatio eſt quidam actus Majeſtatis, quem ſubditi ex poſt facto non poſſunt impedire, quia ſe paſſivè ad actiones Imperantis habent. Neque ad rem facit præſumpta Civium voluntas de hoc jure non concedendo; quia facultas alienandi non eſt in Rege ex voluntate populi, ſed quoniam *Majeſtatem*, id eſt, *ſummum Imperium* habet, inter cujus operationes non minima eſt hoc jus. *Majeſtas autem immediate à DEO non populo Regi conceſſa eſt.* Quare omnes ejus effectus ſimul à DEO dependent, ut nihil hic tanta voluntas populi facere poſſit, ubi populus nihil dedit. Omnis enim Poteſtas eſt à DEO immediate, ſubditis ſola obſequii gloria relicta eſt.

36. Tertium eſt affine priori: *Regem autem Principem, licet ipſi relinquatur à populo Imperium certis legibus adſtrictum, nihilominus poſſidere jus alienandi.* Vel enim leges illæ, quibus ſe adſtrinxit imperans, abrogant ſpecificè hoc jus alienandi vel non? Si poſterius, cadit quæſtio, nec debet tacitè præſumi, quod Majeſtati præjudicat, quæ palàm data eſt imperantibus, ſi verò ſpecificè abrogant; tunc male, & contra fidem juratam agit Rex, ſi conventis non obtemperat. Interim actus ipſe alienationis pactis contrarius, per hoc non redditur nullus; ſicut enim ex hoc non deſinit eſſe Rex & in Rege Majeſtas, ita hujus Regiæ Majeſtatis ſubſiſtentia omninò exigit in ſubditis obſequium & patientiam. Expectandum deſuper Numinis potiùs judicium, quam ſinendum ſubditis, ut reſiſtant poteſtati: Qui enim huic reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit.

Rex univerſis ſuperior eſt, arceri non poteſt ab inferioribus citra colliſionem Ordinis. Si enim pari in parem nullum Jus, quid juris erit inferiori in ſuperiorem. Multa fere debent ſubditi, quæ emendare illis non conceſſum. Princeps ſoli DEO acceptum fert Imperium, cui à nemine eripi illud poteſt, niſi ab eo, qui dedit; ad obſequium tenetur ſubditus ſuo Regnanti, non quod iſte in ejus conditionem juravit, ſed quia

Lib. 2. de Civil. Imperium habet, & poteſtatem in ipſum. Egregiè Hornius inculcat imperitis *ſummitatem Imperii, nec ſuperiorem Principe dari licet conditiones fundamentales aliquos ponant terminos operationi civili & actui ſecundo.* Non jurat imperaturus, imperio ſuperioris adactus, ſed ſuâ ſponte approbans conſignatas conditiones. Conſentiunt eligentium & eligendi voluntates, non invicem imperant & parent. Hinc quartum arcanum ex eodem Hornio conjicio : *Integra Majeſtas manet in limitato Regno: & Rex verè imperans, ac ſummus eſt.*

37. Unica in hoc limitatio incidit : ſi Rex aut Princeps, quantumcunque abſolutus, totum ſuum Imperium populorumque innitum abalienare, & ex ſuâ poteſtate, cui populus unicè juravit, in extraneam poteſtatem conjicere geſtiat, tali caſu *actus iſte abalienationis redditur ex ſe nullus.* Quia, ut obſervat citatus Henniges, ejusmodi alienatio infert eodem momento Majeſtatis abdicationem ; qui enim totum dedit, nihil retinet ; undè populus liber redditur, cum deſinat tunc Rex ipſius eſſe, nec amplius teneatur ad ejus actiones civiles ſe paſſivè habere. Totum enim, quidquid Rex contra pacta & conventa agit, ſola ſalvat præſentia Majeſtatis, non quidem reſpectu DEI, (qui fractam fidem acerbè punit,) ſed reſpectu tantùm ſubditorum, quibus omninò ex præcepto divino obſequendum eſt ſuperioribus ; neque his inſultandum ab illis.

(o)

AR-

TRACTATUS HISTORICO-POLITICUS Sive OLEA PACIS.

PARS I.

Agit de jure Pacis transigendæ.

CAP. I.

Pax interest Reipublicæ.

1.

VIx potest victoriam malle, quam pacem animus, si hæc offeratur. Melior enim tutiorque est certa Pax, quam sperata victoria, ajebat ad Scipionem Annibal. Simul parta & sperata decora unius horæ fortuna evertere potest. Si pace omnia obtineri valent, quid opus victoriâ? Non tantùm ad id, quod datâ pace jam habere potes, si prælio vincas, gloriæ adjeceris, quantùm ademeris, si quid adversi eveniat. Pax oblata in tuâ; vi-

ctoria in DEI manu est. Profectò tantum pacis est bonum, ut illa mihi & Silio sit

Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est? Pax una triumphis
Innumeris potior.

2. Hâc agri, hâc urbes, hâc res privatæ, hâc Respublicæ, hâc Regna constituuntur & conservantur. Qui hanc negligit, is summam generis humani felicitatem non cognoscit. Totius enim felicitatis fructus, Pax est. Quid proderat dispersos hinc indè populos & gentes, hominesque, in unum colligere, invicemque conciliari, nisi sic congregatos & conciliatos pax in societate & communione civili contineret. Examina omnes status hominum cujuscunque conditionis, & certò comperies omnes naturali inclinatione ferri in pacem, è contrâ declinare bellum, quod, licet plus æquo in nostrâ Europâ videamus, id non tàm à naturâ promovetur, quam ab hujus depravatrice ambitione & æmulatione. Denique nil placitum sine pace DEO, qui non prius in hunc Mundum venit, quam hunc Pax alta teneret (Augusti videlicet temporibus) apud Isaiam vatem *Princeps pacis* vocatus, & figuratus in Melchisedech, qui Rex erat *Salem*, id est, ex Hebræâ in Latinam versione *Rex pacis*, ut vel ex hoc Principes norint, *nihil ad eorum munus spectare, quam Pacis studium.*

3. Ideò plerumque in capitulationibus jurant Reges & Principes, cum inaugurantur, *se pacem conservaturos & promoturos.* Quod Anno 1495. egregiè præstitit Maximilianus primus, ubi in comitiis Wormatiensibus *omnes diffiditationes circa tuentes possessiones* sustulit, & saluberrimam *Pacis publicæ constitutionem* sanxit, latâ in transgressores proscriptionis & Banni pœnâ. Nam si omnis communionis civilis præcipuus fermè finis habeatur quies & tranquillitas publica; an omnis ejusdem Rector & Princeps aliò aspirare audebit, quam ut inter subditos, Status, atque vicinos vera Pax vigeat & conservetur. In hoc Majestas Regnantis maximam famam concipit, extolliturque ab omnibus, si in æquitate pacis populum dirigat, & justitiæ

ſtitiæ vigore conſervet. Quod enim Principis majus Encomium eſſe poteſt : quam quietus populus, concors Senatus, & abundans Respublica. Hi dulces fructus pacis ſunt. Nunquam florebit res publica, quam ſeditionum aquilones flagellant. Vix ſtabit, armorum onere oppreſſa : ſemper egebit militum ſtipendiis emaciata : & tunc maximè dolebit, ubi non filii ſuos patres, ſed patres ſuos filios ſepelient. Denique bella gerant, qui qui velint Barbari, cultiores homines pacem exoptant. Interroga, ait D. Auguſtinus, omnes homines, vis pacem? uno ore reſpondebit tibi genus humanum : Opto, cupio, amo, volo. In pace enim vocavit nos DEUS, ait Apoſtolus ad Corinthos. Beata Regna & Imperia, quorum regnantes *pacifici* cognominantur, ſuoque altis radicibus animo infixum habeant *Pacis amorem.* Dulcis quidem poſt bellum eſt Pax, ſed utilior ante : optima, ſi ſine ſanguine ſubditorum acquiratur. Numa Pompilius ſecundus Rex Romanorum, totus prædeceſſori Romulo contrarius, ita amavit pacem, ut omnes ſuas leges eò direxerit ; propterea totâ illius Imperii ætate nec bellum illi erat cum externis, nec à vicinis inſidiæ, neque domi ſeditio ; ſed per quadraginta tres annos (res poſteà Romanis inſolita) templum Jani in teſtimonium continuæ pacis clauſum ſtabat. Tunc ſolida & prima jecit fundamenta Pompilius Cæſar, idemque Pontifex Reipublicæ Romanæ, in Dominam aliquando mundi evehendæ. Eo enim pacis publicæ flore florere cœpit ſapientia in ſenatu, juſtitia in roſtris. Religio in ſacris, innocentia apud Veſtales, boni mores in populo, induſtria in plebe, abundantia in foro, & quid non? omnes pacis fructus & felicitatis omnigenæ.

4. At, quæres : Undè tanta ſub Numâ Pompilio temporum malacia & quies? paucis dicam : *Magnas victorias magna & diuturna pax ſequi ſolet.* Anteceſſit bellator Romulus, qui tot populos vicerat, quot aggreſſus eſt : qui tot numeravit victorias, quot prælia : qui Romæ erexit ingentia trophæa ex hoſtium manubriis, qui neminem amplius vicinum habuit, quem metueret. Hæc prima cura ſit Principi, ut ex bello pacem

cem quærat, pacem det populis, pace bellorum onera sublevet, reducat commercia, leges, quæ inter arma siluere, reassumat, & rursus pacis tempore non tàm meditetur bella, quam se paret ad ea; sicque longævam firmabit suis pacem, quia nemo facilè paratos aggreditur: Nemo provocare, nemo audet offendere, quem intelligit expeditum, atque promptum ad vindicandum.

5. Sapiens Princeps quomodocunque in bellum paratus & expeditus *pacem tutam, civis bello etiam justo, præferat, ut ne magnæ quidem alicujus prosperitatis inexpectato eventu recusari debeat oblata.* Quamdiù enim licet in pace vivere, non decet Principem arma sumere: dixit Martianus Imperator. Sed huic planè oppositum asserit purpuratus Galliæ Minister in suo Ministerio fol. 60. imminui nempè Reipublicæ testimonium, ubi Principes otiosæ tantum paci vacant: & ego hujus mentis sum apud gentes bellicosas, vel seditiosas, quæ omninò foris exercitari debent, ne domi turbulentos motus conscisant adversus rem communem. Ingenia præfervida, vertiginosa, turbulenta, præcocia, rixosa, non nisi externâ disciplinâ cicurantur; sicut feræ in nemoribus & latibulis suis nunquam mitescunt, sed apud & inter homines. Helvetios quid conservat in continuâ jam trium sæculorum pace aliud, quam quod suos populos ad exteros Principes fermè quotannis ex patriâ dimittant cum germino commodo, tàm foris lucri captandi, quam damni domi vitandi. Exindè enim pensiones accipiunt ob subministratum in mercedem militem, & penes domestica pericula evitant. Et hoc ipsum est medium domesticæ conservandæ pacis, quod nequaquam Princeps negligat, si hoc interest Reipublicæ. Sic Romani bella non rarò traxêre, ut miles haberet, quod ageret, pernicioſissimo otio careret, juvenili ardore potius alibi erumpente, alioquin domi ad motus prono.

6. Pacem nullatenus turbat armorum exercitium, immò hoc conservat eam. Infirma pax quam non prompta arma sustentant. Omnis pacis felicitas, fori abundantia, integritas justitiæ,

ſtitiæ, commerciorum ſecuritas, incrementa ſtatus, Autoritas Regnantium ab armorum promtitudine dependent. Nunquam adduci poterat Magnus Auguſtus, ut in altiſſimâ etiam ſui ævi pace quadraginta legiones, quæ ſupra bis centum mille militum confecerant, exauctoraſſet; ſed hinc indè ad Barbaras gentes, ut iſtis frontem ſuam corruſcarent, ac in continuo militaris diſciplinæ exercitio manerent, nec intra Imperium quidpiam molirentur, ex Mæcenatis conſilio mittebat. Quantum Ludovico XIV. Autoritatis in totâ Europâ ex hoc acceſſit, quod poſt Neomagenſem pacificationem 170. millia militum in ſtipendiis retinuerit, peſſimo noſtro fato deinceps experti ſumus. Qui diuturnam deſiderat pacem, præparet continuo bellum. Pax promulgata commune excitat gaudium. Unde nobis indigna quæſtio eſt de pace, quæ otium eſt, vel in ſenſu conſiſtit; Talis nec pacis nomen meretur: ſed de eâ, quæ non minùs fortitudini, quam quieti innititur. Nulla quies Reipublicæ ſecura eſt, cui excubias non agunt leones.

7. Pacis oſores odit Deus, non enim eſt Deus Diſſenſionis, ſed pacis. Turpiter ſinit cadere ex fiduciâ virium recuſantes pacem. Aut enim planè vincuntur à contempto hoſte, aut in deteriore ſuâ fortunâ pacem inire coguntur. Expertus hoc malo ſuo fato Joannes Rex XVI. Franciæ. Is contraxerat ingentem exercitum, & Procerum atque Nobilium magnâ comitatus frequentiâ, approperabat ad Ligerim, cupidus Eduardum Valiæ Principem, qui Aquitaniam priùs populatus, jam Arvernos atque Bituriges diripiebat, cum præda intercipiendi, ulciſcendique injurias Franciæ factas. Sed Eduardus de conatu Regis certior factus, retraxit ſe, ſuumque exercitum collocavit ad Maupertuſium, ſitu valde opportuno, ac tuto ob circumjacentia dumeta. Ibi Principem aggreſſus Joannes præter multorum conſilium ſuadentium, potius circumcludendum hoſtem, impedienda, pabula & cibaria, de reliquo intra triduum famem finituram bellum. Quod cum nollet audire Rex, agmina admovit; at Eduardus pacem obtulit, & inſuper occurrit Cardinalis Petrocorius ab Inno-

centio VI. missus ad tractandas inter Gallos & Anglos pacem. Tunc Regem per Deum orat Legatus, ne pugnatum eat in eos, qui se velint dedere, nullo periculo suam victoriam fore: nihil Principi glorioſius esse, quam sine sanguine suorum, hostem vincere. Erat Regi indubitata victoria, ideo non solum pacis conditiones, alias gravissimas, quibus se subdebat Anglus, respuit, sed etiam officia Legati renuit, & consilium Pontificis sprevit, cum exprobratione, quasi Cardinalis propensior in Anglos esset, quam in Gallos. Ventum igitur ad manus, initumque prælium, quo primo impetu à sagittariis Angliæ, equitatus Regius inter dumeta confusus hinc inde se gyrabat, reliquumque exercitum ex fugâ turbabant equi sagittis saucii. Tunc erumpentes extra vallum Angli, quà equites, quà sagittarii, haud ægrè perturbantes, Gallorum acies aggressi per latera fundunt, atque disjiciunt: vicissent Angli protinus, nisi tanta multitudo Gallorum fuisset, ut cædi non potuerint. Igitur restaurato prælio rursus conseritur Francis nobilibus & Proceribus, sub oculos Regis generosissimè dimicantibus. Videns autem Eduardus Gallos propter dumeta omnes tantum pedibus certare, mutavit consilium, & circumducto, quà ex dumetis patebat, graviori equitatu, irruit in Francos, & deturbato vexillo Francorum Regio, cæsis decem illorum millibus, octingentis nobilibus, plurimis proceribus, ac ipso Joanne capto, victoriam obtinuit, qui ab osore pacis Rege pacem Franciæ opportunam & decoram, sibi plusquam gravem obtinere non voluit. Exinde magna clades consecuta est Regnum Galliæ, licet Eduardus biennales inducias post hanc victoriam illi concesserit. Contumaciâ non repetitur, fortuna melior, sed exasperatur. Quantum interfuisset Regno pacem suscipere oblatam cum restitutione totius prædæ, munimentorumque omnium, quæ Anglus occupaverat! Quam melius præcessisset Pax tantæ cladi iter obstructura! Quanto firmata, fuisset utilius ante prælii initium! Quot damnis & mortibus pace tempestivâ fuisset occursum! Hæc vero veriora sunt: sed plerumque serò sapiunt pacis osores, & tunc eos primò pœnitet, ubi præter singultus, aliud

mali remedium non vident. Ejusmodi perstringit graviter Hermocrates Syracusanus, ut refert Thucydides libro IV. Si quis existimat, se eventus in suâ potestate habere, quia causâ valet, aut viribus: videat, ne decipiatur, cum multa præter opinionem accidant. Multi enim, qui Justitiâ confisi injustos adorti sunt, & contrà alii, freti viribus, qui injusta se obtinere posse sperabant, illi non solum non depulerunt injurias, sed succubuerunt. Hi verò non solum alienis non sunt potiti, sed sua etiam amiserunt. Nam nec causa, nec virium excellentia habet exitus certos, sed plerumque vincit incerta fortuna, quæ sit fallacissima, tamen eò est utilis, quod timorem & prudentiam utrisque afferat.

8. Vix unquam tam feliciter bellum cessit, ut non illius pœniteat Principem: dummodo animo expendat reliquias belli, desolatam nempe patriam, derelicta prædia, dirutas arces, æquata solo mœnia, orphanos liberos, prole orbos patres, relictas viduas, raram nobilitatem, arva deserta, ærarium exhaustum. Sit quantumcunque magna victoria, & plausibilis triumphus: comparatione tantorum incommodorum iste exiguus, illa nulla est. Planctu dignæ sunt ejusmodi victoriæ, præsertim de Christianis, de vicinis, de concivibus obtentæ, ubi intereunte victo, etiam Victor flere debet. Nemo est, qui expertus bellum, pacem ambabus, ut ajunt, ulnis, etiamsi aliquid in eâ non sit semper omninò acceptabile, non amplectatur: majus enim naturâ abhorremus malum, & ejus collatione, minus malum, nobis quandoque, esse videtur. Artaxerxes in epistolâ scriptâ centum & viginti Ducibus provinciarum sibi subditis, inter cætera ait: *Providendum esse paci.* Adeò pax interest Reipublicæ, ut omnis ejus dissuasor pro publico hoste habendus sit.

CAP. II.

Qui pacem transigere possunt, & quando?

1.

Tholosanus de Reg. l. 11.

SUscipiendi belli pacisque componendæ potestas, penes unum Principem est, id est, aut Imperatorem, Regem, Dominumque absolutum. In Republicâ optimatum, penes ipsos optimates: in populari, penes populum: in mixtâ, penes Senatum & populum. Non autem possunt pacem transigere subditi Principes, quantumcunque potentes; neque civitates, neque Regni Dynastæ, quales sunt Comites & Barones, & nemo alius, qui superiorem recognoscit. Quia pacem constituere est, Jus Majestatis incommunicabile, nisi per delegationem. Neque hoc jure aliud majus est; ex pace enim benè vel malè transactâ omnia Reipublicæ emolumenta & detrimenta dependent. *Pacis negotium est summum arcanum Status.* Quamdiù Romana Respublica penes populum fuit, hoc inconsultò, aut nolente circa pacem nihil actum. Ita palàm confessus est Scurius Posthumus Consul, inculpatus de pace cum Samnitibus absque scitu populi conclusâ. Neque ego inficias eo, inquiebat ille, tam sponsiones, quam fœdera sancta esse, apud eos homines, apud quos juxta omnes Religiones fides humana colitur: *Sed injussu populi nego quidpiam sanciri posse, quod populum teneat.* Ubi majestas residet, ibi potestas pacis. Hæc quidem in manibus est Principum, verum solummodo instrumentaliter: cum omne datum optimum desursum proficiscatur à Patre luminum, & *Pax speciale donum sit Dei*, quod orationis publicæ præsidio multi Pontifices, desperatâ quasi jam omni spe pacis, obtinuerunt. Irriti sunt conatus hominum, nisi à Deo secundentur. Contumaciam Principum, quæ viribus utrinque pollet, & æmulatione, ambitioneque nititur, quis alius flectet, quam ille, in cujus manu sunt corda Regum?

2. Porro tempus transigendæ pacis commodissimum est sub Clypeo, id est, quando utrique vires pares sunt, sibique uterque con-

confidit aleam jacere. Fit enim pax, ait Cardinalis Richelius, eo rerum momento minùs operosè, cum uterque armatâ dextra loquitur, & æquas vires in castris ostentat. Ubi vero alteruter aliquo compendio prævalet, rigidior fuerit, ad iniquiora petenda, & extorquenda, id quod Cæsar in historiâ de bello Civili annotatum voluit. Denique pax armata potior est victoriâ confectâ. Ægerrimè cedit, qui feliciter arma movere cœpit. Sanè ferocior æmulus est, cujus Adversarius cœpit inclinare fortuna. Necessitas etiam adstringit Principes, ut velint, nolint, pacem inire debeant: Ubi enim utrinque vires deficiunt, pax est per se. Sed male agunt illi, qui tantam necessitatem expectant, cum tantâ desolatione subditorum, & sui discrimine, ne cuicunque tertio in prædam cadant.

3. Quod si vero unius Principis vires tantoperè labefactæ fuerint, ut non amplius patiantur belli aleam subire: tunc per tertium, priusquam hostis nosse possit, vel omnis spes evadendi abeat, celato suarum virium inprimis defectu de pace transigendâ. Belli enim calamitatum tædium justus orator est, qui etiam potenti Principi persuadet pacis suscipiendæ consilia. Amicorum & vicinorum hoc primum munus est, deinde Neutralium, postea cujuscunque, sed præsertim Patris universalis, Maximi videlicet Pontificis. Reges Franciæ sæpe diffidentes Rhætos cum Helvetiis & inter se Helvetios conciliarunt, tum propter necessitudinis & amicitiæ jura, tum etiam, ne sociorum auxiliis interim carere cogerentur. Athenienses, qui cum Rhodios ac Demetrium, gravi diuturnoque bello fatigatos desiderio pacis, quam petere puduit, teneri comperissent, Legatos de pace utrosque miserunt, ac summâ cum eorum laude, ut uterque belligerantium arma poneret, seque paci accommodaret, obtinuerunt. Plurimum facit ad gloriam cujusque Imperantis tangi aliorum incommodis in spem firmandæ pacis. Sic in Ludovicum XI. Reges Castellæ & Arragoniæ veluti arbitrum consensêre, polliciti, eum se ad Franciæ limites conventuros. Quâ de causâ, ut scribit Historicus Franciæ, Rex Bajonnam se contulit, & Regibus per Lega-

tos convenientibus, pacem inter eos concluſit, ut Caſtellanus è Cataloniâ militem omnem educeret ; ipſi Arragonius pro belli ſumptibus ingentem auri ſummam rependeret, traderetque Eſtellam Navarræ urbem poſſidendam. Sic utrinque à difficili bello abſceſſum.

4 Quod aliquando bella inter Principes oriantur rurſumque diſſolvantur, omnes novimus. Nos vero pacis deſiderio, ſi non nunc, at aliquando tenebimur. Cur igitur potius tempus illud expectandum, quo vexati, belloque defeſſi, pacem concupiſcamus, non jam integri, & nulla clade oppreſſi eam amplectamur? Neque ideo eos vituperandos cenſeo, qui aliquando pecuniâ pacem emunt, maluntque partem ærarii integris viribus, quam cum clade & deſolatione Status totum profundere. Eduardus Rex Angliæ rebus domi firmatis in Galliam trajecerat, miſſo ad Ludovicum XI. Feciali, qui magna verborum jactantiâ, Regnum Franciæ, uti avitum patrimonium, repeteret, Proceresque ſub Ludovici jugo gementes, priſtinæ libertati aſſereret. Rex vero hoſtis depellendi novam rationem arripuit, & quia non armis & milite quibat, auro & blandimentis conatus eſt, exiſtimans, illas victorias militum, has Regum eſſe. Igitur Fecialem amicè exceptum, multis inſtruit, quibus Anglum mitiget, adjunctis muneribus, auro & ſerico: Quod Fecialis egregriè præſtitit, ut Eduardus colloquium admitteret, quo utrinque delegati ad Ambianum, utroque ſpectante exercitu, de pace utrinque firmandâ agerent. Inde tantum perfecit, ut induciæ ſint in novem annos contractæ magna quidem pecuniâ, ſed levi pretio pro gravitate, ærario nunquam utilius exhauſto, quam ubi pax Regno redimitur. Sic refuſis itineris ſumptibus, & pollicitâ in novem annos penſione periculoſo hoſpite liberata fuit Francia. Multas prius pertulit Anglorum expeditiones Francia, ſed hæc erat maxima & multis fœderatis innexa: nulla tamen (licet hæc magno ære empta) quæ minoris conſtitiſſet. Nullum aurum & argentum pretioſius pace: Dulce bellum tantum inexpertis eſt.

5. Matri-

5. Matrimonia Principum plerumque faciunt & ſtabiliunt pacem. Hymenæi faces non tam ſuccendunt bellum, quam illuſtrant pacem, quæ connubiorum occaſione ſæpènumerò ſancitur. Erat inter coronas Hiſpaniæ & Franciæ priori ſæculo per viginti quinque integros annos acerbum & ſumptuoſum bellum, quod quaſi totius Europæ Principes involvebat, & invicem collidebat. Magnam quidem operam adhibuit ſummus Pontifex Alexander VII. per Nuntios ſuos, ut ex conventione Regum Franciæ & Hiſpaniæ Ludovici XIV. & Philippi IV. rurſus pax rediret Europæ, tot è cœlo exorata precibus, totque inſtitutis Monaſterii in Franconiâ congreſſibus accelerata: Sed diffidentia Cardinalis Mazarini Primi Franciæ Miniſtri ex antipathiâ quâdam erga Papam ſemper obſtitit pio conatui, usque dum adlaborante Pimentellio cor Ludovici accenderit venuſtas Regiæ ſponſæ, jamjam ab Hiſpaniâ pacem allaturæ, cum magno Franciæ emolumento. Ex tunc graviſſimum bellum finitum, & ex inopinato Pax refulſit Europæ, tunc non minus optatiſſima, quam expeditiſſima. Conventus celebratus eſt in inſula Conferentiæ ſupra flumen Bidaſoa, (quod jam alibi memoratum eſt) intervenientibus utriusque Coronæ Miniſtris, Cardinali Mazarino, Don Ludovico de Haros, Pimentello & *Lionne*, qui in vigiti quatuor Conferentiis magnum hoc opus in articulos digeſſerunt, & (quod fortiſſimum ad ſpeciem vinculum erat) matrimonio Regis Ludovici cum Regiâ Hiſpaniarum Infante *Pacem* ſtabilierunt Anno 1659. ſic Eleonora Auſtria Franciſco Galliarum Regi nuptum data, duarum Heroidum apud Cameracenſes interventu pacis ſtabilimentum, affinitatis vinculo colligavit. Germana Ludovici XII. Gallorum Regis ex ſorore nepos connubio Fedinandi Hiſpaniarum Regis pacem firmavit. Joanna Eduardi III. Regis Angliæ Davidi Scotiæ Regi conjuncta, ter decennale bellum unâ ſponſaliorum horâ finivit. Adeo jam toties Mars cum Hymenæo, & Bellona Lucinæ cedere debuit.

6. Quemadmodum vero bellum inteſtinum pejus eſt bello externo, ita Principi tanto magis diligentiusque incumbit, *Pacem* inter-

internam ſtabilire, id eſt, *â civibus ſuis nec diffidere, nec apud eos odio haberi.* Multum quidem deſuper in principio ſui Principatus, omnium odio expoſiti, laborabat Auguſtus Cæſar, & ſolicitudine exagitabatur continuâ ; neque tamen inveniebat modum ipſe, nec Mæcenas, nec Agrippa, fideles ejus Miniſtri. At ſapientiſſima fœmina Livia, Auguſti Auguſta, viro conſilium impertiit, quo aliud non melius, nec dignius Auguſto. Sic enim inquiebat ad virum, ut refert Dion in vitâ Auguſti, mirum non eſt, à multis tibi parari inſidias, partim, quod alienum non ſit ab humanâ conditione, partim, quod in tanto Imperio multa facis, ex quibus par eſt, plerosque moleſtiam accipere. Princeps enim non ſolum non poteſt omnibus placere, ſed etiam, quantumvis rectè imperet, eum multùm inviſum eſſe, neceſſe eſt. Neque enim tam multi homines juſti ſunt, quam ii, qui injuriam facere volunt, quorum cupiditates expleri non poſſunt. Deinde mutatio iſta Status Reipublicæ in unius Principatum efficit, ut ne ab Amicis quidem etiam ſatis tutus ſit. Ego vero tibi conſilium dabo, quod quamvis muliebre ſit, rogo, ut patienter audias.

Proclives in malum ſeu naturæ, ſeu voluntates hominum, facilius humanitate & benevolentiâ inflecti & corrigi poſſe videntur, quam ſævitiâ. Etenim, qui veniam dant, non ſolum cari ſunt iis, quibus ſe miſericordes præbuerunt, ſed & apud cæteros omnes, ſummo in honore exiſtunt. Homines vero iracundi & inexorabiles, non tantum odio ſunt iis, à quibus timentur, ſed etiam reliquis omnibus ſunt permoleſti : unde fit, ut iis plerumque parent inſidias, ne prius ipſi pereant. Annon videas Medicos, quam rarò veniant ad urendum & ſecandum, ne morbos efficiant graviores, & ut eos mitibus medicamentis curent atque molliant. Nec vero inter morbos corporum & has animi perturbationes quidquam intereſt, ut ob eam cauſam conſimili medicinâ egeant.

Mitia vero animorum remedia placidam & lenem Principis orationem, clementiam & miſericordiam voco ; non promiſcuam eam quidem in omnes ; Nam temerarios moleſtos & ſceleratos, poſtre-

poſtremo omnes, quorum adeò flagitioſa vita eſt, ut ſanari nequeant, tollendos cenſeo, non ſecus, quam eas partes corporis, quibus medicina adhiberi non poteſt: cæteros vero, qui propter adoleſcentiam, aut imprudentiam, aut ignorantiam aliove caſu nolentes, aut inviti deliquerunt, eos arbitror eſſe admonendos.

Præterea Principem non ſolum nihil facere per injuriam, ſed nec omnino facere videri oportet, neque alio pacto poteſt hominum animos ad benevolentiam allicere, quam ſi nemini volens invitusve injuriam faciat. Etſi enim, ut alteram metuat, cogi aliquis poteſt, tamen, ut amet, id ei perſuaderi neceſſe eſt. Quamobrem te, Auguſte, adhortor, atque moneo, ut quos tibi inimicos exiſtimas eſſe, eos clementia & benignitate devincias, quippe ita & iſti conſilium mutabunt, & cæteros quoque meliores & benevolentiores efficient. Ita Auguſta Livia. Hâc oratione, ait Dion, permotus Auguſtus, initio factâ à Cn. Cornelio, qui Pompeji Magni ex filia nepos erat, cum Conſulem deſignavit: cæterorumque, quos ſuſpectos habebat lenitate & benevolentiâ adeò mollit, ut ex inimiciſſimis amiciſſimos faceret, pacemque firmam & diuturnam ſupra omnes alios Principes priores & ſequentes majorem conſtantioremque habuerit.

7. Ad illud etiam advertat Princeps; ſi plures hoſtes habeat, pluribusque, quibus par non eſt, Bellis ſe implicitum ſentiat; ut quamprimum pacis cogitationes aſſumat, eamque dextrè non uno vel duobus paciſcatur, ut unum vincat, cum tribus diſtineri difficile ſit. Imitare Rudolphum Habſpurgicum, qui ad ſuos dicere ſolitus: *Cui contentiones tres: duæ componendæ ſint, ut ſuper tertiâ triumphet.* Id Exemplo ſuo comprobavit: Erant illi plures cum vicinis hoſtilitates, ut tunc in Imperio ferme ſolitum ob diffidationes, quæ licebant. Unam autem metuebat, quam habuit cum Abbate ad S. Gallum, Principe tunc plusquam potente. Igitur, ut illo liberaretur, rem ita inſtruit: cum prandaret Præſul, ex inopinato intrat triclinium comes Rudolphus (nondum erat Cæſar) & menſæ aſſidet, nec invitatus, nec expectatus. Eſt & bibit, ut hoſpes, cum Abbate, facetus & comis,

ut erat pro more. Finem quasi impatienter tantæ ab hoste confidentiæ expectabat Præsul. Tunc ab epulis surgens Rudolphus, paucis locutus est Abbati, pacemque transegit insperatam, sed sinceram, eâ felicitate, ut ex hoste sibi fœderatum deinceps fecerit Abbatem. Norunt sapientes Principes in medio etiam armorum diluvio pacis oleam decerpere. Multa objecta distrahunt visum; & multa bella enervant Principem. Tubæ & tympana sæpè ad planctum vocant, non semper ad triumphum. Vix tamen mirum, si inexperti bellorum, male de pace judicant: quia sunt quædam, quæ quantum mali in se contineant, non intelliguntur, nisi facto periculo. Multæ adhuc aliæ sunt rationes à Principibus sanciendæ pacis, quas successive & deinceps insinuabimus.

CAP. III.

Per quos transigendæ pacificationes.

1.

TRansactores Pacis, felices & suspirati illi Alcyones sunt, qui tempestate belli quassatam publicam quietem restituunt, & post armorum tonitrua præsagiunt, redituram rursus pacis serenitatem. Plejades influxu suo, ait Plinius, fœcundant oleam, ut fructus ferat: pacis Caduceatores sidera hæc sunt, quæ suâ sapientiâ, dexteritate, & providentiâ belli brumâ confectam pacis oleam restaurant, jacentem erigunt, tardantem promovent, suspiratam constituunt; Regnis undique felicitatem, quietem Regnantibus, subditis abundantiam, campis & arvis fœcunditatem, vitam ipsam Mundo annuntiantes. Sed quales hi sunt, aut esse debeant? dabo in epitome.

2. Ab hoc officio tractandæ pacis non excludo debiliorem etiam sexum. Pausanias enim in Eliacis libro 1. narrat; sexdecim matronas è totidem Elidis urbibus pacem inter Elæos & Pi-

Piſæos ſummâ dexteritate conciliaſſe. Plusquam notum eſt, Sabinas feminas Pacem tuliſſe Romanis, eâque magis profuiſſe illis, quia indè plus accreverunt, quam victoriâ, quâ vel minui, vel frangi potuiſſent. Exindè enim Romani conjuncti Sabinis prima jecêre fundamenta futuri Imperii. Plutarchus de virtutibus mulierum refert, cum Galli ante Alpium tranſitum ex inteſtinâ ſeditione in bellum exarſiſſent, feminas ſe in medias acies intuliſſe, totamque controverſiam tàm æquabili arbitrio inter arma diremiſſe, ut in ſummis poſteà de pace ac bello Reipublicæ conſiliis uxores Gallorum adhibitæ ſemper fuerint. Perſeverat etiamnum in Galliâ uſus iſte, ubi in rebus Statûs multum habent, quod Illuſtres Feminæ dicant. An gentis more vel ſexus amore? ſuperſedeo. Intereà veritate hiſtoricâ compertum eſt, Veturiam & Volumniam Patriæ tuliſſe pacem, ubi hæc filium, illa Coriolanum ab oppugnatione Urbis Romæ avertit: Theodelinda Longobardos ad pacem cum Romanis Imperatoribus ſanciendam prudentia ſuâ adduxit. Eleonoræ Reginæ operâ duo Reges Alphonſi Caſtiliæ & Legionis in mutuæ pacis amplexum redière. Maria Henrici VIII. Anglorum Regis Soror Ludovicum XII. cum fratre pacavit. Henricus Galliæ Rex poſt bis una anno acceptam cladem, captamque fermè ab Hiſpanis omnem Franciæ nobilitatem nulli debet pacem, quam fœminæ nimirum Chriſtiernæ Lotharingiæ Duciſſæ, quæ inter Philip. & Henricum media, illius conſobrina, hujus affinis, deſperatam prius, poſteà omnibus gratam pacem confecit. Quid plura?

Femina magna poteſt animos lenire feroces,
Armataſque virûm conciliare manus.

3. Denique à munere conficiendæ pacis nullum Statum ſacrum & profanum, Religioſum & Sæcularem excipio, quia in omni Statu comperio fuiſſe viros, qui inſtar Anglorum, id eſt, nuntiorum pacis (nam Angelos venit à Græco Ἄγγελος, quod idem ac nuntius eſt,) ſæpè præter opinionem modicâ interpellatione tranſegerunt inter Reges inexpectatas pacificationes, quas fortè in longum & ingentibus ſumtibus traxiſſent Statiſtæ.

Neque enim cogitandum, ulli ſtatui adhærere vitia & virtutes, ſed perſonæ Statûs, quæ conditionem ſuam, aut in bonum, aut in malum impendit. In omni Statu reperiuntur viri, quorum & fides cognita & ingenia validiſſima ſunt : quos melior natura, mens, doctrina, experientia commendant. Sanè Pontifex præter ſummam ſacrorum curam etiam *Patris* univerſalis apud Europæas Potentias auctoritatem meruit, ut ejus ſive interpoſitionem, ſive arbitrium pacis, Reges & Principes non ægrè ferant, niſi ille in partes abeat. Et profecto à Sede Apoſtolicæ jam plurimæ (non Noëticæ, ſed Pontificiæ columbæ,) *oleam pacis tulêre* in Provincias & Regna, quæ jamjam ab armorum & calamitatum diluvio ſorbebantur. Nulla fermè per Europam Orthodoxam pacificatio extitit, ut eò ſuum conatum non contuliſſet ſæratiſſima hæc Sedes. Ubi Carolo V. Gallorum Regi cum Rege Navarræ & Richardo Regi Anglorum cum Philippo Auguſto graviſſima bella interceſſêre ad Romanum Pontificem, ut teſtis eſt Bodinus, quaſi *ad arbitrum bonorarium* belli ſummam detulerunt : quod quidem ab omnibus Chriſtianis Principibus fieri conſultum eſt. Et conſtat quamplurimis exemplis, ſacros Pontifices magna inter Chriſtianos Principes agitata bella velut *Arbitros* feliciter compoſuiſſe, ſuoque labore pacem dediſſe Regnis & populis optatiſſimam. Pontificis verò purpurati, non ſolum illi Româ emiſſi, ſed etiam hinc indè in Regnis degentes & coronarum Miniſtri, quales erant Richelius Mazarinus & alii, plerumque interveniunt ejusmodi congreſſibus pacis tractandæ, & utiliter quidem, ſi tamen monſtrant zelum, quem ſcientia DEI regit, non tantùm ratio Status, & difficultas uſurpata reddendi. Recte mihi dixiſſe videtur ille : *Quod nemo ſit è ſacro illo purpuratorum cætu, qui non prodeſſe frequenter, obeſſe etiam non raro poſſit.*

4. Per abdicatos etiam Mundo viros Religioſos & Monachos ſalubriter confectæ, ſæpenumero pacificationes inter diſſidentes Reges & Principes. Et reverà utiliter (quia ſine ſtrepitu & ſumptibus perficiunt ſimilia,) eorum operâ utuntur Regnantes,

tes, niſi hi monaſticæ vitæ cultores, diverſisque à Mundo principiis imbuti, fortaſſis velint Status negotia ſecundùm omnes apices virtutis exigere, & in iis angi, quæ contra DEUM non ſunt, licet præter virtutem eſſe videantur. Nihil hîc operabitur ſive Eliæ Spiritus, ſive Paphnutii ſimplicitas.

5. Cordatos enim verò oportet eſſe transactores pacis, viros ſedatos, ſolidè juſtos, cautos, obtectos, veraces, providos & de rebus tranſigendis plenè inſtructos, qui verſare ſciunt animos tranſigentium, & in ſuum uſum aptare: non oleum, ſed gelidam præteritis offenſionibus affundere: damna ex æquo compenſare: prætenſiones dexterè temperare: futuris ſagaciter proſpicere: objecta refellere: pericula prævidere, declinare, avertere. Hæc & ſimilia, quæ munus tranſigendæ pacis exigit, non facilè reperiuntur, niſi in viris apprimè politicis, Miniſtris Principum, & res Statûs ſolidè callentibus. Quis enim in morbo gravi, niſi expertum Medicum velit? quis inter Oceani fluctus imperitum Navarchum optet: Quis in Status tanto negotio, qualis Pax eſt, obvium quemque arripiet negotiatorem? Nolo ardentes illos, qui exaſperant animos conciliandorum: nolo Martiales; quibus omnis ex armis quæſtus, & ſterilior bello pax eſt. Non etiam in rebus Statûs Tyrones, ut errando diſcant in tanto negotio: non moroſos & cenſores, quos averſantur ſocii, quorumque conſuetudinem damnant: non mordaces, quia negotium pacis, majus eſt, quam ut verborum petulantiæ ſubjacent. Lædit, ludit, illudit tria verba ſunt, quæ omne negotium diſtrahunt. Deſunt, & defuere, & deerunt ſemper in hoc mundo viri alienis controverſiis componendis, idonei. Quotus quisque eſt, qui incitato gradu ad ſui ruinam contenderet, ſi non eſſent, qui præcipitia diſſuaderent, ait Virgilius Malvecius in vitâ Romuli. Breviter: plures Pacis negotio deprehenſi impares, quam pares inventi: Indè fit, quam non ſemper ex utilitate Reipublicæ pacificationes tranſigantur.

6. Et certè pacis Tranſactori nullus non movendus lapis, ut pacem ex condigno conficiat, quam intendit. Calleat ſingu-

larum difficultatum, & circumſtantiarum apices omnes, quibus negotium ſuum trahi, vel hinc torqueri poſſet. Provideat, ut pacis articuli poſſibiles, & executioni mandari queant, nec ubi in patriæ gentisque genium impingatur. Pax enim impoſſibilis fruſtranea eſt.

7. In dubioſa redactus pacis negotiator, quantum licebit, ſe meliori horæ aut occaſioni ſervet : ex parvâ quippe morâ reſultant ſæpè commoda magna. Ex præcipitio nunquam concludat : cunctetur potius prudentius, quam audentius tentet vix exequenda. Maturo judicio deliberandum de pace, quæ præcipitata, calamitoſa foret. Tunc verò præſtabit celeritas, cum tu aliorum fines antevertere, & obruere valebis. Quantocius peragendum eſt, quod, niſi peractum, alios pœnitere poſſet. Centumoculus Argus habebat caput proviſum : tot ferme exigit vera Pax in Pacificatore prævisiones, ne illa practicata caliget. Sub ſpecie pacis tranſigendæ ſpeculantur quidam, & inſidias moliuntur : tunc ſanè dolum dolo elidere, & anſam præripere licebit. Satius eſt nullam concludere, quam fictam & inſidioſam pacem. Pace multi plus poſſent, quam armis. Angli ſemper bello vincerunt Gallos ; in pacificationibus autem communiter ſuccubuerunt. Aſtus interdum prævalet Marti, & Vulpina pellis felicior Leoninâ. Simulata pax nulla pax, licet ejus actores in tranſigendo diſſimulare quædam, ut majora obtineant, omnino queant. Quia ſicut ſimulatio ad mendacii, ita diſſimulatio ad prudentiæ partes refertur. Veracitas contrahentium ultrò citròque firmat pacem : hujus articuli ſimulati aut falſi ex quacunque circumventione eſſe non debent, licet in tractando veritas diſſimulari aut celari poſſit. Damna ex bello cauſata, licet conſtent, in dubium tamen trahi, aut quocunque colore excuſari ; alioque in rem fuco obduci valebunt. Nemo enim tenetur ſe in accidentalibus detegere, aut adverſarii quemvis obicem affirmare, dummodo, quod concluſum eſt, veritate ultrò citròque nitatur. Quemadmodum fallere turpe, ita neſcire ſe celare ſtupidum. Secretum ſuum ſibi habeat, quisquis de

rebus

rebus Statûs agit. Caveat, ne ſua quemque credulitas decipiat, non aliena aſtutia, hæc quippe ſine illâ, nec quidquam proficiet.

8. Deindè, qui ad tractandam pacem mittitur, in principio *oſtendat utilitatem ejus.* Ubi enim vincit *ratio commodi* in materiâ Statûs. Hæc argumentorum omnium Achilles eſt. Infirma planè jura ſanguinis, quantumcunque excellant, niſi ea utilitatis ratio commendet. Offenſionum mutuarum planè non meminerit : amicitiæ officio ultrò deferat : clam jactet vires ſuas, amicos, fœdera : nec ſubmiſſis valdè precibus, nec anxiâ adulatione urgeat pacem, nec hanc pollicentibus, facilè credat. Sæpè enim ſub promiſſione pacis ſublatet meditatio belli. Solitum eſt pacis lacticinium offerre, ut dulci ſomno metus belli excutiatur hoſti. Subticeat calamitates domeſticas, quæ nihil movent, ſed audaciores reddant adverſarios ; nec ſe exhibeat tàm rogaturum, quam rogandum. Denique longum eſſet omnia, quæ ad pacificationis munus pertinent, ſcripto extendere ; facilè tamen hinc judices, quantum Reipublicæ expediat, virum talem nanciſci, qui ad arduum hoc negotium ſanciendæ pacis in humeros ſuos aſſumendum ſufficiens eſt.

CAP. IV.

Quot ſpecies Pacis.

1.

MUltiplex eſt *Pax*, ex tempore & modo magis, quam è re ipsâ. Alia eſt particularis, quæ ſingillatim ab uno vel altero fœderato cum hoſte contrahitur excluſis aliis : Alia univerſalis & ſolemnis, quæ omnes fœderatos comprehendit, & ſolemniter tractatur per utrimque Legatos, vel Mediatores Principes. Illa apud Politicos imperfecta, hæc perfecta habetur.

2. Rurſus alia eſt perpetua, alia temporanea. Solemnis

pax

pax ordinariè in perpetuum ſancitur, ut Pyrenæa, Oſnabrugenſis, &c. Temporanea non tàm pacis, quam Induciarum vel Amniſtiæ nomine compellatur, rectiùs *Ferias belli* dixeris, quæ non tàm bellum finiunt, quam differunt. Omnes Induciæ ad tempus ſunt : longum vel breve. Longiſſimum dedit Romulus Vejentibus in centum videlicet annos, ut refert Livius. Thucydides etiam meminit, pacem per annos quinquaginta ſtabilem & inviolatam fuiſſe inter Athenienſes & Lacedæmonios atque utrorumque ſocios ex Suaſu Niciæ contractam. Amniſtia Pragenſis inter Ferdinandum II. & Electorem Saxoniæ cæterosque S. Imperii Status, quâ tandem finis litibus imponi, ſtabilisque concordia, ac vera animorum conjunctio inter eosdem conſtitui queat, ad quadraginta annos protracta fuit. Brevior erat Cameracenſis inter Henricum Galliæ, & Philippum II. Hiſpaniæ Reges Anno 1556. ad quinque ſolùm annos pacta, & tamen primo ſtatim rupta. Anno 1509. pactæ fuerunt ſolemnes Induciæ inter Albertum & Iſabellam Auſtriacos, ac Ordines fœderatorum in Belgio, ad duos & decem annos, intercedentibus per Legatos ſuos Galliæ & Angliæ Regibus, pro tempore cruentum illud & inteſtinum bellum nonnihil quievit, quod alias nobiliſſimas illas Belgii Provincias per quadraginta annos depaſtum fuerat, proſcriptâ pietate & fugatâ propè omni Religione. Et quamvis aliquorum inſolentia multa indies adverſus induciarum pacta contraveniret, omnemque anſam ea violandi quæreret. Nihilominus hæc tantâ fidei firmitate ſervanda cenſuerunt Archi-Duces, ut ne ad latum unguem ab iis abſcendendum ex quâcunque commodi ſpecie exiſtimaverint. Sciebant etenim per Inducias parari pacem, & ex obſervatâ Induciarum fide, conciliari animos diſſidentium, ut tandem aliquando liceret dexteras jungi dexteris, armorumque vim omnem deponi. Votum hoc erat Optimorum Principum ; ſed Hæreſis, quæ tutiùs inter arma latrat, & plus ex Marte, quam ex pace, Eccleſiæ ſurripit, fortiſſimè obſtitit piæ menti. Tunc plerumque Induciis opus eſt, cum utrobique vires partium, aut ex longitudine, aut ex acerbita-

bitate belli, aut ex utrâque causâ, ut in Belgio visum, attritæ sunt. Sive enim desperatis rebus exindè anhelant pacem, sive sub inani hujus obtinendæ imagine ad restaurandum bellum tempus lucrari satagunt, quod fœderati Belgæ egerunt. Multos, quos frangere non potuit armorum impetus, pacis induciæ vicêre. Non hæ dicendæ sunt pacis induciæ, *sed servitutis pactiones*. Hâc ratione Pompejum, Antonium & Lepidum Augustus superavit. Ejusmodi falsariâ pacis commoditate Roma sibi Reges liberrimos obnoxios reddidit.

3. Induciæ hosti dant spatium ad colligendas vires, quibus fortior reddit in campum. Cognatæ induciis Insidiæ sunt: Multa priore sæculo per pacis inducias in sacro Imperio hostiliter fieri vidimus: notæ sunt in Germaniâ Gallorum Tyrannides, Urbiumque aversarum rudera, hominum diræ cædes, sacrorumque plusquam impiæ profanationes. Ac si aliud non esset; hoc tamen certum, quod induciarum tempore licentius agitentur consilia, liberius contrahantur auxilia, facilius solvantur fœdera, tutius explorentur hostis adversantis studia, ac citiùs in deside exercitu concitentur dissidia. Quantos bello invictos confecerunt induciæ! Omne tempus, nec pace lætum, nec bello exercitum, per extremam ignaviam perditum est. Dubiam inter fluctus impelli cymbam, quis extra discrimen manifestum esse neget? Ubi & tumor paci obstat, & timor bello, causam agunt insidiæ. Tantundem fermè est pendere, ac ruere. Ideò non semper cum hostibus, etiam petentibus, ineundæ induciæ. Nec obstat inducias medium esse ad pacem, quam omne bellum, si pro fine non habeat, injustum est. Quippe in indulgendis induciis sagaciter considerandum, quid ex re hostium & voto sit, quis eorundem finis, an ex lassitudine respiratio, an machinatio, an auxiliorum præstolatio, & verò vel maximè quid indulgenti inducias expediat? Decorum quidem Principi est, cum victoriam propè in manibus habeat, pacem non abnuere, ut sciant omnes, se & suscipere justè bella & finire. Sed aliud est Pax, aliud Induciæ. Ubi præsumptio est non pacem, sed dila-

tionem armorum, & ad reſtaurandas vires occaſionem ab hoſte quæri, inſanum foret perverſitati concedere, tempus, quo Pax nequaquam, ſed bellum propagatur. Quod hoſti concedis in emolumentum belli, id tibi demis in detrimentum victoriæ. Illi demum miſericordiam deberi cenſet D. Auguſtinus, *in quo pacis perturbatio amplius non timeatur.* An autem machinans & reſtaurans bellum, pacem meditetur? tu judica: & miſericordiam non habe cum hypocritâ.

4. Et profecto per Inducias fortunæ curſum ſiſtere, mihi idem eſt, ac ſe deſerere, & malle, tot ſumptus belli deperdere, quam eorundem fructum experiri, beneficium hoſti datum, tibi reſultabit in maleficium. Iidem ferme belli & induciarum ſumptus ſunt, quia exercitus retineri, præſidia munimentorum firmari debent: ſpes enim per inducias pacis inducendæ licet ſit, non tamen de certitudine ſanciendæ conſtat: præſtat igitur nobis bellum proſequi, quam inducias ferre, nullum exinde majus acceptari detrimentum quoad ſumptus & incommoda belli. Qui ſua aliunde tueri debet, ad quid illi opus induciis? aut bellum, aut pax tutiora ſunt. Induciæ longæ invehunt torporem & alia vitia in exercitum, ſolvunt, diſſolvunt diſciplinam militarem, corrumpunt facilè fidem, ex hinc illinc commeandi licentiâ detegunt arcana conſilia, Urbium & Arcium tutelam labefactant, & quod peſſimum, inducunt illam ſemper periculoſam ſecuritatem, cui ſæpius malo ſuo fato, indormiunt Principes, & tandem experiuntur, *quam in multis eſſe meliorem bello pacem, tàm in hoc bellum eſſe melius inducis, quod iſtæ ſegnes & minùs cautos reddant homines, quam illud.*

5. Non ideò tamen inducias improbo, ſed inter Status arcana, ſi quispiam illis rectè uti novit, eas jure aſſero. Sunt enim induciæ via Regia, Principes veluti manuducens, ad *pacem univerſalem, juſtam & in longum duraturam.* Neceſſarias eſſe, ajo, inducias, quæ inter partes, utrinque viribus fractas, ſuſcipiuntur. Neceſſitas quippe ultro citroque, optimus Mediator eſt pacis. Vix ſuſpectas habeo inducias illas, quas inter æquales, æquis

inte-

integrisque utriusque viribus vicini ſuadent. Præſtat enim prius jure & amicitiâ, quam vi & hoſtilitate experiri. Nullæ planè induciæ admiſſæ, licet oblatæ, juri gentium & humanitati adverſantur. Bellum enim quantumcunque juſtum, exiſtimabitur iniquum, quod nullo planè modo pacis media admittit. Intutæ illæ induciæ ſunt, poſt quas recrudeſcit bellum priore atrocius : & nefandas planè pronuntiat omnis ratio, ubi offerentes, aut petentes induciarum beneficium, bellum clam meditantur. Quisque pugnare mavult, quam falli, & potius experiri belli aleam, quam imaginariæ pacis protractione fatigari. Breves, præſertim oblatas inducias, quæ nec hoſtem juvant, nec militem faciunt deſidem, amplector, videntur quippe hæ magis collimare in pacem, quam in machinationem belli. Inſidioſæ autem illæ induciæ ſunt, ubi his cautè impetratis, aut oblatis, clam, & aliud agendo per aliorum latera, & alibi, Adverſarius impugnatur, cæditur, divertitur. Longas inducias cum periculo & diſcrimine maximo conjunctas crede ; quia hoſtibus juvandis repertæ, machinationibus expoſitæ, & bello ipſo difficiliores ſunt. Quales erant Anno 1578. Principis Orangii, qui ideò eas offerebat, ut è Germaniâ accerſere poſſet militem, quem certò expectabat, quas cum poſtea, Cæſaris quoque aliorumque Principum legati poſtularent Ordinum nomine, tantò impenſius negavit Joannes Auſtriacus, quanto certius ex inſolito conatu conjecit neceſſitatem Orangii.

6. Apprimè verò utiles & ſalutares inducias reor, ultrò citròque rationem commerciorum, navigationum, vectigalium, reſtitutionem interceptorum, depoſitum ſub lite pendentium occupatorum, avocationem exercitus &c. & ejusmodi Reipublicæ ſe rehabentis commoda ſpectant. Tales induciæ cenſendæ ſunt genuinæ ſemitæ ad pacem, immò quaſi *Pax ipſa.*

7. Præmeditatæ induciæ optimæ, ubi quidquid indè hoſti aut tibi accedere poſſit ſagaciter expendis, & in trutinam confers. Ubi præcaves, ne induciarum tempore nova fœdera utrinque ſanciantur, neve nova auxilia quærantur, aut arces &

munimenta exſtruantur: ne contributiones ultrò citròque repetantur, aut aliæ imponantur. Ubi denique ex utriusque commodo inducias, diebus, menſibus, annis, luſtris circumſcribis.

8. Tandem ſtabiles exiſtunt induciæ jurejurando confirmatæ, aut accedente auctoritate amicorum Principum, qui per ſuos Legatos Regali Syngrapho pro integritate & firmitate induciarum fide jubent, indignationem & arma comminantes eis, qui illis contravenerint. Ac ſi rem penſiculatius expendas, invenies inducias magis inviolabiles eſſe, quam ipſam pacem: quia pacis rumpendæ plures accidere poſſunt cauſæ, induciarum nulla: Pax enim conſiſtit in conditionibus, quæ tractu temporis ultrò citròque variari poſſunt: at induciæ plerumque modico tempore circumſcriptæ, neque conditionibus exactè proviſæ ſtant in purâ fide boni viri. Interea tot exemplis crede: *Inducias multos perdidiſſe; ſperatæque paci ſuccedentem inſperatam calamitatem incautos obruiſſe ſopitosque: quos ſi experrectos invenisſet, nequaquam læſiſſet.* Ne te credulitas tua fallat, cave non minus in induciis, quam in ipſis belli periculis.

CAP. V.

De Amneſtia.

1.

AMneſtia Græcum vocabulum eſt, & oblivionem ſignificat. Lex nimirum à Thraſybulo apud Athenienſes olim eo fine lata, ut poſt ejectos Tyrannos, & finita inteſtina bella priſtinus Reipublicæ ſplendor reduceretur: quò primitùs & principaliter juvit: *omnium præteritarum injuriarum ac damnorum illatorum ultrò citròque oblivioſci.* Ideò non licebat præterita qualiacunque in jus vocare, ſed ne eorum quidem reminiſci: ignoſcendo quippe ſtabilior fit inter mutuò offenſos concordia & amicitia.

2. Po-

2. Posterioribus sæculis hæc Amnestia in omnibus fermè rebellionibus subditorum usitata, & ea veluti primum sidus, & exsurgens aurora reducendæ serenitatis publicæ prælucere solet, ubi videlicet in publicis tabulis Imperantes *generalem veniam & oblivionem*, quarumcunque injuriarum & damnorum, seditionis aut rebellionis tempore causatorum, gratiosè suis subditis impertiunt. Et reverà hoc arcanum non solum per se clementissimum, sed efficacissimum etiam est, reducendi ad obsequium sui Principis, à quo turpiter desciverunt.

3. Amnestiæ facilior usus est inter pares, quales in Polyarchiâ, sive in multorum Republicâ sunt, sive cives, sive Optimates: quam inter Imperantes & obsequentes, inter Reges & vasallos, inter Principes & subditos. Durum illis est concoquere subjectorum suorum vesaniam & temeritatem, quod spretis pudoris ac legum habenis, non solum insultare potestati, quæ à Deo est, sed etiam in solium conspirare & universum concutere statum ausint cum desolatione patriæ, & Auctoritatis supremæ contemptu. Propterea limitant hanc cum subditis Amnestiam Statistæ, præsertim Galli & Itali, ajuntque *Majoris solum mali in præsens evitandi causa in pacificatione publicâ condonari errata præterita; deinceps pro gravitate facinorum expendenda, punienda.* Principes itaque ex Statûs arcano sub Amnestiâ veniam quidem præstant delinquentibus, sed in præsens tantum: interim Majestati suæ reservant, cum tempus & occasio post sedatam seditionem adfuerit, animadvertere in facinorosos & malorum Autores. Par quippe nefas est committere scelera, & hæc sinere impunita. Rectè ille: Non ibi consistunt exempla, undè cœperunt, sed quamvis in tenuem recepta tramitem, latissimè vagandi sibi viam faciunt, & ubi semel à recto deerratum est (præsertim in materiâ Statûs) in præceps reinciditur: nec quisquam putat turpe, quod aliis fuit quæstuosum. Quæ ex subditorum contumaciâ coguntur Principes concedere, illis liberum deinceps est, pro autoritate & potestate, quam cælitùs liberam acceperunt abolendi, ut coacta, & invita. Si vi aut metu quidpiam peractum est, jura

privatorum rescindunt; an de Jure Regio aliter statuendum? Aliud in secundâ, aliud in adversâ tempestate agit navarchus, alias bellum, alias pax leges habet. Publica administratio, salus populi, quies Regni, excedit omnem Amnestiam, tam duratione & perpetuitate, quam autoritate & æquitate. Leges Amnestiæ ejus temporis sunt, quo feruntur, non autem cujusvis, postquam sunt latæ. Non abrogant leges fundamentales Regni, sed supponunt. Amnestiæ liberalitas, à Rege est, servis igitur autoritatem indè proculcari planè indignum esset. Amnestiæ licentia, æquitati adstringitur: æquitas autem distinguit crimina, minora dissimulat, majora mulctat, ne in exemplum abeant, turbentque quietem publicam, Amnestiæ beneficio procreatam.

4. Hoc jure usus est Ludovicus XII. Franciæ Rex contra Mediolanenses, sibi aliquando rebelles: promulgatâ quippe Amnestiâ generali & oblivione præteritorum, cessavit ibi seditio, & in Urbem admissus Rex, nec quidpiam metuentibus, nec suspicantibus civibus Amnestiæ privilegio, & promissâ in verbo Regio impunitate commissorum, munitis. Res tamen multò aliter cessit illis. Ingressu siquidem solemniter facto, acceptisque in fidem Statûs gubernaculis, Rex nihil profuturam existimavit dissimulationem facinorum ab omnibus quidem, (ast plus minusque tamen ab aliquibus) commissorum, sed, ut metus ad omnes, pœna ad magis fontes extenderetur, è civium potioribus plurimos in infamem mortem dedit, frustrà protestante Mediolanensi populo, violatâ per Regis vim Amnestiâ, se non amplius teneri pactis, & legibus, quibus Galliæ dominium susceperit. E contrario refragabantur Franciæ Ministri: Plurimos è Mediolanensibus esse enormium facinorum reos, quæ, sicut in se impunita sinere, iniquum foret, ita æquissimum censeri, ut non æquali Amnestiæ privilegio cum iis, qui non tantùm Regiæ potestati contravenerunt, gaudeant. Flagitia, cum quibus salva Respublica vix est, eximuntur ab Amnestiâ facile, nisi speciatim in illâ exprimantur. Undè Mediolanenses tam credulitate suâ quam improvidentiâ decepti, luerunt pœnam, quam non putabant, sed

sed merebantur. Cautè proinde oportet, ut agant tunc subditi cum suis Regnantibus, ubi illis Amnestia offertur. Generalis illa esse debet quoad universos; & specialis, quoad crimina: id est, omnium flagitiorum in specie fieri debet memoria, & simul abolitio, tam quoad cognitionem causæ, quam quoad executionem pœnæ, ubi de Amnestiâ Generali transigitur. Justa est populi suspicio, ne in opportunum tempus Regis ira differatur, donec in instrumento Amnestiæ provisum fuerit, tam de universalitate personarum quarumcunque, quam de abolitione particulari criminum speciatim expressorum: tunc enim vero tutò cessabit suspicio, formido, simulque periculum omne, quod indè accidere posset. Ubi enim quidam, aut quædam; homines, vel crimina, ab Amnestiâ eximuntur, facile contingeret, ut propter identitatem criminis, aut similitudinem periculi, etiam non exempti in pœnam traherentur. Omnium itaque Regis, Regni, & populi; quieti, saluti & securitati apprimè expedit, ut reconciliatis dissentientibus omnium hinc inde offensarum, memoriam ultrò citroque, æternâ oblivione sepeliatur. Sunt quidam, qui Principibus in ejusmodi Amnestiâ negotiis suadent deceptiunculas aliquas, quibus allectus populus retrahatur à devio tramite seditiosæ contumaciæ. Et ego vix dissuadeo. At vero deceptiunculæ istæ extra terminos discretionis & æquitatis non se exferant: Quantumvis enim quædam (sicuti infantibus, quos amamus) speciosa & grata (licet sedatâ tempestate non præstituri) polliceri expediet multitudini seditiosæ; non tamen licebit ita circumvenire, ut verba fidei Regiæ, in obsequium redeunti populo dentur, in mente autem cataste & supplicia retineantur. Contra naturam Amnestiæ pugnat, si illa non in beneficium, sed in necem & maleficium populi sive explicetur, sive intelligatur. Quippe multitudini, ait quidam, facilius condonatur: & ubi omnes delinquunt, nemo plectitur.

5. Flagitaverat aliquando generalem culparum pro Belgis veniam Margarita Parmensis à Rege Philippo II. quod videret quotidie Belgarum plurimos, suppliciorum metu anxios, aut aliò commigra-

migrare, aut turbarum ſocios in Belgio ſibi adſciſcere, quaſi tutiores in numero. Annuit Rex, licet biennio elapſo, & diploma Amneſtiæ generalis, ſed cui multæ exceptiones inerant, conceſſit. Id raucâ voce, ne ab omnibus exciperetur, per præconem promulgari Dux Albanus juſſit Antwerpiæ. Rumor erat de generali Amneſtiâ, atque ideò populus, non omnia exaudiens, quia procul à præcone aberat, non particularitatibus inhæſit, ſed credidit generalem veniam. Intereà alii Belgarum, qui propiùs theatro & Buccinatori adſtiterant, ob ea exceptionum capita non ſat ſibi tuti videbantur. Hoc fine congregati Ordines Belgii deliberarunt: an Amneſtia hæc clauſulata, & multis exceptionibus referta, tutò à Statibus recipi valeat, nec ne? Inſtaurato igitur ordinum congreſſu, aliquibus viſum fuit, ſub civilium bellorum prætextu, & Amneſtiâ ad ſopienda partium odia repertâ, non debere ideo eſſe, quævis alia in ejusmodi turbis excogitata, & Patriæ perniciosa ſcelera, impunita, ac ſatis eſſe omnium ſecuritati proſpectum, licet nocentiores & excepti pœnam luant. Verum alii, cautiores Belgæ, has ſibi ſuſpectas & in perniciem ſingulorum erupturas ab Amneſtiâ excluſiones, aſſerebant. Quorum motiva refert Zuerius Boxhornius, nempe illam reſtrictionem, & quorundam particularium exceptionem beneficium Amneſtiæ coarctare, *Quod* tamen *nunquam tutius eſt, quam cum maxime eſt generale.* Nam eâ reſtrictione fieri, ut judicio Principis, & interpretationi beneficii Amneſtiæ perpetuo futurus ſit locus; quâ ratione ſubvertit ſuam ſecuritatem. Undè nemo non videt exceptionibus ſimilibus latam viam aperiri ad Amneſtiam pro lubitu obſervandam, & quibusdam, in quos malè affectus ſit Princeps, beneficium hoc denegandum. Omnium cauſa agitur (forte dicebunt illi) dum de Amneſtiâ tranſigitur. Æquum eſt, proſpicere etiam iis, qui plus æquo ferventiores, proſecuti ſunt cauſam communem: hæc ſive bona, ſive mala fuerit; fuit omnibus communis, & fortè plurimum ſuſtentata ab illis; qui ex Amneſtia excluſi ſunt. Iidem ſunto gaudiorum, qui fuêre ſocii paſſionum. Ita quidem exiſtimabant Belgæ in penum ſuam: ſed

melius

melius distinguit Ratio salutis publicæ. Si enim liberum fuit Principi Amnestiam generalem quoad homines, & specialem quoad excessus, sive crimina, concedere: Standum erit omninò pactis Amnestiæ ex Regiâ fide datæ. At si coactus, aut ex custodiâ illâ pollicitus est, (Maximilianus I. Brugis in Flandriâ) servabit etiam pacta in tempus Amnestiæ; Sed eâ ratione, ut exigit officium Principis, necessitas publica, securitas Regni, & ipsæ leges dictant.

CAP. VI.

Quæ conditiones pacis.

1.

ARtes belli gerendi, sunt artes magnæ, sed pacis tractandæ, majores. Non tanta sæpe præstitit galea & Martis gladius, quam Mercurii Caduceus. Majorem prudentiam & dexteritatem requirit pacis transactio, quam belli movendi omnis conatus. Pace finitur bellum, & finis coronat omne opus. Post gravia finita bella, pax sæpenumero exsuscitat graviora. Adeò namque pacis negotium arduum est, ut illa sicut omnium aliquando votis exorata, ita deinceps omnium suffragiis condemnanda, si non recte, & ex munere agatur. Ipsæ autem ratio amicitiæ, quæ pace plurimum intenditur, non fert iniquas, sed æquas exigit conditiones. Sicut inæqualitas amicitiam debilitat, ita prosternit pacem. Vidimus dictatas, coactas, extortas pacificationes; sed primâ etiam occasione revocatas, contraventas, impugnatas. Non enim æquæ utrinque conditiones, fomenta potius belli sunt, quam argumenta quietis publicæ. Non te ad secundum bellum Punicum voco: propiora sunt, quæ ex Osnabrugensi pace resultavêre. Dictatæ extortæ erant ibi â Gallo & Sueco conditiones: non satis provisum Auctoritati Cæsaris, non avitæ Religioni, profanata bona sacra, Germaniæ Aquila ex Gallicâ & Suedicâ usurpatione deplumata. Et quid non? o misera! o brevis! o toties

mutilata hæc Germaniæ pax! an pax, an vel bellorum, vel servitutis pactio dicenda? hæreo: tu expende.

2. Quæ non firma pax est, mihi nulla est. Infirmam autem ajo, ad quam unam necessitas compellit, & plerumque vel iniquis conditionibus scatet. Præstat dubium bellum præ turpi pace: iniqua pax sæpè ipsa clade major est Reipublicæ pernicies. Hist. 4. Pax cum inquietâ gente facta, Polybio inanis & inutilis esse videtur. Quis in pace vivet cum populo ex bello, & latrociniis vivere assueto? Tales olim Ætoli; posteà Visi-Gothi, Vandali, Hunni; nunc Tartari, Arabes, & etiam Turcæ, quibus nulla unquam lib. 41. cum Christianis sincera pax. Nullam quoque eorum pacificationem esse ajebat Dion, qui ab utrâque parte non voluntariè, sed ab aliis coacti pacem constituerunt: vix enim facta, jam dirimitur. Sic Octavianus & Sextus Pompejus, cum ad pacem faciendam unus à populo Romano, alter vero à suo exercitu constrictus esset, quamprimum ad arma redierunt. Infirmas esse pacificationes expertus ipse est. Illustris Comminæus olim Ludovici XI. Minister Statûs videlicet cum fœdifragis, plus æquo populis Martialibus, æmulis, & insidiatoribus. Quales erant Cominæi tempore ipse imprimis Ludovicus, deindè Carolus Burgundus, Henricus Anglus, Comes S. Pauli &c. Qui non aliter cum pacificationibus, quam pueri cum globulis, ejuscemodi vel fraudulenti, vel sui impotentes, & Regnorum avidi Principes, ludebant. Idem querebantur Galli priore ævo contra Lotharingum, ab illis dictum Vertumnum Europæ, qui omni prope horâ bellum ciebat, & pacem, sed sibi semper in propitiam, accipiebat. Valentinianus Francorum olim populo pacem dederat, & in Saliis sedem: At illi deinde contra jura pacis & hospitii Gallias adorti, plane eas occuparunt. Angli acciti à Britannis amicitiæ ac societatis prætextu, ipsam Insulam sibi subegerunt, ex amicis Dominatores amicorum facti. Nemo aliud expectet à turbulentis populis, atque idcircò pacem maximè concedendam iis, sed potius, sicut Cæsar Ægyptiis fecit, debellandos, & in secu- lib. 42. ritatem trahendos, rebatur Dion Cassius. Infirmiorem autem

nullam

nullam unquam exiſtere pacem, ait Bodinus, quam quæ intercedit inter ſubditos rebelles & legitimum Principem. Conſtat id palam ex hiſtoriâ Galliæ: & noſtra nos edocet experientia in Hungariâ, nihil fragilius eſſe pace cum ſubditis rebellibus contractâ, donec in ſervitutem redigantur, exarmentur, aut eliminentur: primum paſſi ſunt Bohæmi, alterum Bavari, tertium Hugonoti in Galliâ: & ternam hoc moderni merentur Hungari ſuo Regi rebelles. Incidit hic calamo extrema illa inſolentia & conditionum turpitudo, quibus Anno 1623. Bethlem Gabor Ferdinandum II. quaſi obruebat: primò dari ſibi Principatus in Sileſiâ duos Oppolenſem, & Ratiborienſem: Hungariæ Urbibus à montibus Tranſylvaniam usque, ut cederet Imperator, injunxit. Omnes belli ſumptus, ut Cæſar reſarciret, voluit. Pro-Regem ſe, ſeu Palatinum Hungariæ, Ferdinandus faceret, juſſit. Et cautionem ſeu Hypothecam pro conſervandâ pace ſufficientem ſtatueret, imperavit. An inſolentius quidpiam, an fœdius turpiusque his pacis conditionibus eſſe queat? ipſe expendas, qui hæc legis. Interea autem Imperator quadraginta millia bellatorum propius Tranſylvaniæ admovit, & ſuam tam enormiter præfatis conditionibus læſam Majeſtatem ulturus, in hæc verba Tranſylvano pacis conditiones dedit: Abſtineret Gabor ab ejusmodi infamibus petitis, libertati redderet quamprimum captivos: rebellionis autem Duces ac Strategos, nimirum Jegerendorfium, Turrenſem, Lumpenburgium ſibi traderet: illatam ſuo Hungariæ Regno cladem reſarciret: totâ Hungariâ cederet, nec de cætero ſuos affligeret ſubditos, diſtrictè imperavit: niſi id faceret, adacturum ſe armis, ac ſedibus Tranſylvaniæ pulſurum. Fugienda quidem bella, quis neget? non ita tamen, ut peſſima quæque, ne bellum ſuſcipiatur, perpeti oporteret: duriores enim non eſſe debent pacis conditiones, quam calamitates belli. Ego (inquit Cicero) pacis ſemper laudator, ſemper Auctor; pacem cum M. Antonio tamen eſſe nolo, quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt. Dedecet enim Regium animum omnis turpitudo pactorum, aut quodvis libertatis vinculum. Quid nunc di-

Waſſenberg. p. 82.

ceret Cicero, si fastuosas & plusquam nefarias Ragozii ejusque adhærentium rebellium conditiones suis Regibus legitimis tam Leopoldo prius, quam Josepho posteà oblatas legeret? Pudet calamum tam indigna commemorare.

3. Porrò conditiones præcipuè pacis sunt, ut hæc integra, ut provida, ut tuta, ut stabilis & diuturna sit. *Integram* intelligo, quæ pristinæ libertati & dignitati nihil decedere sinit. Privernates exemplo sint: Hi cum à Romanis obsessi, priusquam ultima vis adhiberetur, pacem à Consule postularunt, ideòque ad petendam pacem Legatos Romam miserunt. In Senatu, cum ipsa res per se anceps esset, & hinc illinc variarent Patrum suffragia; tunc incertiora omnia unus ex Privernatibus Legatis fecit, magis conditionis in quâ natus, quam præsentis necessitatis memor. Is interrogatus à quodam tristioris sententiæ auctore, quam pœnam meritos Privernates censeret? *Eam*, inquit, *quam merentur, qui se libertate dignos existimant.* Cujus candidum liberumquē responsum, cum ægre ferrent quidam, qui adversabantur Privernatibus, Consul, ut melius responsum à legato eliceret; Quid si pœnam, inquit, remittimus vobis, qualem nos pacem vobiscum habituros speremus? *Si bonam dederitis*, respondet, *& fidam & perpetuam.* Inde pars melior Senatûs ad meliora responsum traxit, censuitque, nullum populum aut hominem in eâ conditione, cujus eum pœniteat, diutius, quam necesse habeat, mansurum: *Ibi pacem esse fidam, ubi eam non inviti ineunt.* In quam sententiam Consul ipse, Patrum inclinavit animos, identidem dicendo: eos demùm, qui nihil præterquam de libertate cogitant, dignos esse, qui Romani fiant. Sic Privernates pacem cum integrâ libertate obtinuerunt, meruerunteque, ut illis civitas daretur. Pacis negotium nec ardentes, nec demissos vult animos. Ardor destruit negotia, nec demissio elevat; vera prudentia utrumque reparat, dum nec metuere satagit.

4. *Providam pacificationem* voco, ubi causæ bellorum & dissensionum tolluntur, non verò suspenduntur, eas protrahendo in tempus aliud, vel remittendo in arbitros: Sed extinguuntur, vel

vel compensando, vel abolendo, vel cedendo, vel, quod opportunissimum est, desuper non generatim, sed speciatim ultrò citròque transigendo. Manebunt aliàs continuò semina bellorum, quæ nos in Europâ ex hâc non observatâ cautela experimur. Pacis igitur articulis comprehendi & decidi omnia debent, quæ imposterum conscíscere aut succendere quirent aliquam favillam belli aut dissidii. Oborto etiam dissidio, ut induciarum sit tempus, quo illud per mediatores sopiri, & componi valeat. Inferere quoque oportet omnes utriusque partis fœderatos, vicinos etiam, omnesque, qui aliquo nexu pacíscentium tanguntur: ii verò liberi sunto, non subditi alieni, non rebelles: quos enim prius non minus injustum, quam indignum erat in fœdus accipere, minus justum dignumque erit pace complecti, ut observatum à Cæsare Ferdinando II. in pacificatione Pragensi, ubi Imperator expressâ exeruit res Bohœmiæ & Palatini. Accedit de exercitu avocando, de deponendis undique armis, de aliis in fœdus non suscipiendis, de satisdatione aut compensatione damnorum, de sistendis depopulationibus, prædis, contributionibus in exautoratione militum, de captivis reddendis, redimendis, commutandis, de restituendis acceptis urbibus, munimentis, claustris viarum, possessionibus, &c. *Pacis quippe tempus non solum præsentia, sed magis etiam respicit futura.*

5. *Tutam illam pacem* ajo: Quando ab utraque parte æqualitas conditionum servatur; neque una alterâ graviores conditiones suscipere cogitur. Quod totum ab eo dependet momento, ubi pacíscentium uterque armatâ dextræ loquitur, & æquas vires in castris ostentat. Qui viribus prævalet, prævalere quoque tentat conditionibus pacis. Inæqualitas omnia facit intuta & suspecta. Æqualitas verò uti est in omnibus optima; Ita in pace præcipuè, quia per illam fovetur amicitia, conservatur concordia, removetur suspicio, quæ tria, tutam reddunt omnem pacem. Tutela pacis olim pendebat ex matrimoniis pacíscentium, nunc verò infirma sunt jura & vincula sanguinis, ubi ra-

tio Status controvertitur. Gallia & Hiſpania, Veritatis hujus teſtimonia ſunt hoc & priori ævo.

6. Tutiorem faciunt pacem obſides & pignora ultrò citròque data: ſed magis hoc olim ſolitum apud barbaras, quam nunc, apud cultiores gentes. Uſitatius apud noſtrates eſt, ut quædam loca limitanea & munita, usque dum pax vel plenior fiat, vel ceſſet ſuſpicio illius violandæ, retineantur. Sic pro ſecuritate pacis in depoſitum accepit Rex Galliæ Marſalum & Nancæum Lotharingiæ Duci: & priùs Carolus VIII. in expeditione Neapolitanâ Principibus Italiæ plura. Ejusmodi autem depoſita inter æquales potentiâ Principes periculoſa ſunt, quia vix & ne vix quidem redduntur. Hinc ex ſimilibus retentionibus potiùs intuta, quâ ſecura pax conſtituitur, cum alterutra pars paciſcentium plerumque imbecillior, cogatur ejusmodi pignora & depoſita præſtare, & conditiones ſubire ingratas. Nemo verò ex vi illatâ, aut metu præſenti, in tranſigendo obligatur, ideòque à pace mox recurritur ad bellum & inſidias. Præterea omnium maximè pacem tutam conſtituit, ubi uterque paciſcentium par, æqualeque commodum ex pacificatione obtinet. *Nihil quippe potentius unit, & facilius ſeparat Principes, uti Commodum.* Ratio commodi & utilitatis publicæ polare illud ſidus eſt, quo reſpiciunt omnes pacificationes, transactiones & pacta.

7. Denique minùs tutam illam pacem reor, ubi unus paciſcentium armatus manet, alter ſe exarmare debet. Vel primo obtutu quis talem pacem ſuſpectam non videat habeatque? Hujus qualitatis erat Pax Andagavenſis Anno 1576. celebrata inter Belgii Ordines & Joannem Auſtriacum. In Hiſpanorum enim dimiſſionem convenerant ex Gandavenſi pacificatione (quam ſubſcribere adigebatur Auſtriacus,) Provinciæ omnes, ſacer æquè ac profanus Ordo ſub jurisjurandi Sacramento: Non paſſuros quemquam Belgio imperare, niſi externâ militiâ ante dimiſſâ. Idque fixum adeò immotumque, ut deſperanda fuerit Joanni Auſtriaco, niſi per hanc ſemitam, in Belgium via. Sic Auſtriacus ex pacificatione illa nudari debuit Hiſpanorum militiâ, ubi

Bel-

Belgii Ordines in ſuâ perſiſtebant. Armati iſti, inermis ille: Confœderati illi, iſte ſolus. Punctum grave erat hoc, non tàm pacis, quam legis futuro Gubernatori præſcriptæ : Quod nimirum (ut Gonzaga arcanus Auſtriaci Principis Miniſter obſervavit,) Orangius Princeps Hiſpano Regi inviſus, Provinciis perſuaſerit, & cum nihil magis metueret, quam ne Joannes Auſtriacus à Belgis admitteretur : eam Gandavenſi paci conditionem inſeri, non incallidè curavit, quam ſperaret ab Auſtriaco neutiquam accipiendam, adeoque non ſolum excludendum illum, à Præfecturâ, ſed etiam deſuper illi neceſſario accipienda arma, & cum his violatum iri pacem Gandavenſem : intereà verò Orangius homo in dominationem interritus, pro arbitrio, arma Belgii & quævis alia adminiſtraret. Quod ſi verò ille dimitteret Hiſpanum exercitum (ſuæ Præfecturæ unicum robur) fabulam Belgii futurum exiſtimavit Auſtriacum, quia inermem, & duabus tantùm ex omnibus proviſum Provinciis. (Nam reliquæ, ſi vis intenderetur, conſociatis Sacramento amicis bellum condixerant.) Sic inter ſaxum & ſacrum conſtitutus Auſtriacus, nihil emolumenti tulit, niſi omnia undequaque intuta, & ſuſpecta, ex præfatâ pacificatione Gandavenſi, aſtu & arte Orangii in Hiſpanorum exitium compoſitâ. Eventus id docuit; dimiſſo enim Hiſpano milite, quamprimum inſurgit factio Orangii ; agitatur de capiendo Auſtriaco Conſilium, is à Præfectura dejicitur, in ejus locum vocatur Archi-Dux Matthias, cui in Ruartem Belgii ſubſtituitur Orangius, relegatur Namurcum Auſtriacus, hoſtis patriæ declaratur ; triumphant Hæretici, totumque Statum dilacerant. Hi fructus erant intutæ Gandavenſium pacificationis exarmato Auſtriaco.

8. Jam ad *diuturnam ſtabilemque pacem* digredior. Sanè poſt nubila Phœbus, poſt colliſionem elementorum conſtantior oritur ſerenitas. Poſt bellum impigrè geſtum, poſt exſatiatos per cædes belligerantium animos, vel utrinque fractas vires, certior firmiorque emicat diù deſideratæ pacis fulgor. Adeò, ut vulgato Germanorum & Italorum diverbio, *poſt ſerium bellum, lon-*

longior pax; nemo refragari poſſit: neque ſacer ille vir, inquiens, pronius in gratiam redeunt perpeſſi armorum damna, & ego inquam: *Longam immò perpetuam merentur pacem, tot antèà profuſi ſumptus, & pericula bello exantlata.*

9. Porro diuturnam reddunt pacem, fides integra, pacta clara, voluntas ſincera, non fuco illita, aut prætextibus ſcatens, aut inſidias, vel planè bellum meditans. Nam ob paciſcentium machinationes obtectas, dilata magis prælia, quam pacem datam jam olim comperiit Saluſtius. Contaminant integritatem fidei, pactorumque, aut ambitio æmulationi juncta, aut dominandi libido, quæ niſi à paciſcentibus deponatur, fruſtra eſt longævam ſperare pacem: gliſcunt quippe furiæ iſtæ continuò, ſub pacis cineribus obtectæ, donec aut ſuſpicione, aut vindictæ cupiditate, velut pabuli loco, rurſus evomant belli incendia.

10. Fidem & candorem pactorum, conſequitur Juſtitia pacis. Illius defectus, ut ex ſacris conſtat literis, ſi evertit Regna & Reges perdit, quantò magis pacem, quæ conſervat Reges & Regna. Nihil magis juſtum, quam reſtituere bello ablata, nec plus neceſſarium eſt, tàm ad tranſigendam quam firmandam pacem. Ne marceſcat facilè pax, antidote opus habet, balſamo videlicet juſtitiæ, quod illam incorruptibilem reddet. Nunquam præſervabitur ab interitu pax, niſi inter paciſcentes ea tollantur, vel accommodentur, quæ diſſenſiones reſuſcitare, & pacem infringere poſſent. Glorioſum eſt pacis tempore remittere ea gratuitò, quæ niſi ferro, & multo ſanguine, haud conſervari queunt. Detentores & uſurpatores alieni, arma ſemper attrahunt in patriam, pacemque publicam turbant. Reſtitutio ſive neglecta, ſive dilata, eadem eſſe videtur, ac rupta chorda in inſtrumento pacis, quæ aliarum chordarum concentum turbat, & totam harmoniam transactionis deſtruit. Si ablata ex injuſto bello, cum reddi poſſunt, non redduntur; non agitur pax, ſed fingitur: ſi autem pax veraciter non agitur, ex modico intervallo rumpitur. Juſtitiæ pactorumque obſervatio multam adfert transactionibus longævitatem, quemadmodum eorundem cunctatio & moro-

ſa

ſa tergiverſatio certum ſignum eſt parùm duraturæ pacis. Hiſpani poſt pacem Queraſianam, quantumvis alii Principes ſecundum conventa arces & Urbes evacuaſſent, & ſuis Dominis reddidiſſent, à ſeſe tamen impetrare non poterant, ut copias ex Italiâ deduxiſſent, Imperatorias in Germaniam remiſiſſent, ſed nectebant moras (ut refert hiſtoria de Miniſterio Galliæ,) per agrum Mediolanenſem & viciniam illam ſimulatâ neceſſitate firmandorum præſidiorum, & promiſſione, quam Ferrarienſis Princeps, eſſet propediem renuntiaturus ad tranſitum verſus Regnum Neapolitanum aperiendum. Quas Dux Feriæ promiſerat exauctorandas indè à menſe Julio, nondum diſceſſerant à ſignis menſe Septembri, quæ tergiverſatio etiam reſtitutionem occupatorum retardabat. Exindè parum aberat, quin conatu Hiſpanorum noviſſima pax diſſoluta fuiſſet, niſi denuò Mireflorii, operâ Regis Franciæ, transactum fuiſſet.

11. Conditionum honeſtas firmat in longam annorum ſeriem pacificationes, ſicut illarum turpitudo convellit has, & planè deſtruit. Nec crediderim ego ullum populum in eâ conditione, cujus eum pœniteat, diutiùs, quam neceſſe ſit, manſurum, vivet ſemper in ejus mente, quidquid illi præſens neceſſitas injunxerit, & nacto tempore clamabit *turpem pacem, vel bello benè mutari.* Saguntini jam olim edocuêre poſteros, quantum ignominioſas & turpes pacis conditiones abominari debeant. Oppugnabantur enim, ut memorat Livius, acriter ab Annibale, neque auxilii à Romanis, neque obſidionis ſuſtinendæ ſpes nulla erat : & triſtes conditiones, ut ab irato Victore ferebantur. Alorus Hiſpanus, publicè Saguntinis amicus atque hoſpes, ſe ejus pacis interpretem fore pollicitus, Saguntum ingreſſus eſt. Ubi inter alia : Pacem vos, inquit, affero magis neceſſariam, quam æquam. Urbem nobis Annibal, quam magnâ ex parte jam dirutam, captam fere totam habet, adimit, agros relinquit, aſſignaturus, in quo novum oppidum ædificatis : aurum, argentum omne publicum ac privatum ad ſe jubet deferri, &c. &c. Hæc victor hoſtis imperat, hæc (quamquam ſint gravia, atque Annal. lib. 21.

acerba : fortuna veſtra vobis ſuadet. Equidem haud deſpero, cum omnium poteſtas ei à nobis facta ſit, aliquid ex his rebus remiſſurum. Sed hæc patienda cenſeo potius, quam trucidari, corpora veſtra rapi, trahique ante ora veſtra conjuges ac liberos, belli jure ſinatis. Verum cum Saguntini pacem, quæ libertate emeretur, iniquiſſimam judicarent, mortem prætulerunt potius, quam ut vivi in Annibalis poteſtatem venirent. Itaque primates, priusquam reſponſum daretur, argentum aurumve omne ex publico privatoque in forum collatum, in ignem ad id raptim factum, conjicientes, eodem plerique ſemetipſos præcipitarunt. Cæteri urbe captâ nullum ante finem pugnæ, quam morientes fecerunt. Ita Viri fortiſſimi (concludit Hiſtoricus,) miſerrimo genere abſumi maluerunt, quam libertatem ſervili pace mutando cum dedecore vivere. Ubi conditiones pacis ita intenduntur, ut libertas ire in compedes cogatur, & malorum penultimum ſervitus imperetur; nec dicenda eſt pax, neque hujus duraturæ ulla ſpes. Nemo miſeram pacem, animo eam conſervandi, efflagitat. Agit, ut tempus fert, & vult calamitas. Lotharingum contemplare : Is, cum videret Vicum à Franciæ Rege ocupari, Mediovicum obſideri, Marſallum, quo ipſe maximè nitebatur, peti, totamque Provinciam à Torcæo & Schombergo ad deſolationem usque vaſtari ; non ſolum ad Regem tunc miſit, ſed Dux ipſe illum Metis adiit, ut miſeram pacem extorqueret, quam etiam obtinuit Marſallo Regi in depoſitum dato. Sed non multo poſt facto oſtendit, eam pacificationem ſimulatè factam fuiſſe ad evitandam tempeſtatem, quæ in Provinciæ totale exitium imminebat. Compertum enim eſt eodem tempore Lotharingum & Regi dediſſe fidem in oppido cognominato Vicus ; & eandem violaſſe per alia conventa Nancei cum Legato Imperatoris. Sic miſera pax ; nulla pax, (invita ; brevis,) coacta ; potius eſt meditatio belli.

Miniſt. Richelii lib. 9. c. 6.

12. Non multis, totam tamen pacis firmitatem, ſtabilitatem, & longævitatem comprehendo : *Nulla diutius duratura eſt Pax, quam quæ utrinque armata eſt.* Arcanum hoc ad duo revo-

revoco : primum eſt, *ut pax ſub Clypeo fiat*, id eſt, ut ſupra jam inſinuavi, eo tempore, ubi uterque diſſidentium æquis adhuc pollet viribus, vel ambo ad extrema redacti ſunt. Illa ex benevolentiâ, hæc ex neceſſitate contrahitur; utramque tamen æquas honeſtasque ſubit conditiones, quæ certam ſpem faciunt continuandæ in longum ævum pacis ; niſi aut viribus redintegrata Ambitio, aut pacis oſorum flabellis inſtigata æmulatio rurſus in campum redeat, conjuratura tempeſtatem, adverſus dulciſſimæ pacis ſerenitatem. Quot pacificationes quantisque voluminibus comprehenſas legimus inter Carolum V. & Franciſcum I. deindè inter eorum poſteritatem Coronam Hiſpaniæ & Franciæ; inter Cæſares Germaniæ & Reges Galliæ, ut admiratio animum ſubeat; cur tamen indeſinenter, & vix cum reſpirio, continuis bellis per hos ipſos Principes afflictabatur Europa ? Expende, nec mireris. Hoc ipſo, quia tàm numeroſæ inter illos fuerunt pacificationes, breves & plusquam breves eſſe debuerunt ; vix factæ, mox violatæ : non alio interſtitio, quam virium reſtaurandum.

13. Alterum eſt : *Ut pace licet concluſâ, arma non facilè deponant Principes.* Pax in Loricâ perdurat, & armata tutò quieſcit. Pax ſanctè tenenda eſt tanquam ſemper manſura ; militari tamen providentiâ nequaquam deſtituenda ; veluti, quæ facilè & brevi in bellum ſit exitura. Obſervare oportet illam, & in bellum tamen eſſe paratum. Pax pretioſiſſimus Reipublicæ theſaurus eſt, diſcrimini exponi non debet : armatas excubias exigit, ne impetatur à prædonibus & inſidiatoribus alieni. Nam experiendo ſemper cognitum eſt: *Nomen pacis inter mortales, potius exiſtere, quam uſum.* Cheruſci, ut Tacitus refert, (nobiliſſimus inter Germanos populus,) magnitudinem ſuam malebant juſtitia & pace tueri, ſine cupiditate, ſine impotentiâ: quieti, ſecretique: nulla provocabant bella, nullis raptibus, aut latrociniis populabantur. Prompta tamen omnibus arma, ac ſi res poſcebat, exercitus plurium virorum, equorumque & quieſcentibus eadem fama. Feræ cæteræ verentur Leonem, licet

De moribus Germ. c. 35.

jubam non exerat. Annatum Principem, quamvis pacis otio incubat, timent cæteri. Pacis illecebrâ quoties ſe exarmavit Germania, toties proximum bellum habuit Galliâ. Ac, ſi vera fari liceat : an non noſtro exauctorato milite, jam toties in Germaniâ triumphavit Francia ? an non hæc, quia ſemper armata, priori ævo multoties pacis dictavit leges Europæ ? Ita eſt: & hinc noſtri caſus, noſtræ lacrymæ ! ut dici meritò poſſit, quisquis pacem non vult, arma deponat. Arma in altiſſimâ pace fruſtranea non ſunt, aut enim ſunt in tutelam ſibi ſuisque, aut hoſtibus in terrorem, utrumque firmat pacem, & Majeſtatem Regnantis extollit. Salomonis Regnum ſemper pace gaudebat, & tamen quadraginta millia equorum curalium & duodecim equeſtrium perpetuò habuit. *Pace Regna florent, pax armis vireſcit.*

CAP. VII.

De fractâ pace publicâ.

I.

PAx universìm loquendo eſt *publica tranquillitas, vel tranquilla libertas* tutò agendi, commeandi, remeandi, tranſigendi &c. Salvis tamen cujusque Regni juribus & uſu municipali. Expreſsè autem in ſacro Germaniæ Imperio à Maximiliano I. Anno 1495. Wormatiæ, & Anno 1500. Auguſtæ Vindelicorum, ſuffragantibus totius Imperii Ordinum votis *conſtitutio pacis publicæ* emanavit, quam ſubſequentes omnes Cæſares non ſolum confirmarunt, ſed etiam ampliarunt, & paternâ ſollicitudine omnibus Imperii Statibus commendârunt. Nihil enim æque, ut jam alibi diximus, ad Regnantes pertinet, quam ſtudium pacis inter eos conſervandæ, quos in Republicâ eſſe oportet. Optimum autem unionis pacisque publicæ remedium eſt, quemvis continere inter ſuos limites, refrænare potentes, & tueri innocentes.

Con-

Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ res maximæ dilabuntur. *Omne quod eſt, tamdiù eſt, quamdiù unum eſt.*

2. Licet verò omnis lex ex natura ſit univerſalis, conſtitutio tamen pacis in particulari, & expreſsè comprehendit omnes Imperii Status, nullo diſcrimine majorum, & minorum gentium, & cujuscunque dignitatis ; ac ſummos æquè medios, & infimos, præcipuè verò potentiores obligat, ne videlicet ſuâ potentiâ freti, alius alium invadat, & inconſulto Cæſare arma accipiat. Lyſander, cum Argivi de ditionis finibus ambigerent cum Lacedæmoniis, aſſeverarentque ſe juſtiorem habere cauſam, ſtricto enſe, qui hoc, inquit, ſuperior eſt : is optimè de finibus diſputat. Ita ab æquo & bono vir inſolens ad vim provocavit: Tales Lyſandri fuêre multi Imperii Status & Principes ante Rudolphi I. tempora ; tempore item Maximiliani I. Caroli V. Ferdinandi II., qui manu capulum percutientes omnia vi, nihil jure experiri volebant, & in ipsâ viſcera Imperii, advocatis planè exteris armis ſæviebant, & Imperium miſerè dilacerabant, nullâ Majeſtatis ſupremæ ducti reverentiâ, neque patriæ amore. Ideò maximè intererat per hanc conſtitutionem fractæ pacis publicis frænum injicere inſolentiæ, & proferendi Statûs inſanæ libidini: cum omni jure (etiam gentium,) vetitum ſit priùs armis experiri, quam ratione & conſilio.

3. Undè finis & ſcopus hujus Imperialis legis planè ſalutaris totique Reipublicæ utilis & neceſſarius fuit *Pax*, videlicet *Communis totius Imperii.* Nempe, ut tuta deinceps poſt exulceratiſſima illa Germaniæ tempora foret inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænaretur audacia & nocendi facultas. Sub hâc lege pacis publicæ omnes & qualescunque actiones, quarum finis ad ſeditionem & arma ſpectat, comprehenduntur. Pariter non ſolum facientes vim publicam, ſed etiam conſentientes ; etſi non interfuerint, ſed mandatum dederint, vel per ſuos vim inferri curaverint, cum paria ſint aliquid per ſe, vel per alium facere. Eodem modo hoc edicto tenentur auxilium præſtantes : quia ubi auxilium

lege prohibetur, auxilium non eſt, ſed ſeditio, qui malo fomenta præbent, mali participes ſunt & ferme plus, quam Autores; tunc enim furor publicus ſingulos urget & præcipitat, cum ex acceſſione auxilii ſe potentem conſpicit.

4. Et quia paria ſunt ſcire, vel ſcire debere, neminem hujus edicti de fractâ pace publicâ, excuſat ignorantia à pœnâ, vi conſtitutionum dictatâ. Affectata ignorantia legis, non eſt ignorantia, ſed contemptus legislatoris: ideò populus non intelligens, vapulabit, dixit Propheta Oſeas, cap. 4. Multa ſcienda neſciuntur, ait quidam ex Patribus, aut ſciendi injuriâ, aut diſcendi deſidiâ, aut inquirendi tempore: & quidem hujusmodi ignorantia non habet excuſationem à pœnâ.

5. Porrò tria requiruntur, ut quis ex hâc conſtitutione fractæ pacis agere jure poſſit. Primò *vis publica, & major, quam ei reſiſti poſſit.* Quia præfata conſtitutio pacis publicæ non ad omnem, ſed *vim atrocem* extenditur. Periniquum enim eſt propter privatas ſimultates (monet Appianus) Rempublicam in diſcrimen adducere, nec abutendum eſt occaſione ad explenda odia, ſed potius Reipublicæ judicio privatæ res permittendæ.

Lib. 2. de bello Civil.

6. Secundò *Vis armata*: id eſt, collectis pluribus (non uno alterove) hominibus, ut vim inferant: & cum ſimilibus inſtrumentis, quæ principaliter ad offendendum fabricata ſunt, irruant in Adverſarii terras, vimque exerceant. Virgilius ipſe eò reflexit, cum diceret:

- - - Magno in populo cum ſæpe coorta eſt,
Seditio.

Secùs rixæ cenſentur, vel latrocinia, non fracta pax publica.

7. Tertiò Propoſitum & *deſtinata Voluntas offendendi.* Quæ potiſſimum conjicitur ex circumſtantiis perſonarum, ſi coadunentur, ſi armis provideantur, ſi armati ad locum accedant, ſi aggrediantur adverſarios, vel invadant res eorum. Voluntatem igitur in omnibus rebus ſpectari convenit: Quæ conſultò facta non ſunt, in ejus fraudem eſſe non oportet. Per multum intereſt, ait Philoſophus, utrum ſponte quid faciamus

Arles 5. Eth. 2.

mus vel inviti. Interim in actibus prohibitis ſemper præſumitur dolus, qui ſat fundat deſtinatam voluntatem offendendi. Proteſtatio actui contraria, nec quidpiam excuſat.

8. Huc itaque tria requiruntur conjunctim & neceſſariò ad probationem fractæ pacis publicæ, quia non omnis vis publica eſt fracta pax, ab adverſo autem omnis fracta pax vis eſt publica. Hæc quippe conſtitutio ſpecialis eſt circa pacem fractam publicam, non privatam, ac propterea non comprehendit rixas & ſubitaneos motus, ſed deſtinatas invaſiones, per coadunatos homines, quæve ſpeciem belli præ ſe ferunt, vel ſeditionis apertæ argumenta ſunt. Et cum crimen fractæ pacis publicæ, vel ex hoc, quod pacifragus, aqua & igni interdicatur, atrociſſimum eſſe cenſeatur, conſectarium eſt, in hoc crimine etiam conatum absque effectu puniri. Siquidem verba conſtitutionis Cæſareæ expreſsè eos, *qui contra pacem publicam quidpiam attentare voluerint*, afficit: *Tentamen* verò idem eſt, ac *conatus*. Ideo, ut Gaylius loquitur: Si quis armatus de induſtriâ, dolo malo; hominibus coactis domum, caſtrum, prædium alterius invadat, etſi neminem, lædat, aut occidat, ſed lædere vel occidere voluerit, rectè ad conatum & enixam voluntatem ex conſtitutione pacis publicæ conveniri, & probato conatu cum neceſſariis ſuis qualitatibus in Bannum Imperiale condemnari valebit. Interim Judex Cameræ Imperialis arbitrium habet permittente Carolo V. commutandi pœnam Banni in pecuniariam, niſi expreſsè ſit attentatum crimen læſæ Majeſtatis, vel proditionis patriæ, quod ſæpe coincidit cum criminie fractæ pacis publicæ. Sicuti enim ſecundum Theologos, DEUS non intuetur, quantum quispiam valeat, ſed quantum velit: & quia DEUS corda penſat, jam in ejus oculis fecit, quod cogitavit: Ita prorſus in materiâ Statûs ſufficit ad Reipublicæ periculum conari: conatus enim ſi non ſucceſſit, fortunæ magis opus eſt, quam conantis voluntas.

9. Verum ſub conſtitutione fractæ pacis publicæ non intelligitur Defenſio armata ſui, ſuorumque. Quia vim vi repellere omnia Jura admittunt, & ubi offenſio eſt illicita, ibi defenſio eſt licita.

licita. Interim conſtitutionis verba benè ponderanda ſunt, ut nimirum defenſio illa non ſit ſpecioſa, aut armorum prætextus, ſed neceſſaria & coacta, ut quando quis ab alio iniquè provocatus, neceſſariò & coactè in defenſionem ſui, alioquin neceſſariò perituri, aut periclitaturi, vel ob defenſionem bonorum, aut amicorum ſuorum, arma ſumpſerit, caſtrum recuperaverit, inimicum offenderit, occiderit &c.

Judice me fraus eſt conceſſa, repellere fraudem,
Armaque in armatos ſumere jura ſinunt.

10. Pacis publicæ reus dici non debet, qui, ab alio contra pacis publicæ conſtitutionem armis offenſus ſe defendit. Et licet defenſio in continenti fieri ſoleat, ut debeat, tamen in iis, quæ tractum temporis exigunt, ex intervallo longiore vel breviore, ut ferunt vices & tempora, conceſſa cenſetur per ipſa verba conſtitutionis dicentis *in continenti, vel quando amicorum & defenſorum auxilia habere poſſit.* Adeò defenſio permiſſa eſt, ut quis hoſtem & turbatorem pacis publicæ etiam in alieno territorio perſequi valeat. Neque tenetur ad moderamen inculpatæ tutelæ, quia publica hoſtilitas eſt, in quâ vulnera ad menſuram non dantur, neque provocatus ſtateram in manu habere poteſt, ut non aliter offendat, quam velit. Provocatus vel invaſus, donec offendens arma non deponat, præſumitur omnia in defenſionem ſui fuiſſe. Hæc de conſtitutione fractæ pacis publicæ, jam de ejus pœna agamus.

CAP.

CAP. VIII.
De Banno.

1.

BAnnum, quod eſt fractæ pacis publicæ pœna, exprimit Ovidius Naſo:

Dii te ſubmoveant Onoſtri infamia ſæcli
Orbe ſuo, telluſque tibi pontuſque negetur.

Multis enim Bannum, idem eſt, ac olim fuit deportatio, hoc eſt interdictio aquæ & igni, duobus videlicet elementis, ſine quibus homo diu vivere nequit. Undè Bannum Imperii judicialis eſt cenſura, quam violatoribus pacis publicæ aqua & igni interdicitur, ita, ut à nemine in clientelam, fidem aut amicitiam recipi, ab omnibus verò impunè tam in perſonâ, quam in rebus offendi poſſit.

2. Quantumvis verò quis ob violatam pacem publicam ipſo facto, ut conſtitutio habet, in Bannum imperiale incidat, attamen quoad irrogationem pœnæ Banni, id eſt, aquæ & ignis interdictionem, & bonorum amiſſionem, non dicitur Bannitus ipſo facto, ſed Sententia declaratoria ſuper commiſſo delicto cum denuntiatione Banni regulariter requiratur; Nihilominus vero ob atrocitatem delicti quandoque non ſolum receditur à regulis Juris, ſed etiam ubi fracta pax notoria eſt, ſolemnitas proceſſus omittitur, & non ſervare Ordinem eſt ſervare Ordinem. Quia notorium inducit plenam probationem, eſtque probatio probata, & in his, quæ ſubjiciuntur oculis, nulla obſtat exceptio. Ideò in hujusmodi fractæ pacis notorio & manifeſto delicto Banni declaratio, ſine ullo judicio Ordinum Imperii, quia non ſolum, quæ palam ſunt, judicat oculus potius quam mens, ſed etiam quod caſus dari poſſit, ut Ordines convenire non poſſent, fit per ſolum Imperatorem emiſſis Fœcialibus, Bannum publicè in foro vel ad valvas, ſonantibus tubis aut tympanis, ſub dio ſolenniter denuntiantibus, & delicti qualitatem ex breviculo recitantibus: quo facto, edicta

ubique locorum in Imperio affiguntur, ut Bannum omnibus innoteſcat, & Banniti perſona à nemine tecto, domoque recipiatur: quæ Cæſaris declaratio (ait Gaylus) juris potius executio, quam ſententia eſt, quia in notoriis non tam pronunciatur ſententia, (ob notoreitatem, quippe illâ opus non eſt) quam executioni mandatur pœna delicti. Fracta pax publica, crimen erat in ipſum Statum, & contra legem, Reginam legum omnium *Salutem publicam*: atrocitate non inferior proditioni aut rebellioni, quarum utraque ſecundum melioris notæ Jurisprudentes, ſi notoria, non requirit proceſſum juris. Quod expreſsè habet cap. quæſitum de cohab. Cler. & mul. *Ne quidem declaratione ſententiæ opus eſt, quando rei evidentia adeſt.* David Rex ſecundum cor DEI non multum ante exceſſum ſuum ex hâc mortali vitâ, condemnavit Joabum ſine citatione, aut alio juris proceſſu, quia notorii homicidii reus fuit: ut Regum faſti lib. 2. c. 3. memorant ab illo injuſte fuiſſe neci datum Abnerum. Sæpè invaleſcunt mala per longas moras.

3. Non ibo inficias, verum eſſe, quod quædam Conſtitutiones Imperii requirant ad Bannum *citationem, prægognitionem cauſæ ſententiam, & tandem executionem Banni* ſive pœnæ fractæ pacis. Verum conſtitutiones illæ non loquuntur de crimine notorio & manifeſto; Nam aliæ Conſtitutiones, qualis eſt de Anno 1495. de Anno 1506. & 7. ubi de notoriis criminibus agunt apertis verbis, citationem omittunt, & ab executione Banni contra notoriè & ipſo facto Bannitum incipiunt. Nec deſunt exempla ante & poſt iſtas conſtitutiones. Fridericus Rufus Imperator ex Italiâ redux in ipſo tranſitu, ſine ullâ morâ omiſsâ citatione & judicio, immò non obſtante, quod aliqui Principes contradixerint, degradavit Henricum Bavariæ & Saxoniæ Ducem veluti pacis fractæ publicæ & Majeſtatis reum, Bavariâ in Ottonem & Saxoniâ in Albertum collatâ noviſſime Carolus quintus Joannem Fridericum Saxoniæ, & Ferdinandus II. Fridericum Palatinum.

4. Non

4. Non diffiteor tamen pro Palatino bis ſextili illo Rege, ex capite non factæ à Cæſare citationis, proceſſus, & ſententiæ per Electores & Principes, multum in Imperio, maximè in Ratisbonenſi Diætâ Anno 1623. actum; productumque fuit, præcipuè ex capitulatione Ferdinandi, ubi expreſsè aſſeverat Cæſar: *Se nihil in rebus majoris momenti, niſi conſultis Imperii Electoribus & Principibus factorum, nec quempiam degradaturum, absque eorum ſcitu & conſenſu.* Omnino ita eſt: ſi tantam temporis intercapedinem patiatur extremum Reipublicæ periculum: ſi publica hoſtilitas & notoria rebellio excuſationem admittat: ſi uncti à DEO Reges & Cæſares Diadematis & faſcium ſuorum uſurpatores ſuſtinere teneantur. At, ſicut hoc à ratione alienum eſt; ita ſi capitulationem Cæſaris impartiali oculo ſcruteris, nec Jota, me herculè, comperies, quo Imperator in facto notorio, urgentiſſimo & manifeſto, ſuæ poteſtati, quam illi tali caſu Jus naturæ gentium, & civile attribuit, quidpiam omiſit. Notorium crimen pœna in continenti ſequi debet. Communis hoſtis non inquirendus, ſed profligandus. Contra turbatorem pacis publicæ omnia jurà clamant. Non eſt, quod differat pœnam poteſtas publica (ſuprema præſertim Mundi) ubi de diſcrimine Regnorum agitur. Expectare in ejusmodi conventum Principum, Legatorum partialitates & tergiverſationes audire, calamisque pugnare, dum hoſtis apertus ferro & igne graſſatur, & depopulatur omnia, idem mihi eſt, quam in conflagrando cuncta incendio, de qualitate & quantitate aquæ ignem ſubinde extinguentis conſulere. Lex omnis pœnalis cum effectu intelligi debet, & non in ambiguitates ac excuſandas excuſationes in peccatis extendi: Usque dum Ferdinandus collegiſſet Principes & Electores, actum fuiſſet non ſolum de ſuis Regnis avitis, ſed de ipſo diademate Imperii. Concluſum quippe in Palatini conciliabulo erat: *Habito Regno Bohemiæ quamprimum ſe Regem Romanorum declarare.* Hoc multa manuſcripta, hoc Anhaltina Cancellaria, hoc ſuggeſtiones Camerarii Gaborii, hoc epiſtolæ hinc indè latæ, relatæ, ad oculum, ut videre eſt in actis Londor-

pii, comprobant, hoc Hæterodoxi, præsertim Calviniſtæ, ex cordis intimo ſuſpirabant. Iniqua foret capitulatio, quæ Imperatori negaret poteſtatem puniendi manifeſtos ſuos rebelles, notorios invaſores ſuorum Regnorum, apertos turbatores pacis publicæ, machinatores in ſupremam poteſtatem, & Majeſtatis palàm reos. Edic: quid horum non erat Palatinus? Quanta ille non molitus eſt ſub Matthia, ſub Ferdinando in Regno Bohemiæ? An non legitimo Regi, quem ille talem in Comitiis Imperialibus agnovit, ſceptrum rapuit, Regnum diripuit? An non Turcam concitavit contra Cæſarem? An non ejus Triumviratus ſusque deque Imperium conturbavit? An non electo jam in Imperatorem Ferdinando homagium præſtare negavit, ac alios quoque Principes in idipſum inducere per unum ex ſuis triumviris videlicet Anhaltinum tentavit? An non ſeipſum per publicè cuſam, & diſſeminatam pecuniam Imperatorem proclamavit cum hoc chronoſticho: FrIDerICVs IMperator AVgVſtVs 1623. An non Provinciæ Auſtriacæ ſunt membra Imperii, quas ille primus contra pacem publicam invaſit? An non ille contra Bullam auream manifeſtè prohibita fœdera, uniones, triumviratum, excluſo Cæſare & contra Cæſarem ſacratiſſimum ſuum caput ac ſupremum Principem contraxit? An non ille deſperatis jam rebus conatus eſt contra legem fundamentalem Imperii, externum Imperatorem in Imperium invehere? ne dicam de aliis machinationibus, inſidiis Principis notorii perturbatoris pacis publicæ. Dicant deſuper alii, quid velint: litteræ ſcriptæ manent, nec oblitterari poſſunt culpæ, quas illæ comprehendunt, nec pœna differri, quam meruerunt. Interea plusquam verum eſt: *In notoriis fractæ pacis criminibus, ubi ex morâ periculum ingruit, non exigi proceſſum.*

)o(

CAP.

Cap. IX.

De executione Banni.

1.

Legis atque constitutionis omnis virtus & finis in executione consistit, ita etiam Banni. Lex sine effectu idem est, quam campana sine pistillo. Bannum sine executione elusorium redditur, sicut ira sine viribus. Animadvertendum autem est Bannum Imperii ex duplici causâ irrogari: Primò ob delictum fractæ pacis, de quo nos principaliter indagamus. Secundò, ob solam contumaciam, etiam in causis civilibus, si videlicet citatus non compareat, vel, condemnatus judicatum non expleat; aut executorialibus mandatis non obtemperet; quibus casibus Cameræ Judex, qui Cæsaris loco præsidet, ad vindicandam renitentiam, & tuendam Cæsaris autoritatem & Imperii jurisdictionem tali contumaci, in exemplum aliorum, Banni pœnam infligere potest. Vestigia quippe terrent, exempla movent.

2. Licet verò utriusque Banni sententia quoad formam denuntiandi æqualis sit: tamen in effectu plurimùm inter utrumque Bannum interest, non enim tam graviter peccat contumax, quam delinquens, quia contumacia propriè maleficium non est; & majus delictum censetur in committendo, quam omittendo. Majus vel minus delictum, major vel minor pœna consequitur, Bannitus ob contumaciam non cogitur cum fisco transigere, bene autem frangens pacem publicam; Nam ibi tantum læditur instantia; hic verò & instantia, & persona offensa, & tranquillitas publica. Ideò inter Bannum contumaciæ & Bannum delicti sive fractæ pacis quoad executionem hoc discriminis esse ait Gaylus, quod primo casu necessaria sit immissio in bona Banniti: altero casu non requiratur immissio, sed regiâ viâ per executores fiat executio in bona, vitam, honorem, civitatem, aliaque privilegia & jura, quæ habuit Bannitus. Et quia munus executoris publicum est; defertur illud executoribus à potestate publicâ, Lib. 2. c. 12.

ſive Imperatore, ſive Camerâ, imperativè per conpulſiones, quibus reſiſtere non valent, niſi ex tribus cauſis. Primò, ſi executio fieri debeat contra potentem aliquem Principem, vel Statum Imperio mediatè vel immediatè ſubjectum, cui pares viribus executores non eſſent. Secundò, ſi Bannitus arces aut civitates tam munitas poſſideat, ut inde expugnari nequeat. Tertiò, ſi Bannitus Imperio quidem ſubjaceat, ſed extra imperium ſuum domicilium habeat. Ne vero tali caſu delicta fractæ pacis maneant impunita, fas omnino eſt Imperatori non ſolum vicinis Principibus, ſed quibuſcunque modo Bannitum corripiendi, privandi, profligandi in bonis, perſonâ, vitâ. Bellum enim licite movetur contra Bannitum, tanquam interdictum aquâ & igni, hoſtem omnium, turbatorem pacis publicæ, à nullo recipiendum citrà pœnam receptatoribus latronum debitam. Ita conſtitutiones, ita praxis Imperii.

3. Porrò effectus Banni ob fractam pacem publicam inter cæteros eſt Confiſcatio bonorum omnium. Inter quæ tamen non computantur feuda, quia delictum Vaſalli Domino feudi nocere non debet; ita enim ſe fiſcus habet, uti hæres extraneus. Undè quæ in hæredem extraneum non tranſeunt, bonis publicatis fiſco non addicuntur. Cum verò feuda ab hæreditate ſeparata ſint. Ideo ex conſtitutione pacis publicæ Caroli V. ſub rubricâ banniti §. 2. expreſſe conſtat *condemnato Bannito bona feudalia fiſco non addici.* Sed recto tramite ad Dominum directum, ſive nova, ſive antiqua ſint, reverti; fructibus tamen feudalibus actori damnum paſſo, Judicis moderamine ſalvo, conceſſis, ita Gayl. & alii Publiciſtæ ex præfatâ conſtitutione Carolinâ arguunt.

4. Similiter Bannum Vaſalli non nocet agnatis: in feudo novo ac propterea licet Feudum novum mortuo vel Bannito Vaſallo ad Dominum revertatur regulariter; Fallit tamen in ſimultaneâ inveſtiturâ, ubi ſimul Agnati inveſtiti ſunt. Cauſam decidet tenor inveſtituræ, quæ ex conventione legem accipit.

5. Eâdem

5. Eâdem ratione delictum Vaſalli nequaquam nocet agnatis & filiis in feudo antiquo. Quia delictum ſuos tenet Autores. Vaſalli autem perſona in ſucceſſione feudi aviti non conſideratur, ſed primus acquirens. Ultimus Vaſallus primi acquirentis Succeſſor dicitur, etiamſi feudum prius ab æterno fuiſſet. Quod planè non procedit, ſi pax fracta eſt contra ipſum Dominum aut ſupremum Principem. Tunc enim agnati, ac multo magis filii, à ſucceſſione feudi, licet illud avitum & antiquiſſimum fuerit, excluduntur, & revertitur feudum ad Dominum. Ut videlicet injuria Domino facta hoc modo vindicetur. Neque enim primi acquirentis prærogativa tanta eſt, ut primæ inveſtituræ tacitam exſuperet conditionem, nimirum ut eatenùs omnes agnati primo acquirenti in feudo ſuccedant, quatenus accepti beneficii memoriam non depoſuerint, ſeque non ingratos erga primum concedentem ejusque ſucceſſores oſtenderint. Et hanc tacitam conditionem ſub verbis illis, quæ inveſtituræ inſeri ſolent : *Salvis ſemper noſtris & Imperii juribus*, intelligi, & pro expreſsâ haberi, per varia jura & DD. probat citatus Gaylius. Aliqui contrarium docent quoad agnatos : filios tamen omnes excludunt ; eo quod filii cenſeantur eadem perſona cum patre, & hoc vivente pro Dominis habeantur : Agnati verò vivo delinquente Domini feudi non ſint, & jure, quod non poſſident, privari nequeant. Ubi autem Majeſtatis læſæ crimen per fractam pacem, veluti ſi quis contra Cæſarem vel Imperium, ubi jure experiri potuit, arma moveat, committitur ; nihil eſt, quod impediat confiſcationem bonorum & feudorum, quæ ſub Imperio ſunt. Quia tanta hujus criminis indignitas eſt, ut non ſolum bona delinquenti auferantur ; ſed etiam imaginum jura & nobilitatis inſignia amittantur, & ſic toti familiæ, præſertim prolibus, perpetua quædam ignominiæ nota inuratur : quapropter meritò à ſucceſſione feudi ob damnatam, vel damnandam memoriam delinquentis ipſi agnati, & multo magis filii excluduntur. Et licet hanc veritatem tàm in Imperii conſtitutionibus, quam ipsâ ratione & jure gentium fundatam limitare volue-

De pac. pub. l. 2. c. 13.

voluerit Baldus, quoad illa feuda, quæ in genus cum regalibus conceduntur, tamen in c. 1. §. fin. de eo, qui ſibi & hæred. hoc ſe facere non poſſe, & alios tenere contrarium, dixit. Nam arma movere in ſuum ſupremum Dominum, pacemque indè turbare Reipublicæ eſt *Rebellio*, quam damnat jus divinum Deut. 21. verſu 27. 1. Sam. 15. 23. & plusquam centum aliis Biblicis locis. Lib. 3. Rectè Xenophon de expeditione Cyri dixit: *Qui contra Imperatorem ſuum ſeditionem concitat, is in ſuam ipſius ſalutem ſeditioſus eſt.*

LIBRI DECIMI
Sive
OLEÆ PACIS
PARS II.

Agit de variis pacificationibus Europæ, præſertim quæ interceſſêre inter Auguſtiſſimam domum Auſtriacam & Coronam Franciæ.

CAP. I.

Mens Autoris de variis pacificationibus Principum.

1.

NIhil magis, Politicum hominem callere expedit; quam Principum Europæ compendia, Status arcana, prætenſiones, machinas & tentamina cujusque, incommoda, etiam multorum, diſcrimina, anguſtias, injurias & pericula ab æmulis vicinis; & ejusmodi; quæ non ſo-

ſolum per ſe dignum jucundumque eſt, noſſe ; ſed quia præcipuè talia Lumen facilitatemque agendi ex æquo, publica negotia, ac quascunque tricas, & obſtacula, tàm cum effectu prævertendi, quam ad ea cum autoritate reſpondendi, abundè ſuppeditant. Ea verò præcipuè ex multifariis transactionibus, Pacificationibus, Induciis, quas plerumque Viri rerum expertiſſimi, inter Principes & Regnorum coronas conficere ſolent, utiliter deſumi, & veluti in ſpeculo, etiam longè remota, ſive rerum emolumenta, ſive diſcrimina ; arcanaque cujusque Statûs perſpici, vel ſaltem conjectari poſſunt.

Ejusmodi transactionum plerasque in epitome, ne Politices amans Lector opus habeat prolixitate Hiſtoricâ, ſubminiſtrabimus.

2. Scripſerunt autem etiam Juris-Conſulti jura atque conſilia varia ad Principes, ex ipſis transactionibus Pacificationum eruta, ſive defendendo, ſive impugnando.

3. Ut Caſtrenſis conſilio 432. Vol. 1. Gofredus in Paraphraſi feudorum. Gravetus conſilio 685. Ancorannus conſilio 204. Baldus vol. 2. conſilio 261. Sigovius de Regibus Italiæ libro 14. folio 529. Angelus conſilio 261. Alciatus conſilio 151. Grotius de jure Batavorum ad India commercia. Pacius pro Republicâ Venetâ; Hermanus Auctor actorum publicorum Imperii, &c. &c. Et alii quam plurimi, qui tamen omnes, niſi Hiſtoriæ plenâ cognitione utantur, combinentque tempora, ac Perſonas diſtinguant, facta item rectâ lance ponderent, fallentur aliàs, & alios fallent.

4. Enim verò ex facti ſpecie, quam hiſtorica Narratio ſuppeditat, jus oritur. Et ut illa eſt, ſive erronea, ſive vera, tale quoque jus eſſe neceſſe eſt. Talis quippe eſt fabrica, quale fundamentum. Ruente hoc, ruit illa ; jus fundatur in facti ſpecie : hæc ſi veritate deſtituatur, neceſſe quoque eſt, prætenſum indè jus Juſtitiâ deſtitui. Hinc tanta Juris Conſultorum jurgia & diſceptationes ; ultrò citròque fundamentis ambiguis refertæ, ut perplexum reddant hominis judicium : vel fateri li-

ceat Mundum tantummodo opinionibus regi, aut cum illo tenendum : Ne fallamur, credamus nemini. Denique in hâc historias scribentium colluvie nulla causa tàm turpis est, quæ suum patronum aut juris patrocinium non nanciscatur.

CAP. II.

De Pacificationibus inter Coronas Hispaniæ & Galliæ.

1.

REm hanc ab Anno 1364. ordior : quo Joannnes Valesius fato functus, quatuor filios superstites reliquit. Carolum, Ludovicum, Joannem & Philippum. Carolus Patri successit in Regno Galliæ. Philippo verò natu minimo ex testamento Patris, cum quo apud Anglos diù ærumnas captivitatis pertulit, Burgundiæ Ducatum pleno jure cessit.

Frisard. hist. lib. 1. pag. 66.

Et hic ille Philippus est primus Conditor Burgundicæ Familiæ, ex quâ derivarunt per Mariam Burgundam, omnes, post Maximilianum Imperatorem Primum, Archi-Duces Austriæ, & Hispaniæ Reges. Et hæc à Patre assignata hæreditas, consignata fuit Philippo absque omni reservato absoluta, & libera. Hanc ille ductâ in conthoralem Margarithâ Ludovici Flandriæ Comitis filiâ auxit, & Ducatui Burgundiæ adjecit Anno 1369. Artesiam, Flandriam, Burgundiæ comitatum, aliasque Belgii Provincias.

2. Exindè orta inter Gallicam & Burgundicam domum (licet eadem esset,) ex livore nimirum Fraterno in fortunam Philippi maxima æmulatio, & ex hac deinceps perpetua, in ultima hæc usque tempora, discordia & bellorum seges.

3. Primum illa erupit in coronatione Caroli VI. ubi Dux Andegavensis Burgundum, Philippum nempè Audacem, antecedere nitebatur, licet Regis sententia Primatum Burgundo debe-

ri

ri pronuntiatum fuiſſet. Id ingentem livoris flammam in Gallis Principibus contra Burgundum excitavit : quæ adhuc magis exarſit, cum Carolus VI. in mentis alienationem (an caſu, an præſtigiis ? ſuperis notum eſt,) incidiſſet, & inter Joannem Philippi Burgundi Filium, & Ludovicum Aurelianenſem de Regni interea adminiſtratione exortâ quæſtione, Burgundo adminiſtratio commiſſa fuiſſet, cum vero Aurelianenſis nihilominus Regnum affectaſſet, Pariſiis noctu interfectus eſt. Quod licet Burgundo imputaretur, à Rege tamen ille abſolutus, & Aurelianenſem boni publici cauſa occiſum jure fuiſſe, palàm edixit. Et hæc fuit ſecunda cauſa diſcordiæ inter Domum Burgundicam & Galliæ Regiam. Neque hic arbitretur quispiam Burgundiam tunc incorporatam fuiſſe Galliæ, hoc nusquam legimus, niſi poſterioribus temporibus, ubi Galli ſibi jus arrogant in omnes adjacentes Principatus, ut illis nimirum commodum videtur. Sed prætextum hoc jus nullibi fundant ; niſi in vulgato illo Gallorum diverbio : *Par tel noôtre plaiſir.* Vel in ſtatuâ illâ (Nabuchodonoſoris exemplo) à Ludovico XIV. Pariſiis inter tubarum clangores erecta, & ab omnibus Regiis Principibus, Regnique ſummatibus detectis nudisque capitibus excepta ; ubi fortunatus iſte (plusquam fert Regum memoria) Rex Europæ ditiones omnes ſub pedibus provolutus habet. Vel in Epigraphe illâ, quam in monetis ſacris idem Rex ſculpi præceperat: *Nusquam mihi meta.* O Vanæ hominum cogitationes, vel Galliæ potiùs deliria ! DEUS omnibus mundi Regnis poſuit ſuam periodum, fixitque metam.

Nil ſibi quisquam ſpondere poteſt
Firmum & ſtabile. Seneca in Oeta.

Caroli V. illud *non plus ultra*: jam tranſcenſum eſt. Ejus omnis gloria, Potentia & Magnificentia tandem clauſtrali tugurio incluſa. Sed non abit hoc Gallis in exemplum, quorum vocatio non tam ſancta. Et reverâ ætate hâc noſtrâ Ludovicus XIV. jam arbitrari videbatur in Europam ; at rebus omnibus lex illa inſita eſt, (ut Ethnicus ille Philoſophus, & Neronis olim non In Præfat.

minus morum Magiſter, quam Aulæ Miniſter Seneca diſſerit,) ut ad ſummum perducta rurſus ad infimum; velociùs quidem, quam aſcenderunt, relabantur, occœcat animos Galliæ Regnum fortunæ nimium blandientis Hypocriſis, quia potentiam ſuam frangi non poſſe vanè exiſtimant. Quanti ruêre, cum ſe ſtare rebantur? Hoc fortunæ ſive Laudanum, ſive Mandragora eſt, ut dementes ſuos ſectatores, ne præteritorum recordentur, qui inſtabilitatis exemplo eſſe valerent, ſed præſentium dulcedine velut læthargo ſopiantur.

4. Siſtet aliquando divina Nemeſis tot per cædes & ſtrages innocentum injuſtè factos progreſſus: Et forte Lapillus ab Auſtro veniet, qui ſuperbam illam ſtatuam Pariſianam, veluti olim Nabuchodonoſoris ſubruet, ſubvertetque in præcipitium. Facilè eſt progredi, ubi nulla Syndereſis, nulla fides, nulla jurisjurandi Religio in pretio eſt. Horum ſiquidem reſpectus multos continet Principes, ne ea agant, in quibus Galli exultant. Si Regibus Franciæ licet, quod libet; Auſtriacis Principibus licet, quod expedit.

Hæc verè dicta ſunto per tranſennam.

5. Regredior ad Philippum & Joannem, utrumque Burgundum, quorum ille primatum, hic adminiſtrationem Interregni prætendens, uterque obtinuit ſuum. Nemo verò exiſtimet, id præcisè factum fuiſſe titulo Burgundiæ, ac conſequenter feudi Francorum Regni: ſed quia illi de Regum ſtirpe erant, quod jus ſanguinis non territorii eſt. Multi jam alii Regii ex Franciâ Principes ad Regna & Provincias aſſumpti: non adeò Regna illa & Provincias juris Gallici fecêre. Joannes igitur & Philippus potius ex ſententiâ Regis ad faſtigium, illud provecti, nihil Burgundicæ libertati officiebant.

Lib. 9. in Carol. VI. 6. De utroque teſtatur hiſtoria Gallica. Guaguinus enim ait: Carolum, conſultatione cum proceribus habitâ, adjudicaſſe Philippo Burgundo primam ſeſſionem. Quam, cum præripuiſſet vi & ex inſidiis Aurelianenſis, vi etiam Philippus inter medium, id eſt, inter Regem & Aurelianenſem ſe dextrè ſtitit, ut vide-

videretur, si non Regi ipsi, saltem suo æmulo eviciſſe primum locum. Hinc cognominatus fuit Burgundus audax.

De altero ſcribit Troſſardus : Dubitatum deſuper, an Regis Fratri Duci Aureliæ adminiſtratio rerum eſſet commitenda? Placuit, eam eſſe debere penes patruelem, eo quod Frater per ætatem Regno non ſatis proviserat. Lib. 3. pag. 259.

Tertium diſſidium exortum eſt, quod Ducis Aureliæ filius, contra jus gentium & datam fidem, ubi Carolus VII. adhuc Delphinus Caroli VI. Filius ad pacem componendam inter Aurelianenſem, & Burgundicam domum, præfatum Joannem Ducem, Monſtrelium, oppidum ad confluentiam Sequanæ & Saonæ, vocaſſet, quovè cum veniſſet Burgundus, mox in conſpectu Delphini eundem, immiſſis ſicariis, occidiſſet. Guaguinus lib. 9. fol. 206.

8. Exindè Joannis Filius Philippus, cognomento Bonus, in ultionem Patris ſe Anglis conjunxit, & 30. fermè annorum bello feliciſſimè contra Gallos geſto, eatenus Galliam afflixit, ut Carolus VII. per Borbonium Ducem à Philippo pacem peteret, quæ cum maximâ non minùs gloriâ, quam utilitate Burgundi ita concluſa, ut ſepoſito cum Anglis fœdere, ac exautorato ſuo milite, Carolus VII. Philippo cederet civitates Ambianum, Mondeſiderium, Peronam, ſanctum Quintinum & Abbatis villam, cum comitatibus duobus, nimirum Pontiviaco & Boloniæ. Et quia terræ hæ ad Campaniam, Regnumque Galliæ ſpectabant, Reverſales dedit Philippus, ſe eas poſſeſſurum ſub Caroli Imperio & Parlamenti directione. Ubi nec tunc, neque priùs unquam ratione Burgundici Ducatûs (quod notandum,) ejusmodi quidpiam Galliæ reſervatum fuit. Hæc autem Pax Atrebati concluſa eſt Anno 1435. Guaguinus lib. 10.

9 Carolo VII. ſucceſſit Ludovicus XI. Filius nimirum Patri, à quo aliàs in vitâ perpetuò diſſidebat, ideòque à Philippo Burgundo, ut plurimum, educatus, & inſtructus, ſed in malam ſortem Burgundiæ. Rex etenim factus, ſubitò non ſolum Principum ſanguinis ac Magnatum Regni libertatem reſtrinxit, provectâ ad ſummum usque abſolutumque Imperium Regiâ auto-

ritate ; verum etiam ingratus Educatori ſuo Philippo, hujus filium Carolum (à quo per maternam lineam deſcendunt Auſtriaci moderni) averſabatur, eique in paterno ſolo inſidiatus fuit: Cum enim Carolus ad Hagam, Hollandiæ Vicum, ſui ſecurus ſubſiſteret, ſubornavit quendam Rubenprium Rex , qui Burgundum ex inſidiis caperet. Ob hanc cauſam, ut erat aliàs Carolus ſenſibilis, conjunxit ſe cum Principibus & Magnatibus Regni, Regique inteſtinum bellum conſcivit, quod pro bono publico cognominabatur. Sane hiſtoria Franciæ teſtatur. Ludovicum à Carolo Burgundo velut vulpem in latibulum ita actum fuiſſe, ut nunquam propiùs à caſu abfuerit. Ideò ille pacem inire conſtituit Anno 1468. eamque Vincenii cum Burgundo ita concluſit, ut Carolo rurſus eas Urbes & Comitatus, quæ Ludovicus Rex jam prius ſolutâ pecuniâ à Philippo Caroli Patre redemiſſet ; nimirum Peronam, Royam, & Mondeſiderium, ad hæc Guinanum & Boloniæ comitatum in perpetuam poſſeſſionem cederet, ut Gallus Hiſtoricus teſtatur Guaguinus.

Buſieres lib. 12.

Cominq. lib. 2.

Lib. 10.

10. Et hinc beneficiario jure ſibi ſubjectum eſſe Burgundum inſultabat aliquando Ludovicus per Morvilerium Cancellarium Philippo : quod iſte ægerrimè tulit, & licet jam ſenio confectus acerbè Cancellario repoſuit : *Se his majora poſſidere à Clientelâ Regis immunia, & per ſe unum ſtetiſſe, quo minus Rex foret*: Undè liquet, nihil Gallis eſſe in Burgundiam : neque implicare, quin unus ſit in ſuo Statu abſolutus, & extra illum dependens ab alio. Sic Sueciæ Rex in ſuo Regno abſolutus, dependet tamen reſpectu Pomeraniæ ab Imperio ; ſic Hiſpanus reſpectu Mediolani. Ex prædictis conſtat, duas præcipuè inter Galliæ Reges & domum Burgundicam interceſſiſſe pacificationes, quibus nunquam quidpiam demptum eſt Burgundiæ, ſed adjectum potiùs multum ex Galliæ ditionibus, titulo tamen tantum feudi, ut ſuperiùs per Diſcurſum vidimus. Interceſſêre quidem etiam aliæ particulares pacificationes & induciæ, quia inter iſtas duas domus, præſertim tempore Ludovici XI. (qui Rex fuit præcipitis variique , ac ipſis ſuis intimis vix perſpecti inge-

Buſieres lib. 13.

ingenii) continuæ, ut Cominæus verè ſcripſit, extitêre colluctationes, ægra ſemper amicitia, & nunquam firma pax.

11. Porrò in præfato Carolo extincta fuit Burgundica maſculina, & tàm ob egregios ſtrenuosque Principes, quam ob ampliſſimas Provincias & ditiones verè Regia domus. Is enim Anno 1477. apud Nanceium malo fato, & ex inſidiis ſui Tribuni periit, Helvetiis, cum quibus pugnabat; relictâ priùs dubiâ, deperdito ſævero Duce, certâ ac plenâ victoriâ, quâ iſti egeſtati aliàs aſſueti, non ſolum opulenti, ſed & indomiti planè facti, inſultabant deindè omnibus Principibus; & ex tunc gentem hanc prius obſcuram, maxima Europæ Regna in fœdus & amicitiam procabantur.

12. Hæres Caroli ex aſſe remanſit præſtantiſſima Virago Maria, Burgundiæ jam unica Domina. Tanta Hæreditas conjuncta Regiæ Nobilitati, ac raræ virtuti procos facilè habuit, quorum Galliæ Delphinus unus, alter Maximilianus Archi-Dux Auſtriæ, & Friderici Imperii Filius; verum iſte alteri à Principe puellâ prælatus, tàm ob maturam ætatem, quam proximam ſpem Imperii, negotium maximè promovente egregiâ Matronâ Haluinâ, ac in pleno conſilio dicente: *Nobis opus eſt aliquo viro, non puero: jam eâ ætate eſt Maria, ut liberos gignere poſſit, quod nobis & toti Provinciæ neceſſarium eſt.* Et hæc vicit, ait Cominæus, in conſilio ſententia.

13. Adeptus itaque eſt Maximilianus cum Mariâ Burgundâ nobiliſſimas Provincias, quarum multæ finitimæ Galliæ, adeòque Ludovico XI. Regi, veluti ſpinæ in oculis fuêre. Quod ille igitur per nuptias Delphini aſſequi non potuit, vi & aſtu tentavit. Aſtum in eo oſtendit, quod comminiſcebatur Burgundiam, Flandriam, Arteſiam Clientelas & feuda eſſe Coronæ Galliæ. Aſtum conſecuta eſt vis, quippe ex improviſo Burgundiam, Piccardiam, & Arteſiam armis hoſtiliter invaſit; & non ignobilem harum Provinciarum partem occupavit.

14. Ab adverſo Maximilianus aſtui jus opponebat, & Burgundiam ab antiquo ad Principes ſuos jure proprietatis & Do-

minii

Paradeinus de antiquo Statu Burg. c. 16.

minii ſpectare, neque fœminas à ſucceſſione excludi, deficientibus maſculis conſtanter probabat. Quod ipſum ex primo Galliæ Miniſtro, veraciſſimo hiſtorico Cominæo conjectare licet. Ait enim in Comment. 8. & 9. *Ludovicum Regem in haſce Provincias nihil juris habere, immò ſemper occaſionem quæſiſſe univerſam domum Burgundicam delere, & protinùs extirpare.* Quod neceſſe non fuiſſet, ſi illæ Gallici juris fuiſſent. Adeò: quod adhuc tempore Caroli Burgundi in vitâ exiſtentis, Imperatorem Fridericum in communionem armorum & prædæ per Tercelinum Legatum vocaverit, & ſpoſponderit, devicto Carolo inter ſe & Fridericum ex æquo diviſurum Provincias, ſi armis contra Burgundum juvaretur. Friderici verò reſponſum in Apologo refert Cominæus: *Urſi pellem, antequam caperetur, non eſſe dividendam.* Ejusmodi aſtu ſuperior, ſi quis eſt, in res vaſalli opus non habet.

Lib. 5. fol. 485.

15. Nec jure ſolum, ſed etiam armis agebat Maximilianus, dotemque Mariæ ſtrenuè tuebatur. Prælio etenim inter Tornacum & Ariam contra Gallos inito, campum gloriosè obtinuit. Et exindè pacificatio jam tertia inter Gallos & Burgundos, & prima inter illos & Auſtriacos confecta Anno 1482. Cujus meminerunt Cominæus lib. 9. & Tarcagnota lib. 20. Videlicet: Pacem Ludovicus per Gandavenſes cum Maximiliano ita iniit, ut illius Filius Carolus hujus filiam Margaretham ſuo tempore in conjugem duceret, atque Bolonienſem, Matiſconenſem, Altiſſiodorenſem, & Carolocenſem ditionem in ſuâ poteſtate retineret. Ipſe viciſſim Atrebatum reſtituere promittebat. Utriusque verò Burgundiæ (quod notandum,) & eorum, quæ ſunt ad Saonam fluvium, nulla fuit facta mentio, ut expreſsè ſcribit Guaguinus de rebus geſtis in Franciâ libro X.

16. Et hæc pacificatio, ut paulo ante meminimus, eſt tertia Galliæ cum Burgundiâ, & reſpectivè cum Auſtriacis Principibus prima, ſed infirma valde, culpâ nimirum Caroli Octavi, qui Ludovico XI. ſucceſſit in Regno, ſed non ſecutus ejus monita, quibus moriens dehortabatur filium, ut Maximilianum ſibi amicum

cum magis quam inimicum procuraret. Dedit autem Carolus inimicitiæ æternæ plus quam evidentem causam; ut præ indignatione, quam totus mundus, ac multi etiam Galliæ Ministri & Principes conceperant, tremere videatur meus calamus; cum tantam rei indignitatem, facinusque etiam apud Barbaros rarò visum, scribit.

17. Rapuerat etenim Carolus ex insidiis Annam Francisci Britanniæ Ducis unicam filiam, quam Parens Britanniæ hæredem nominaverat, & post ejus excessum Auriacus Princeps Virginis tutor & Avunculus, eam Maximiliano publicè desponsaverat. Indignum hoc facinus, violentumque pronuntiat Taracognota, testaturus, ab omnibus, etiam plebeis hominibus, fuisse vituperatum. Lib. 21.

18. Neque in hoc solum perstitit Caroli rustica Sordities: Nam Margaretam, Maximiliani filiam ante aliquot Annos sibi desponsatam, sibique Parisiis conviventem ex improviso repudiavit, domumque remisit; & hujus loco raptam ac in mortem usque desolatam Annam Britannam, Maximiliani Conjugem, metu, spe, illecebris, denique vi in matrimonium (si tamen tale dici potest) conjunxit. Sanè Cominæus ipse Caroli Amicus, Aulicus, & inter primos Galliæ, dubitat, ubi ille libro 1. de bello Neapolitano ita scribit: De hisce Nuptiis non idem erat hominum judicium, Sacrarum rerum quoque periti non uno modo pronuntiabant, ipsisque fœminis Annæ & Margaretæ infeliciter, accidit. Quid enim Principibus puellis amariùs accidere potuit, quam uni repudium; alteri raptus & vis?

19. Necessitas sive acerbitas tamen temporum Vatinianos hos inimicos in Pacem coëgit Anno 1493. Hoc fine & præcipuè ex instinctu Helvetiorum miserat Rex Borbonium, Auriacum, Condæum & Nobilissimum virum Cominæum, ad Maximilianum, qui in hunc modum pacificarunt ambos, ut testatur Jovius hist. lib. 1. Primò Carolus cum multo verborum honore, in excusationem inhumanioris facti, se non ex libidine, aut ex contemptu Maximiliani, sed inpulsum temporum ac bellorum necessitate,

ad eas nuptias descendisse, fateri debuit. Secundo restituit ultrò omnes ditiones dotales, quæ insignes à Maximiliano cum Margareta datæ, tantæque fuêre, ut reclamarent plane desuper Burgundiæ & Belgii subditi.

20. Hæc pacificatio, quæ aliàs atrocissimum Bellum impedivit, firmior constantiorque fuit, quam ulla ex præcedentibus; neque obfuit quidpiam Maximiliano, quin Burgundiam, & adjacentes Belgii Provincias in Ordinem redegerit, & Juris Imperii, quod olim erant, fecerit. Nam, ut jam suprà insinuavimus, Burgundia olim Regnum fuit, cujus Rex fuit ultimus Rudolphus VI. ignavus dictus, hic moriens coronam Cæsari Conrado II. misit, & ita cum eo Regnum Anno 1032. expiravit, atque Burgundia Romani Imperii facta Provincia. Cujus partem (*la Duchea*) nunc usurpant Galli, quasi illa non transire potuisset in Colum, utpote Galliæ feudum, quod tamen non erat, sed Imperii.

21. Nunc verò, ut sæpe solet, Ratio, bonaque causa cedere debet violentiæ, dividitur Burgundia, in Occidentalem & Orientalem, illam etiamnum possident Galli, hanc Austriaci, quæ facit circulum Burgundicum, non quidem sola, sed cum aliis Belgicis Provinciis, penditque tantam, ut tres Electores, collectam Imperio in casu belli Turcici. Cæterum multis privilegiis gaudet, & apud Cameram non nisi in casu fractæ pacis conveniri potest.

Carpzov. in 1. Regiâ Germ.

22. Post confectam cum Burgundo, vel Austriaco potius, pacem Henricus VIII. animum, bello Italiæ inferendo, applicuit, atque valido exercitu Statum Neapolitanum ingressus sine magnâ remorâ Regnum totum occupavit, ut passim ex historiâ liquet. Prætextum vero habuit, quem ille pro Jure & titulo asserebat, â Renato Andegavensi, & testamento Joannæ secundæ, quod autem suppositicium fuisse testatur Calenutius historiæ Neapolitanæ lib. 6. fol. 179.

Belleforet. hist. Franc. lib. 14.

23. Caroli summa prosperitas, ut Gallicus Autor scribit, citò in contrarium flexit; & florum instar, qui se ociissimè explicant, celerrimè emarcuit, Regni impetu eodem elabente, quo venerat. Putabat enim Rex, ibi regnare esse, idem ac ludere: hinc socor-

ſocordia omnium officialium, qualis inter primos erat Lignyus Comes: diſſoluti in libidines effrenatas Franci milites: divendita non Regis fœnore ſed privatorum avaritiâ officia: neglecta præſidia, & contemptus in viciniâ hoſtis, qui ex inſidiis impendebat Vigl. in ruinam Gallorum; Igitur pertæſo Jugo Francico & Francis, ipſis Patriæ deſiderio plenis (quia Voluptatum fortè pertæſi aſpirabant abitum magis, quam tuebantur munimenta) Neapolitani, Autore Arragoniæ Rege, conſciverunt in fœdus omnes fermè Italiæ Principes, inter quos ipſe Papa ardentior, ad expellendos ab Italiâ Gallos. Hi vero vota confœderatorum ultrò prævenientes potiùs feſtinarunt magnis Itineribus in Galliam, quam pugnaſſent in Italiâ. Hoc in itinere, vel fugâ potius, Regi non exigua infortunia ſe objiciebant; non ſolum Appennini aſcenſus lubricus & difficilis? Helvetiorum Pontremovii tumultus: verum etiam, & maximè aggreſſio hoſtilis confœderatorum cum valido exercitu ad Portum novum: Ubi Regi à latere Borbonius raptus & periclitabatur ipſe, ne vel occumberet, vel caperetur: niſi generoſitas Equi Regium inſeſſorem aperto diſcrimini ſubduxiſſet. Hâc Neapolitanâ Expeditione Galli aliud victoriæ, ſive præmium ſive emolumentum non reportarunt, niſi turpiſſimam veneris luem, quam illi apud fæminas Neapolitanas, priùs hâc lue ab Hiſpanis, qui eam ex Indiis tulêre infectas contraxerunt. Adeo rarâ viciſſitudine res Galliæ in Italiâ afflictæ fuerunt, & magnâ profectò Gallorum ignominiâ: Sive Neapoli malè & infeliciter pugnantium, vel potius inter illecebras oſcitantium; Sive ex Regno parcè & negligenter ſubminiſtrantium congrua ſubſidia & nervum belli.

24. Sæpè deinceps reaſumpſit Carolus animum in res Italiæ, ſed æquiùs duxit domeſtica curare priùs, quam de alienis certare, cum enim ex morbo decumberet, ſanavit mentem Regis optimus DEUS, ſicque internè exulceratam vitiis conſcientiam, divino afflavit lumine, ut Rex ex illo morbo convaleſcens novus appareret Regno Rex, nulli amplius illecebræ datus, non profuſus, Juſtitiæ, pietati, Ærario, Regnique neceſſitatibus intentus,

abſtractus à luſu, & ludicris omnibus; Denique immutatus in tantum, ut ſemel familiaribus ſuis dixerit; *Se opitulante divinâ ope, nunquam impoſterum peccaturum in DEUM.* Hæc vix pronuntiaverat, cum illicò apoplexiâ tactus, exemplum reliquit poſteris Regibus melioris vitæ; Succeſſori vero Ludovico XII. curam Expeditionis Neapolitanæ, quam ille meliori compendio cum Regno Cœleſti commutavit.

25. Intereà ut antiquiorum temporum circa Siciliæ & Neapolis Regna, plurimas viciſſitudines, & controverſias, de quibus varii varia, præteream, illud indubium eſt Ferdinandum Catholicum Hiſpaniarum Regem, Alphonſi Arragonii Primi, qui utrumque Regnum Regiâ poteſtate poſſidebat, fratris filium, apud Italos Nepotem dictum, fuiſſe. Alphonſus quidem filium habebat, ſed illegitimo thoro natum; adeoque præ hoc Ferdinandus Jure adjiciebat animum ad præfata Regna ſibi vendicanda. Idve Arte & Marte egregiè præſtitit.

26. Cum enim videret id absque offenſione Gallorum vix fieri poſſe, nevè tam externo, Franciæ videlicet, quam interno, nimirum Friderici tunc Regni poſſeſſoris, atque æmulorum ſuorum, bello obrueretur, nec duobus hoſtibus uno tempore impar eſſet; magnâ profecto prudentiâ & Statûs Arcano, cum Ludovico XII. conſilium iniit, pactis inter ſe induciis, ſimulque fœdere icto, conjunctis viribus Regnum Neapolitanum invadendi, eoque recuperato inter ſe ex æquo dividendi. Induciæ hæ, & hæc inter hos duos Reges (nam à Caroli VIII. tempore, hoſtilitas nunquam deſierat) Pacificatio facta eſt Anno 1501. ut conſtat ex Guiccardini hiſtoriâ libro. 5.

27. Conjunctis proinde armis Ludovicus & Ferdinandus contra dictum Fridericum ob parentis Natales illegitimum Regem progreſſi, facilè vicerunt ſemiinermem, occupato undique Regno, ac ob pacificationem ſuperiorem inter ſe diviſo: Verum enim vero ſolium ægre fert duos Principes, livor & æmulatio non ſinit, ut unâ ſede diù commorentur, Viſum hoc eſt in pacificatione ſupra dictâ, quæ leve pondus ac firmitatem addidit

divi-

diviſioni factæ. Ex limitibus diviſarum Provinciarum orta eſt quæſtio, & ex hâc atrox bellum. Diſputabant primo Nomina limitum, quæ aliud olim, aliud poſtea ſignificabant. *Vetera* volebant Galli, *moderna* Hiſpani quærebant; donec ex controverſo Jure, Armorum deciſio peteretur. Rem verè deſcribit Italus hiſtoricus Guiccardinus; quem in Italicâ hâc controverſiâ inter externos Principes, æquum Judicem arbitramur. Lib. 5. & 6

28. Anno 1504. magni, ait ille, longè latèque periculoſi motus, & ex quibus maximi momenti res immutatæ ſunt in Regno Neapolitano inter Galliæ & Hiſpaniæ Pro-Reges exorti, gliſcere incipiebant, quorum origo fuit, quod, cum ex illâ Regni diviſione uni Laborii terra &c. alteri Apulia &c adjudicata eſſet, Provinciarum fines & termini non bene exprimebantur. Ex quo uterque eam partem quæ nunc capitaneatus dicitur, ſibi arrogavit. Huic controverſiæ priſcorum nominum ab Alphonſo Arragonio primo Neapolitano Rege patruo Ferdinandi Catholici, immutatio facta, occaſionem dedit. Qui ut cenſus & vectigalia faciliùs exigeret Regnum univerſum in VI. præſertim ditiones, id eſt, Regni partes diſtinxit: id eſt, Terram Laboriam, Principatum, Baſilicatam, Calabriam, Apuliam, & Aprutium. Ex his Apulia in tres partes rurſus ſubdividitur: in Hyduntimem, Barenſem, & Capitaneatum, qui Capitaneatus, cum Aprutio ſit conjunctus, ab Apuliâ reſiduâ flumine Lofanto interciditur. Galli igitur novam hanc appellationem intelligere nequibant, veterem autem urgebant, dicebantque, Capitaneatum aut diſtinctum eſſe à reliquis quatuor ditionibus ſive terris, aut Aprutii magis, quam Apuliæ partem eſſe. Ratio autem maximè diſſidii fuit, quod qui Regum non haberet Capitaneatum, nullum ex pecoribus vectigal (magnum ejus Regni vectigalium membrum) percipere valeret.

29. Deſuper Hiſpanus Jus vel ideò præcipuè prætendebat; quod in controverſiis de Provinciarum nominibus & terminis ſemper præſens conſuetudo obſervari ſoleat; atque huic ſpectare Capitaneatum conſtanter aſſeverabant, hujusque Judicii ipſe citatus hiſtoricus fuit.

30. Interea Gallus Hiſpani Jus, vi repellere geſtiens, cum ſe armis ſuperiorem ſciret, Hiſpano Pro-Regi, vi illicò Capitaneatum cederet, bellum indixit: nec diu bellatum, nam Conſalvus Hiſpanicarum Legionum non minus Generalis Præfectus, quam Regni Pro-Rex tamdiù fatigavit Gallum, donec Regno & Italia fermè totâ excedere debuerit.

31. Exinde Pacis tractationes ultrò citròque oblatæ & ſuſceptæ, tandemque Anno 1505. in hunc modum concluſa: Primò, pactum eſt matrimonium inter Ferdinandum Catholicum Hiſpaniarum Regem, & Germanam Foſſeiam, Galliæ Regis ſororis filiam, cum dote medietatis Regni Neapolitani, uti in diviſione primâ factum fuit. Hiſpaniæ vero Rex pro impenſis à Gallo in bellum ſumptibus, decies centena auri millia intra decennium exſolvenda obligabatur. Secundò Clientes Galliæ, & qui ex Neapolitanis Magnatibus Gallum ſequebantur, omnes reſtituti in bonis, dignitatibus & antiquis privilegiis. Tertiò, ſi Foſſeia, Regina nunc Hiſpaniæ, in prolis decederet ſuperſtite Marito Ferdinando: tunc ſuperſtiti dotem ſive partem Regni Neapolitani, quam in dotem attulerat, Marito Ferdinando: Si verò illa ſuperſtes ſine prole maneret, Regi Galliæ præfatam partem relinqueret. Verum Ferdinandus aſtu prævenit conjugem & Gallum; & à Pontifice Julio Secundo, cum diſſidere hunc videret à Pontifice velut fautorem Piſani Conciliabuli, petiit inveſtituram, huncque adeptus à præfato Pontifice pro ſe, ſuisque Hæredibus cum eximiis Privilegiis ac abolitione omnium inveſtiturarum, quæ prius quomodocunque conceſſa fuiſſent. Sicque tertiam Pontificationis conditionem licet Ferdinandus præmoreretur Foſſeiæ uxori, nunquam purificare, neceſſe fuit.

32. Hanc Pacificationem inter Ludovicum & Ferdinandum, præceſſit alia, ratione Ducatus Mediolanenſis inter præfatum Ludovicum & Maximilianum poſt mortem Friderici electum Imperatorem: nam licet ex hæreditario jure nihil fuit Maximiliano cum prædicto Ducatu, ſpectabat attamen, ut ad Imperatorem circa Mediolanum diſponere veluti feudum Imperii. Hoc Bodinus

dinus ipſe Gallicarum rerum partialis Scriptor fatetur: Ducem Mediolanenſem fiduciarium eſſe Imperii Germanici, cui Dominatum agri Mediolanenſis accepto ſemper tulit, & conſueta Vaſallorum Jura exſolvit, quod etiam Ludovicum XII. Galliæ Regem feciſſe, aſſeverat. de Republ. lit 1. c. 9.

33. Hunc Ducatum procantur omnes ferme Principes, quia velut ſpecula & arx eſt totius Italiæ, Galliæ & Germaniæ. Et Cominæo obſervante, qui Mediolanum tenet, eum reliqua in Italia ad nutum habere. Hinc ratione hujus multifaria Bella inter Principes exorta. Alivetius.

34. Porro Mediolanenſis ille Ducatus, velut Imperii feudum, primò *Vicarios*, deinde *Duces*, qui ei Imperii nomine præerant, habuit. Galeacius fuit primus Dux inveſtitus ab Imperatore, & Vaſallus Imperii, qui duos reliquit filios, Joannem, Philippum, & unicam filiam Valentinam, Ludovico Aurelianenſi nuptam. Galeacio, & filiis ſuis maſculis demortuis ſine ſucceſſione prorupêre Ludovici Aurelianenſis filii, prætendentes ex Jure materno Ducatum, ſed repulſi à Mediolanenſibus ac ſtrenuitate Franciſci Sfortiæ, Mediolanenſium Capitanei ſupremi, qui in Conjugem habuit Philippi, qui Galeacii filius erat, filiam naturalem, Blancam dictam, in agro Alexandrino victi, ac fugati. Nequaquam enim admittebant Mediolanenſes, quibus Interregni tempore aliqua libertas affulſerat, ut inveſtitura Wenceslai Imperatoris ad ſolos Maſculos deſcendentes reſtricta ad fæminas extenderetur.

35. Eâ victoriâ clari Sfortiani, & non ſolum Patriæ, ſed etiam Jurium S. Imperii propugnatores dicti; tantum meruêre, ut à Maximiliano Imperatore ex hac gente Ludovicus Sfortia in Ducem ampliſſimi Ducatus inveſtiretur.

36. Demum autem Ludovicus XII. Galliæ Rex ex Valentina Galeaca nepos, invaſit Ducatum, primum proſperis armis, videlicet urbibus transpadanis citò expugnatis; Arce Araſſiâ validâ ad Tanarum devictâ, Valentiâ traditâ; Alexandriâ à Sanſeverino & præſidiario milite deſertâ; Mediolano ultra ruente in obſe-

præſidio. obſequium Regis; Arce autem illius, ſicu & arte Europæ totius munitiſſimâ, præſidio ac commeatu provisâ, à Bernardino Cortio ejus Commendante, aureâ clavi hoſtibus reſeratâ: profugo in Germaniam Duce Sforziâ, ac in tantâ calamitate deſperato. Adeò præſtantiſſima Italiæ Provincia ceſſit perexiguo temporis ſpatio in armorum præmium Ludovico: Favente in vota ipſius undequaque fortunâ; ſed hæc paulò poſt faciem mutabit.

Buſieres l. 14. 37. Tum Rex ſtabilitis ex voto omnibus, plebe tertiâ tributorum parte ſublevatâ, reſtitutis exulibus, ac Trivultio, Viro ex primâ Mediolanenſi nobilitate, Pro-Rege dicto, ut populo unius è ſuis eſſet adminiſtratio gratior, revertit in Franciam, abducto ſecum Franciſco, Joannis Galeacii filio, quem in Galliam redux incluſit cœnobio. Hæc Gallus Scriptor.

Vix autem Galliæ limites attigerat Rex, Lugdunique commorans Mediolanenſium inſtabilitatem percepit, deſiderantium præterita, damnantium præſentia, cujus maxima extitit, ipſe Trivultius, cauſa, qui Gelphorum ſectator pertinaciſſimus, Gibelinos habebat crudelius, indolè ſuperbiori & animi altitudine atque potentiâ, ad ſanciendam privatam auctoritatem non publicam uſus; unde Optimates & Nobiles Provinciæ, potiſſimi fermè Gibelini, ab eo, & â Francis averſi, veterem Dominum efflagitabant. Acceſſit procacia Gallorum in Virgines & Matronas: diſcordia inter Trivultium & Albinium, & ejusmodi, quæ optimi ſæpe Principes culpâ aliena luere debent.

idem ibidem.

38. Intereà Sfortia horum certioratus in res ſuas vigilantiſſimus, nondum inſtructo exercitu, Comum advolat, ibique obſequioſe exceptus, vocatur ultrò â Mediolanenſibus, reſtituendus ex integro in primævum ſolium: admiſſus ab omnibus aliis urbibus, præter Novarium, quo ſe receperat Trivultius, & arcem Mediolanenſem apprime inſtructam milite Galliæ. Sequebatur ingens exercitus, cæſis undique cum ſtrage ingenti Gallis; cædentes quippe pro cujusque capite certum præmium referebant; adeo priſtina fortunæ ſerenitas ſe avertit â Gallis, & defecit in Sfortiam, ſed intervallo modico rurſus ſe recepit ad Ludo-

Ludovicum, firmiorque deinceps post tantam volubilitatem permansit.

39. Etenim immisso novo sub præclarissimo Duce Tremolio, conciliatis Trivultio atque Albino, corruptis Helvetiorum Legionibus, quæ in exercitu Sfortiæ militabant; nullâ agendi protractâ mora, suppeditatis utrumque ex regno necessariis, rex ita providerat rebus suis afflictis, ut primo prælio magnâ strage cæsis Italis, ac deponentibus arma Helvetiis, non solum plenam victoriam obtinuerit, ac Ducatum recuperaverit, sed etiam causam ipsam, fomitemque Belli, proditione infami per Helvetios facta (calamitosum nimirum Ducem Sfortiam,) cum iste Helvetiis mixtus sub gregarii militis cultu ex urbe Novaria egrederetur, una cum tribus fratribus Sanseverinis deprehenderit, suique juris fecerit, detentumque ærumnosum Principem per integrum decennium, non aliâ unquam libertate, quam quâ & quando anima separatur à corpore, donaverit. Sic in carcere extinctus, Sfortia Princeps sui sæculi sagaciſſimus, sed Amphibius, artibusque datus nimirum humana sapientia innixis.

40. Maximilianus autem Cæsar, eo quod Mediolanum Imperii feudum, & quidem Masculeum tantum, ac propterea demortuis, sine prole, Galeaceis filiis, ad Imperium reversum, ex antiquis Imperii Chirographis, reque toti Europæ notâ, sciret; Jure æquissimo successionem ex Valentinâ prætensam, Regi Ludovico denegabat; & veluti contra usurpatorem rerum, Juriumque Imperialium Septemviros cæterosque Imperii Principes, & ordines, ad impediendos Gallicos conatus hortabatur, ut nimirum in asserendâ Imperii dignitate sibi auxilio essent, & injuriam non tam sibi, quam Germanorum genti fieri prohiberent. Hinc coactis Comitiis decretum fuit Bellum à Germanis in Gallos.

41. Hoc ubi prævidit Ludovicus, cum Cæsare potius de Pace tractandum, quam dubiæ armorum aleæ subjiciendum omnia existimavit. De Ducatu igitur quæstio fuit, cui ille in feudum committendus? Gallus ambiebat: Sed Imperatori ac

Italiæ Principibus importunum videbatur potentiſſimum Regem ſibi finitimum habere. Cunctatum diu quidem, ſed demum inter Maximilianum & Ludovicum certis conditionibus pacificatio articulatim inita fuit, quam recenſet breviter Guic-
lib. 5. cardinus, ut Claudia, filia primogenita Ludovici, Regis Galliæ, Carolo adhuc impuberi, Maximiliani Cæſaris ex filio Philippo nepoti, in matrimonium locaretur, & Maximilianus quâ Cæſar, inveſtituram Ducatus Mediolanenſis, rejectis aliis omnibus, quando, & quomodocunque conceſſis antiquioribus inveſtituris, Regi Ludovico, pro ſe ſuisque maſculis indulgeret: quod ſi vero Rex decederet ſine poſteritate maſculinâ, Ducatus Mediolanenſis illicò in favorem prædicti matrimonii in Carolum Auſtriacum (qui poſtea glorioſiſſimus Cæſar ſub nomine Quinti fuit) relaberetur. Deficiente vero Carolo ante matrimonii conſummationem, prædicta inveſtitura, Claudio & ſecundo genito Philippi, Archiducis & Caſtiliæ Regis, ſi illi nubere contingeret, permaneret. Hancque pacificationem utrinque juramento firmatam fuiſſe, & à Franciſco proximo, Ludovici ſucceſſore, aliisque Regni Proceribus eo tempore, cum Philippus Regiam ſuam conthoralem Joannam ex Belgio per Franciam in
lib. 5. Hiſpaniam duxiſſet, Pariſiis ratihabitam fuiſſe, ſcribunt Guic-
lib. 1. cardinus & Ulloa Hiſtorici.

Palatius lib. 43. pag. 199. 42. Alii alterant hoc, dicuntque concluſum fuiſſe, ut Claudia, Ludovici filia, Carolo, cum primùm puberes facti, ſæpe memoratum Ducatum Mediolanenſem dotis nomine adferret. Interim verò Cæſar Mediolanenſis Principatus uſurpationem Regi, ſuâ auctoritate confirmaret; bellumque Neapolitanum moventi, ne impedimento eſſet. Poſtremum veriſſimum eſt; Calliditas enim, & aſtus Galli fuit ejusmodi comicis matrimoniis Maximiliani arma à Regno Neapolitano avertere. Primum autem planè in ambiguo eſt, neque enim integritas Maximiliani ſinebat, ut res Imperii, qualis erat Mediolanenſis Ducatus, à Gallo in dotem dari deberet. Credibilius eſt eventualiter de hoc Ducatu inveſtiviſſe Carolum, eumque hanc inveſtituram actu

actu obtinuisse, cum ille pubes factus, Claudia tamen potiri non valuit: quia à Patre Ludovico contra fidem datam ac Juramento firmatam Claudiam Sponsam destinatam Carolo, elocavit Francisco, suo nimirum Successori in Franciæ solio, adeo proprium est Regum Franciæ Domum Austriacam promissionibus matrimonialibus fallere. Exempla jam aliquot recensuimus, & hoc apertè in Carolo & Claudiâ videmus: Apertius in Ludovico XIV. qui Hispaniæ Coronam nuptâ sibi Theresiâ, factaque publicè & juratâ renuntiatione de ejus in Regna Hispanica successione, nihil tamen minus, quam hoc, syndéresim ipsius commovet. Sed de his jam supra.

43. Præterea Cameraci inter Cæsarem & Regem Galliæ de prædicto Ducatu aliam intercessisse Pacificationem, jactant Galli. Videlicet: cum Anno 1508. Pontifex, Cæsar, Hispaniarum & Franciæ Reges aliique contra Venetos conspirassent, ut quisque suum à Venetis usurpatum, recuperaret, promisisse Cæsarem Maximilianum Gallo investituram de Ducatu Mediolanensi: Pro-Rege nimirum ejusdemque Successore Francisco, atque horum descendentibus masculis. Pro qua investitura Rex Cæsari solvere debuerat centum mille aureos.

Quod autem cum non à Gallis adimpletum, nec etiam planè cum Maximiliano unquam concluſum fuit, neque concludi potuit ob præjudicium Caroli Austriaci, qui eventualiter jam investitus fuit; ut fabulam præterimus.

Verius nobis constat ex Veneta historia, quod ejusmodi ambagibus Rex Ludovicus Maximilianum, ne iste illi impedimento esset in Italia, tentaverit, & quidem per Cardinalem Rotomagensem, cui Cæsar negotiationis indixit locum Urbem Tridentum, sed præter spem nihil obtinuisse Cardinalem, scribunt alii. Palatius in Maximiliano lib. 42.

44. Constat etiam historica veritate Ludovicum Maximiliano in omnibus illusisse, & si quæ pacificatio facta fuisset ejus conditiones nullo modo observasse. Nam cum Cæsaris Legati apud Regem quingentos cataphractos, quos ille promiserat, ut

in Italiam ituro Cæsari mitteret, reliquum pecuniæ ex pacto daret, Exules Insubres in Patriam restitueret, expostulassent, Ludovicus aliud responsi nil dedit, præter verba. Immo Venetos, ne transitûs copiam darent, concitabat: Hungarorum motus contra Cæsarem promovebat: Geldriæ Comiti Carolo, Rebelli in Regem Philippum Maximiliani filium subsidia præbebat: Iter Italicum Romam pro corona à Cæsare destinatum immisso ad limitanea loca milite impedire tentabat: & ejusmodi hostilia in Cæsarem exercebat, quibus se minime dignum spe forte datâ investituræ, reddebat. Guiccardinus immo ait, Cæsarem, indignitate tot rerum commotum, exclamasse publice: *Se Regi amplius fidere non posse.*

45. Accedit, quod Rex Ludovicus Conciliabulum Pisanum contra Pontificis & Ecclesiæ autoritatem congregasset, ac defendisset contra Papam & Cæsarem, ideoque excommunicatus; non meruisset nova feuda, sed deperdidisset potius propria & antiqua.

46. Succensus proinde irâ, aliàs mitissimus Princeps, in privato colloquio dixit: Se decem & septem injurias sibi à Gallis illatas datâ occasione ulturum. Ideo cum Papa aliisque Principibus fœdus iniit adversus Ludovicum Italiâ pellendum, ac tanto animi ardore propositum suum implevit, ut Anno 1512. ad Ravennam cum Gallis commisso prælio eos coëgerit relictâ Italiâ, quam tot annis totque calamitatibus desolabant; ærumnosum iter exiguo planè numero, optimis quibuscunque cæsis aut extinctis, in Patriam repetere. Inde Maximiliano Sfortiæ, incarcerati Ludovici filio, occasio exhibita recuperandi Mediolanensem Staturn Cæsare connivente, attamen salvis Juribus Caroli Nepotis vi supra allatæ Pacificationis. Hinc falluntur illi, qui existimant, Maximilianum Cæsarem (qui aliàs amabat Domum Sfortianam) concessisse investituram Sfortiæ, vel in illo toleraſſe titulum Ducis. Hoc nec acta publica Imperii, neque historia ulla, nisi in partes deflectat, referre valebunt.

47. Demus autem, quod non concedimus; Maximilianum

num Cæsarem sive dedisse, sive vendidisse, aliove pacto consignasse investituram Ludovico & Francisco, eorumque masculis descendentibus; hoc tamen minimè opitulatur modernis Galliæ Regibus sive Principibus; quia isti non sunt descendentes ex Ludovico & Francisco, neque ex stirpe Valesia, quæ jam extincta est; sed ex Borbonia ab Henrico IV. in linea tantum collaterali, quæ in feudis Imperii, nisi in diplomate expressè inseratur, non attenditur, nec facile conceditur, nisi in primâ institutione feudi id cautum fuit. Nihil igitur Juris est modernæ Galliæ, in Mediolanensem Ducatum, qui modo ab excessu Caroli liberum, & ad Imperii Majestatem devolutum feudum rursus consignatum Carolo Austriaco.

48. Post obitum Ludovici XII. cum in prolis sine masculo hærede moveretur, successit Dux Angolosmensis Franciscus hoc nomine Primus dictus. Is postpositis omnibus pacificationibus inter Maximilianum & Ludovicum factis secundo sui Regni Anno videlicet 1515. in Ducatum Mediolanensem (illius temporis & etiamnum Petram scandali, in qua toties offendêre Principes Galli & Austriaci) irrupit, & ad S. Brigittam inter Mediolanum & Marinianum, Maximilianum Sforziam Imperatoris conniventiâ regentem Mediolanensium Statum, Victor oppressit, & ad arcem profugum cepit, ac in Gallias relegavit. Sicque miser Princeps non minus vestigiis, quam ærumnis sui Patris insistere debuit.

49. Ab Imperio ècontrariò desuper protestatum, nihil vero factum; tam propter imminens ab Oriente in Hungariam Bellum, quam propter Carolum Cæsaris ex Philippo nepotem, qui Ferdinando Catholico demortuo aditum ad ampliſſimam Regnorum hæreditatem, quo ab Hispanis vocabatur, parabat: Intereratque è Ratione Statûs & securitate Caroli, post se nullum hostem relinquere. Ideò Pacificatio potius, quantumvis Imperio parum decora cum Francisco Rege, cui sors in initio Regni valde propitia fuit, in finibus Lingonum & Sequanorum apud Noviodunum, ut Jovius describit, hoc pacto in tabulas hist. l. 18.

redacta : Primo : Ut Carolus Regnum Navarræ, Joannis filio, qui indè expulſus eſſet, reſtitueret. Si id judicibus, quos conſtituere ſummæ rei arbitros deberent, ex æquo & jure videretur.

50. Quæret autem hîc ſagax Lector, cum in hoc pacis puncto tàm ſolemnis mentio fiat, de redintegrando Regis Navarræ filio, cur hoc exegerit Franciſcus, aut quare reſtituere deberet unum Regnum Carolus, quod hæreditate in ſe transmiſſum fuit à Ferdinando avo ſuo materno?

Dignum profectò eſt quæſtionem amplius declarare ex fide hiſtoriâ. Poſtquam inter Ludovicum XII. Galliæ Regem & Maximilianum Cæſarem de Ducatu Mediolanenſi & Ferdinandum Catholicum de Regno Neapolitano pax concluſa, fœdus inierunt hi Principes contra Venetos ob reſtitutionem retentorum : ac Julio II. Pontifice à Venetis abundè ſatisfacto Ludovicus Rex de Conſilio Bentivoliorum ex improviſo Bononiam feudum Eccleſiæ aggreſſus eam Pontifici non ſolum ſubtraxit : verum etiam (quod criminis culpàm valdè auxit,) Concilium Piſanum, ſive autoritate Pontificis, (apud quem illa ſolum eſt veluti caput Eccleſiæ & conciliorum omnium,) ab aliquibus male contentis inſtitutum, fovit, & ut Patronus protexit, aliosque Europæ Principes in ſuas & Concilii partes trahere tentavit. Hâc plagâ acerbè affectus Pontifex, Concilium Lateranenſe convocavit (ubi cum Germanis Epiſcopis & Prælatis egregiam navavit operam Maximilianus,) fœdusque pepigit Julius contra Gallum ac fautores Pſeudo-Concilii Piſani cum Rege Ferdinando Catholico. Igitur Rex Ferdinandus ex ſuis vaſallis collecto exercitu ſub Duce Albano in Galliam movere arma tentavit, ſed oberat Navarræ Rex, per cujus ditiones tranſeundum fuit Hiſpano militi. Igitur amicè convenit Ferdinandus Joannem Navarræ Regem; ne ſe Piſano diſſidio miſceret ; nevè Gallo, ſed Eccleſiæ ſe jungeret, vel ad minus ſuum exercitum tuto per Regnum tranſire in Galliam ſineret. Preces incaſſum ivêre : eunte in partes Piſani Concilii, Regisque Galliæ, immò contra Pontificem auxilia præ-

præſtante Navarro. Sicque offenſo graviſſimè Pontifice ſacris diris devotus fuit Rex Navarræ, Regnumque ejus primo occupanti conceſſum.

51. Ex hoc ut hoſtis, Navarram aggreditur Ferdinandus, Pampelonam Principem Urbem capit, & reſiduum Regni occupat: & ut hoc ad terrorem potius, quam in commodum ſuum feciſſe videretur Hiſpanus, rurſus Legatos miſit iſte ad Navarrum, qui diverterent Regem ab iniquo fœdere cum Schiſmaticis, ac pollicerentur, ſe occupata æquis conditionibus quam primum reſtituturum. Verum offenſam plagamque magis exacerbavit Legatio, ut Navarrus planè contra jus gentium Legatos detinuerit veluti bello captos, & Francorum exercitu mox immiſſo in Regnum, Pampelonam quidem attentavit, ſed inani conatu: repulſis potiùs in patriem Gallis firmavit ſuum Imperium egregiè Ferdinandus, adeò ut demortuo Julio II. Leo Pontifex X. tàm ob Navarri contumaciam, quam Hiſpani in Eccleſiam promptum obſequium, Ferdinandum legitimum Navarræ Regem publicè pronuntiaverit, ultro ipſi & poſteris largiter conceſsâ Regni inveſtiturâ.

52. Prævidebat quidem Rex Ludovicus Ferdinandum non reſtituturum Navarro Regnum, durum tamen fore, ſi amicum ſibi Regem deſereret, & ope promiſsâ Regni recuperandi falleret. Vicit tamen Ratio Status Regiam fidem, & clancularíam pacificationem, cum Ferdinando Hiſpano iniit, ut ſcribit Jovius. Hiſt. lib. Inter hæc Ludovico ſucceſſerat Franciſcus in Franciæ ſolio, & Ca- 11. rolus Archi-Dux Philippi Auſtriaci Filius Ferdinando avo.

53. Altera præfatæ pacificationis conditio erat, ut Carolus centrum aureorum millia ob Galliæ in Regnum Neapolitanum jura quotannis Franciſco penderet.

54. Tertia Conditio: Amicitia fuit & mutuum fœdus affinitatis vinculo confirmatum.

55. Quarta conditio, ut Verona Venetis reſtitueretur, iſti autem redemptionis nomine ducenta millia aureorum binis penſionibus perſolverent Cæſari. Quibus conditionibus, ait Jovius, ſicuti

ſicuti Carolus adeundæ Hiſpaniæ curâ anxius, haud cunctanter ſubſcripſerat: ita Cæſar oblatâ ſibi ingenti pecuniæ ſummâ conditionem minimè detrectaverat, ut qui Nepotis Caroli conſilia, atque ipſam ſpem ac rationem omnem obtinendi Imperii, importunâ tergiverſatione corrumpere nolebat.

56. Noviodunenſem pacificationem conſequitur Madritana celebris nimirum hæc, & decora valdè tàm Romano Imperio, quam Monarchiæ Auſtro Hiſpanicæ, quæ tunc in culmen aſcendiſſe videbatur.

Rem paucis ab ovo reaſſumo: Evecto non ſolum in omnia Hiſpaniarum Regna, Burgundiæ & Belgii Provincias: ac Regna etiam, & ditiones Italicas, quas Avus Ferdinandus, jam tunc vitâ functus, ante exceſſum ſuum poſſidebat: verum etiam ad ſacri Romani Imperii faſces à Germaniæ Electoribus aſſumpto Carolo; ringebatur Franciſcus (non ſolum, quod ipſe tantum faſtigium aſſequi, ſed etiam quod æmulum Carolum abinde impedire, non valuiſſet: livore adeò extremo, ut planè omnes Superiores inter utriusque Caroli & Franciſci Anteceſſores, actitas & pactas pacificationes, convelleret, Neo-Imperatorem contumeliosè deſpiceret, contra ultimam pacificationem Navarræ Regnum invaderet; ac Claudiam Ludovici XII. filiam, quæ propter Mediolanenſem Ducatum virtute antecedentium Pacificationum Carolo, tunc Archi-Duci, à Ludovico in ſponſam data fuit, ſibi Matrimonio jungeret; & centum talia in Imperio, Belgio, Navarrâ, & in Italia plusquam hoſtilia committeret; ut Carolo V. è Republicâ & decore Imperii videretur, effrenem hanc Belluam compeſcere & in Ordinem redigere. Quamprimum ideò propter Ducatum Mediolanenſem, qui tunc Carolo ex pacto cum Claudiâ facto, ſed ex culpâ Franciſci, propter negatam nimirum Carolo ſibique deſponſatam Claudiam non adimpleto, debebatur; inceptum eſt bellum Italicum, variâ fortunâ geſtum, donec Franciſcus ipſe pœnam pro omnibus luens (quod æternum Gallis dedecus eſt,) fuſo Gallorum exercitu Anno 1525. die quâ Carolus Mundo & Imperio natus fuit, propè Pa-

Paviam caperetur, & in Hiſpaniam Madritum usque captivus mitteretur.

57. Hanc captivitatem ſubſecuta eſt Pacificatio Madritana, quâ Rex Galliæ omnium ſuorum Prædeceſſorum promiſſa & pacta renovavit, confirmavitque : Plura præter mentem pollicitus, quia ſciebat, ſibi vim adhiberi, nec ea legum placitis habitura firmitatem, quæ vis & metus ulterioris carceris extorſiſſet. Scriptæ ſunt Madriti conditiones pacis, atque in eas Februario Menſe, Anno à captivitate prope elapſo, juratum datâ fide, ac Regio verbo, ſe ſponte in cuſtodiam redditurum, ſi promiſſa ex quacunque causâ præſtare nequiret. Guiccardinus totam hanc pacificationem in viginti & tribus articulis comprehendit. Summa erat : Rex Cæſari redderet Burgundiæ Ducatum : Principatum Nivers, Comitatum Caroleſiæ, aliaque egregia oppida pleno jure, & velut diviſa à Coronâ Franciæ. Clientela in Flandriam nulla poſthac eſſet. Hesdinum cum arce & re tormentaria reſtitueretur Carolo : Rex cederet omni planè juri in Regna & ditiones Italiæ. Viciſſim Cæſar reſtitueret Regi omnia loca citra & trans Saonam perſonæ videlicet, Mondiveriæ, Royæ; Bonnoniæque ac Pictavii Comitatus. Rex Cæſari ad iter Italicum certum numerum majorum navium, item ſat copioſum militem, ac duo millia auri pondo exhiberet. Borconio libertatem, gratiam, dignitates, & confiſcata bona, ſicut & Principi Auriaco, aliisque nobilibus & Epiſcopis, qui Cæſaris partem tenuêre, plenè & quam ocyſſime redderet, tandem obſides, dum impleretur fœdus, deſignati, Delphinus & Dux Aurelianenſis, major nimirum, & minor natu filii : ita tamen, ut minorem ſupplere poterant duodecim Galliæ Principes, quos Cæſar nominaret.

58. Hæc Pacificatio modicum eſt ſortita effectum ; ubi enim Rex ſuis reſtitutus, rem univerſam commiſit proximæ dietæ Connaci habendo. Ibi non diù deliberatum, ſed mox concluſum, Regem nullo jurejurando teneri, quod per metum & contra fundamentales Regni leges à captivo expreſſum fuit. Sic Franci- à Captivo.

ſcus Rex deluſit Carolum, & pacto cum Venetis, Pontifice, Angliæ Rege Henrico VIII. Florentino Duce ac Sfortiâ, qui Cæſari ingratus rebellaverat, fœdere : loco pacis, bellum amplexus, intulit illud, cum fœderatis, Italiæ : ſed ex voto non geſſit. Adeò Fortuna deſeruerat perjurum. Doria etenim Archithalaſſus claſſis maritimæ à Rege ad Cæſarem defecit vel beneficiis non demeritus, vel injuriâ perculſus. Exindè peſtis invaſit Regium exercitum & fermè conſumpſit. Orangius emigrantes è Regno Neapoli Gallos aſſecutus eorum Generalem Saluſſium ad ſeditionem propudioſis planè conditionibus coëgit, nimirum ipſe Saluſſius & tribuni cæteri ducerentur captivi militi libero ire fas eſſet, ſed ſignis, equis, inſtrumento omni, tum domeſtico, tum militari, relictis. Similiter ab Inſubribus, ac Genuâ depulſi Galli, permisêre Carolo in præmium victoriæ, pulcerrimam Europæ partem Italiam.

59. Inter has calamitates, cum emergere non potuiſſet, diù colluctatus Franciſcus, maximè verò filiorum infelicitate & innocentiâ, qui apud Carolum obſides ſub cuſtodiâ detinebantur, perculſus, animum ſenſim paci accommodabat; quam Carolus, cum potiora recuperaſſet, intervenientibus duabus Regiis fœminis, Ludovicâ Franciſci matre, & Margareta Caroli amitâ amplexus eſt.

60. Hæc Cameraci muliebribus ingeniis tractata, & Anno 1529. ultrò citròque concluſa in ſequentem modum. Ut nimirum Regis filii obſides dimittantur, & pro illis pendantur à Rege Cæſari duodecies centena millia aureorum, & Angliæ Regi loco Cæſaris ducenta millia perſolvantur. Inter dies quinquaginta duos Mediolanum, Aſtam, & quidquid Rex adhuc in Inſubriâ poſſideret, pleno & abſoluto jure Cæſari cedat. Similiter Barletam, & quidquid in Regno Neapolitano totâque Italiâ Rex haberet, id totum Carolo reſtituat. Venetis bellum indicat, ni Apuliæ loca reſtituant ; ſique inter Cæſarem & Venetos bellum accenderetur, trecentas auri libras in ſingulos menſes ſuppeditet, & duodecim triremes per 6. Menſes ſuis ſumptibus in auxi-

lium

lium Imperatoris alat. Supremo Imperio, quod usurpabat Rex, Flandriæ, Artesiæ & Tornaci cedat. Borbonii posteris, qui in deprædatione Romanâ primus igneo globo ictus fuit, bona confiscata reddat, quemadmodum etiam aliis Magnatibus, & Nobilibus: qui partes Cæsaris sequebantur omni honoris maculâ abolitâ. Rex denique se imposterum rebus Italiæ & Germaniæ non immisceat, maximè verò in damnum Cæsaris. Quadringentis millibus terras, quas Maria Luxenburgensis, Mater Vindocinensis Principis possidebat in Belgio, redimat, deinceps autem propriæ Carolo sint. Lilii item florem gemmeum & pretiosissimum, à Philippo Archi-Duce oppigneratum, Henrico Angliæ Regi eliberet, & Carolo restituat. His fermè articulis continebatur pax Cameracensis, in quâ comprehensi Pontifex & Sabaudus velut Imperii feudatarius, exclusis tacitè aliis Francisco Regi confederatis, maximè vero Venetis, quibus Rex promiserat, se sine interventu illorum nihil acturum, nec concluſurum. Undè posteà Venetorum querelæ acerbissimæ se proditos postulantium; & potestati Imperatoris objectos: nec querebantur immeritò, Regis simulatione & promissis delusi, qui Galliæ, & multorum etiam aliorum Principum, ubi de commodo particulari agitur, mos est planè inveteratus. Buſieres l. 16. fol. 352.

CAP. III.

Continuatio Materiæ.

1.

POrro plumâ aut folio levior hæc Pax extitit. Rumpendæ occasio fuit fœdus Smalcaldicum, Imperii Principum, contra Cæsaris interdictum de abolendâ Lutheri doctrinâ in causâ Religionis Protestantium: Undè hæretici illi deinceps Protestantes dicti. His se conjunxerat Franciscus contra Cameracensem Pacificationem, ubi spoponderat, se non immixturum rebus Germa-

niæ, maxime in præjudicium Cæſaris ſic Regiam fidem proſtituit Franciſcus ob æmulationem cum Cæſare, hæreticorum fautor factus ; injurius DEO, Religioni, & nihil minus, quam Chriſtianiſſimus.

2. Eo enim tempore Carolus bello Tunetano inſiſtebant, in Turcam ſe accingebat ; Hæreſimque Lutheri in herbâ opprimere parabat : qui omnes conatus velut nix diffluxêre ad belli ardorem, ex Galliâ imminentem. Delecto enim in Regno 40. millium exercitu rurſus, Franciæ Rex, expugnato prius Taurino & aliis Subalpinis Locis Anno 1536. Mediolanum & Imperii feudum recipiendum, armatus properavit : & unus ille cauſa fuit, cur fermè tota Chriſtianitas turbaretur, ac Hæreſis augmenta in Germaniâ ſumeret, Cæſaremque à glorioſis ſuis pro Religione cœptis importunus æmulus diſtraheret.

3. Ideò Optimus Cæſar poſt triumphum Tunetanum Neapoli Romam profectus, graviter conqueſtus fuit, coram Pontifice, præſente toto ſacro Collegio : & ut Jovius refert, veteres odiorum cauſas, quæ adhuc inter Galliæ & Auſtriæ domum gliſcerent, reaſſumpſit: oſtenditque graviſſimis verbis, neque Franciſcum, nec ſuperiores Galliæ Reges JCtorum fœderum legibus unquam ſtetiſſe : cum ſibi Burgundiam ereptam, & repudiata atque iniquiſſimè intercepta connubia querulus commemoraret, & paſſim Franciſcum Regem perſtringeret, quod bello victus, captivus, humaniter habitus, tandem ſub conditione dimiſſus, nihil eorum, quæ pro obtinendâ libertate promiſerat, præſtitiſſet, ſed abruptâ jurisjurandi fide, totum ferme orbem adverſum ſe, non minùs ingrate, quam impiè commoviſſet, vocato per legatos in Chriſtianorum terras Solymanno ; fomentatâ in Germaniâ hæreſi ; occupatis Caroli Allobrogum Reguli fiduciarii Germaniæ Principis, Regionibus ; ac prætenſo Mediolano, quod juris Imperii eſt. Hiſt. lib. 35.

4. Verum non tantum armis, ſed Calumniis quoque, in Cæſarem conjectis, inſolens Gallus muliebre planè vindictæ genus adhibuit. Is enim Carolum Cæſarem Gaudavi natum, ſingulari

gulari *Arreſto*, (quod apud Gallos reſcripti Regii loco eſt,) Anno 1537. 15. Januarii *hominem Juum Ligium, ſibique ſubjectum* declaravit. Poſthæc Capellus fiſcalis Regius de obedientiâ Caroli in Regem Dominum ſuum coram proceribus plurimum conqueſtus, poſtulavit, ut Flandri, Arteſii, Caroleſii, Fiſco Regio ob Clientis delictum adjudicarentur. Deſuper cenſuit Senatus diem reo dicendam; & miſſus Fecialis, qui ad Belgii limites in Vadimonium Imperatorem vocaret. Rubor ſuffundit calamum, vel tanta rei indignitas accendit bilem, cum comicam hanc vindictam, vel potius inſaniam Gallorum fortè neſcientium, quid Imperatoris ſit Character? deſcribit. Aſt Carolus puerili calumniæ reſpondit, ut Heros; ſe, cum vocaretur, venturum in Franciam ad litem ita comparatum atque inſtructum, ut Franciam coacturus foret ad implenda, quæ illa juraverat, Madritanum, nempè & Cameracenſe fœdera. Sic eminùs & cominus, verbis & armis, certatum inter duos iſtos irreconciliabiles æmulos; donec ſacrorum arbiter & Principum Chriſtianorum, Pater, Pontifex Paulus, ſuum Paſtorale officium interponeret, ac utrumque Cæſarem & Regem Niciam usque vocaret. Ubi eo ventum, cum utroque ſigillatim egit, nec tamen exorare potuit, ut ſe invicem inviſerent: Uterque verò ſeorſim in villa quadam, ſuburbanâ Pontificem venerati quidem ſunt, ſed ejus ſalutaribus monitis ac conſiliis, ut pacem ex integro, ſepoſitis ſimultatibus, inirent, nequaquam acquievêre. Attamen Decennales induciæ, invicem promiſſæ, & absque aliâ conditione, præterquam, quod durantibus induciis poſſideret quisque, quæ haberet, vel occupaſſet. Hiſt. Gall. Lib. in

5. Porrò induciæ hæ Decennales ne triennium fermè aſſequi valuerunt. (Adeò Principum fides in lubrico eſt!) Nam Franciſcus Rex non ſolum Juliacenſi Principi, qui propter Geldriæ Ducatum diſſidebat à Cæſare, & aliis Imperii Principibus Proteſtantibus, ſive rectiùs Hæreticis, contra Carolum ſe addixit, verum etiam in Provincias, & ditiones Cæſaris, cum iſte pro DEO & Patriâ in ſecundâ jam Africanâ & Algerianâ expeditio- Taracognata lib. 3.

ne moraretur, uno quaſi tempore, quinque exercitus hoſtiliter induxit, in Brabantiam videlicet, in Regionem Luxumburgenſem, in Arteſiam, Taurinum, & Perpinianum.

6. Hâc in perturbatione Carolus ſe cum Anglo conjunxit, & unitis viribus Franciam ipſam intravit, invaſit, ac Meldas usque excurrit, incuſſo Pariſienſibus tanto terrore, ut de fugâ unâ ſolliciti, cætera omnia, dignitates, honorem, domeſticos lares, Regem & Patriam flocci habuerint. Unum ſuperat decretorio prælio experiri; Sed periculum erat majus Regis, quam Cæſaris, Rex quippe totius Franciæ diſcrimen ſubibat, ubi Cæſar ad ſummam de exercitu ſuo periclitabatur. Igitur â Gallis ſeriò de pace actum apud Cæſarem Creſpiaci commorantem; quâ tandem ſancitum Anno 1544. adſtipulantibus utrinque mutuo Sacramento Cæſarianis & Regii Miniſtris. Articuli autem Pacis hujus Creſpinenſis ferme hi fuêre præcipui.

Hiſt. Belgicæ circa Annum 1544.

7. Ut Urbes poſt Nicente colloquium ſive poſt inducias illas Decennales, captæ redderentur, quæ Franciſco dura admodum extitit conditio reſtituendi plusquam viginti urbes, & à Carolo nullam præter Sandeſirium. Ut Rex ſuo ſumptu ſexcentos cataphractos, & peditum millia decem, ſcriberet, aleret, & in Turcicum bellum Imperatori in auxilium daret. Ut renovaret renúntiationes jam olim factas Jurium in Arragoniam, Flandriam, Neapolim, Atrebatum & Geldriam; & vice versâ etiam Cæſar in ditiones Belonienſem, Peronnæ & ad Saonam fluvium oppida. Item in Burgundiam inferiorem & agrum Matiſconenſem. Ut Sabaudiæ Ducem Rex integrè reſtitueret, Hesdino Regi permiſſo. Ut denique intra biennium Imperator Aurelianenſi Principi Carolo, Filiam ſuam in conjugem daret, cum Brabantiâ, Luxemburgo, Geldriâ, Limburgo, Flandriâ, Bataviâ, Hanoniâ, & toto quaſi Belgio: aut Neptem ex Ferdinando Fratre cum Statu Mediolanenſi. Et ſi Cæſaris filia inprolis decederet; Aurelianenſis Dux à toto Belgio abſtineret.

Jovius hiſt. lib. 45.

Sleidanus Comm. lib. 16.

Sic juratâ, ſic promulgatâ pace, Bruxellas profectus eſt Imperator, comitante Aurelianenſi Duce, ac Cardinalibus Lotharingo,

Buſſieres lib. 17.

ringo, atque Mendonio, & Hunaldaio; iisdemque obsidibus tum ultrò citròque in Campaniâ, tum in Subalpinis Urbes rederentur, quod & patratum est, Cæsaris magno, ut Gallicus Autor existimat, compendio, & gaudente Franciâ, quod jacturâ levi periculum ingens & majorem metum redemisset.

8. Pax vero hæc potiùs in magnum Austriacorum præjudicium, ob promissum in dotem Aurelianensi Belgium, facta; fato ac morte ipsius Aurelianensis Principis expiravit. Cum enim Franciscus ad Carolum Legatos misisset, qui subverso, mortali obitu, fulcro Pacis Crespinensis, apud Carolum de novâ pacificatione agerent; Imperator non aliud responsi dedit, quam, *nisi provocetur, cum Rege pacem illibatam habiturum.* Jovius lib. 45.

Præludium hoc erat novi belli, nisi Mors, vitæ & armorum filum præcidisset Francisco, qui tamen Henricum secundum, filium, uti paternæ coronæ, ita æmulationi hæredem, ac gravissimum Austriacæ gentis hostem reliquit.

9. Is enim innutritus bellis hispanicis, & propemodum à cunis imbutus odio adversus Cæsarem, se Mauritio Saxoni atque Germaniæ Principibus Hæreticis arctissimo vinculo contra Carolum conjunxit, & validâ manu, insciо planè Cæsare, Lotharingiam invasit, ac Nobilissimos tres Episcopatus ad Imperium pertinentes Tulensem, Verdunensem & Metensem occupavit, incusso Argentoratensibus, ac toti Alsatiæ, extremo terrore. Sic auctæ ex Gallico fœdere non solum Hæreticorum Principum in Germaniâ vires, sed planè etiam (quod Ecclesiam Catholicam inplacabiliter offendit) Protestantibus & Civitatibus Imperii Germanici, Religionis libertas asserta: Undè armis undiquè obrutus Cæsar, Passaviensem transactionem, quam paulo post Augustana Pacificatio, cum extremo detrimento veræ fidei & irreparabili damno Ecclesiæ insecuta, inire coactus fuit. Summarium autem transactionis Passaviensis de Anno 1552. hoc fermè fuit: Ut Elector Saxoniæ & confœderati hæretici ab armis desisterent, ac Cæsari rursus fidelitatem sponderent. Landgravius Hassiæ Philippus capitulationem Halæ in Saxoniâ factam, salvis quibusdam punctis,

ctis; ratam haberet, ac ſervaret. E contrario Imperator eliberaret ex captivitate Landgravium, resque Religionis, in ſtatu quo, permitteret, donec per generale vel nationale concilium controverſiæ Religionis decideréntur, nullâ planè habitâ reflexione ac reſpectû Sedis Apoſtolicæ, cui ſoli immediatè intereſt cura & moderamen ſacrorum, eorumque, quæ ad Religionem & Chriſti fidem ſpectant.

10. Paſſavienſem transactionem excepit Pacificatio illa Religioſa Pontificiæ Autoritati è diametro contraria. Continebat autem hoc: ut tam Cæſar, quam Rex Romanorum, Electores & Principes, cæterique Imperii Statûs promitterent, ſe nulli ſtatui propter Auguſtanam confeſſionem illaturos & qualicunque prætextu armis aliisque mediis infeſtaturos, neque illos contra voluntatem, ab hâc Auguſtanæ Confeſſionis Religione, vi aut armis avocaturos &c. &c. Ut ſummatim dicam: Quia Carolus V. Imperator non volebat reſiſtere Proteſtanti Germaniæ unitæ Galliæ, citra periculum quaſi evidens eliminandæ totaliter Proteſtanti Germaniâ Catholicæ fidei; æquius duxit majus malum prævertere minori malo, ſancitâ hâc tam Paſſavii, quam Auguſtæ propudiosâ magis, quam religiosâ pace.

11. Præter hanc à Cæſare promiſſam Religionis libertatem; articulus fermè quintus & ſeptimus maximo offendiculo fuit, & etiamnum eſt, non ſolum quod tot deperditæ oves non redeant ad ovile, undè exierunt, ſed etiam, quod uterque comprehendit, hæreticis admiſſa bona Eccleſiaſtica, quæ illi malâ fide Eccleſiæ rapuerant: Hinc dolor! hinc lachrymæ! quas Matri Eccleſiæ, ejus Primogenitus Franciæ Rex, qui cum Proteſtantibus Germaniæ, quaſi una anima fuit, ſepoſitâ DEI, ſuâque procuratâ utilitate, cauſavit.

12. Superiores confœderationes Galliæ alia adhuc, ſed in Chriſtianitatem ignominioſiſſima ſecuta, quam idem Henricus II. cum Hæreditario Chriſti hoſte Solymanno Turcarum Imperatore, contra Carolum Cæſarem, mediante Aramuratho Legato pepigit in Urbe Conſtantinopoli, Anno 1553. Ejus capita fermè fuerant:

Ut

Ut Henricus Solymanno pendat trecenta aureorum millia, ac interea pignoris loco habeantur maneantque apud Turcicam classem Gallicæ triremes. Erenberg lib. 2.

Ut Solymannus 40. triremes, & 25. alia Navigia Piratica, sive Fustas, contra Carolum Austriacum Gallo suppeditet.

Ut quidquid Turca Cæsari Christiano de Navigiis, aut apparatu Nautico rapuerit, id ipsius Turcæ proprium esto.

Eodem modo omnes Urbes, municipia, oppida, vicos, quæ Classis Turcica expugnabit, vel cives, municipes, incolas, puberes, impuberes, mares & feminas, quos Turca capiet, illa maneant Henrico; hi Solymanno in perpetuam servitutem mancipentur.

Si Solymanni classem Rex Henricus non ad occasum, sed orientem solem & meridiem, hoc est, à Truenti fluminis ostiis ad Crotonem contra Carolum Austrium navigare ferrique jusserit; ita demùm ea classis Henrico Regi sine ullis stipendiis militet; ut cedentibus Henrico Urbium, quæ captæ erant à Turcis, municipiorum apparatu, nec non annonâ; eæ Urbes, municipia oppida, vici, Solymanni classi, prædæ; Cives vero, municipes, incolæ, puberes, impuberes, mares & feminæ, etiamsi Religionem Christianam profiteantur, vel ultrò se dederint, servituti permittantur, tradanturque. Et ejusmodi plura quæ repugnant Christianæ Caritati, ac venum exponunt animas sanguine Christi redemptas.

13. Connititur hoc ipsum objicere ex Istuanphio Domui Austriacæ Gramondus historiarum Galliæ scriptor: Sed vel erroneo calamo, vel livore animi. Nullum unquam allegabit Gramondus cum Turca Austriacorum fœdus, quod esset in odium Christianitatis; Vel vi cujus immanissimo Babaro concederentur, expugnationes Urbium Christianarum vel in prædam darentur terræ Christianæ, vel in servitutem manciparentur Christiani homines: Ut fecit Franciscus I. Henricus & alii Franciæ Reges, ut palam est ex superius relato fœdere, inter Solymannum & Henricum. Istuanphium, quem Gramondus allegat, in testem provoco. Ait enim illo loco à Gramondo citato: Ferdinandus Caroli V. Frater Lib. 2.

opportunissimum fore ratus, si Solymannum per Legatos placare posset, ac novis conditionibus pacem, vel inducias cum eo pacisceretur. Quid hoc Christiano nomine indignum? aut quid contra avitam Austriæ pietatem actum?

14. Pacem namque & inducias piissimi olim Imperatores à Tyrannis, & Ecclesiæ hostibus petiêre, sed non in necem fidelium, aut deprædationem Christianarum terrarum, ut in memoratâ pace Henricus fecit. Ac licet turpe foret, si Austriaci Cæsares aut promitterent Turcæ tributa, attamen si id inevitabilis exigeret necessitas & periculum Christianitatis, nil facerent indignum Christiano nomine. Avertant hoc quidem Superi! Interea certo certius est; Si Austria tributa pendet Turciæ, opus hoc, & conatus Galliæ erit. Quemadmodum in præfato fœdere intendebat id Henricus: Nam (ut in Istuanphii historiâ, quam citatus refert Gramondus, maneam) liquet ex illâ, quod à Ferdinando Romanorum Rege missi Nicolaus Comes & Sigismundus Herbensteinius cum pretiosis muneribus ad Solymannum (Galliæ Regis, ex memorato pacto, belli socium) ut pacem prolongarent, illique Carolum Fratrem Cæsarem insererent; Aliud non, à præfato Solymanno, cui aliàs munera grata fuêre, responsi locò retulêre, quam ex Gallico fœdere, arrogantiæ ac fastûs plena verba: nimirum non aliis conditionibus pacem dari, quam ut Ferdinandus Pannoniâ omni cedat, ac pro Austriâ tributum annuum pendat: si id facere gravetur, Solymannum præterquam, quod Pannoniam armis ab eo extorqueat, tum insuper Austriam igne & ferro evastaturum. Legati hoc responso accepto, quanquam aureis vestibus donati, justâ tamen irâ haud parùm commoveri videbantur, quod nec sui, nec duorum summæ dignitatis, summæque Potentiæ Fratrum, Caroli videlicet Imperatoris & Ferdinandi Regis Romanorum, Barbarus arrogans rationem ullam aut respectum habuisset; domum reverti decreverunt.

15. Ex quibus non solum constat tributa ab Austriacis Solymanno (ut asserebat Gramondus) nec promissa, nec data fuisse: Verum etiam æquissimo Judicio præsumitur, Solymannum inni-

innixum fœderi & amicitiæ Gallorum, vel ex suggestione eorum, tam arroganter ac fastuosè respondisse Legatis, tamque indigna, & per contemptum à Primis totius Christianitatis Principibus exegisse. Quid denique amplius in rem notoriam inquiro? Verba sola Gramodi repeto ajentis in Annalibus Galliæ: *Neque in præsens aliud est Dominationis Austriacæ frænum, Europæ dum imminet; quam si Rex Gallus cum Ottomannis fœdus inierit.*

16. Attamen hanc, quæ ex Livore continuo Henrici Regis in Carolum Cæsarem, Europam fermè totam in bella & factiones distrahebat, tempestatem Maria Angliæ Regina, ubi primum nupsit Philippo Hispaniarum Infanti, sedare, & de pace sedulo agitare cœpit: ejusque operâ Anno 1555. missis Calestum Cæsareis Regiisque Procuratoribus, si non Pax, uti sperabatur, certè quinquennalium Induciarum fundamenta posita sunt. Poli Cardinalis studio negotium hoc pertractatum, qui ad Cæsarem Galliæque Regem profectus, eos de pace, multis in medium allatis rationibus adhortatur; atque Angliæ demum Reginæ Mariæ, ut Mediatricis consilio res eò deducta est, ut inter Caletum, Ardeam, & Gravelinum, Anglicæ, Gallicæ, Burgundicæ ditionis oppida, velut in triangulo posita, locum idoneum in mediâ planitie deligi juberetur. Eo convenêre Ablegati Cæsaris & Regis cum aliis mediatoribus. Nihil verò tunc effectum, quia utrobique magna quæque & multa prætendebantur. Anno tamen insequenti, dum Pax, atque antiquarum controversiarum plenaria compositio desperabatur, de induciis duntaxat in aliquot annos agi cœptum est. Tandem Cardinali Polo nomine Reginæ Mariæ plurimùm adlaborante in quinquennium conclusæ sunt induciæ: Quarum lex præcipua, ut quisque paciscentium in quinquennium possideret, quæ tunc obtinebat: libera essent commercia utrobique; ac fœderati, quos in vicem dicerent, beneficio pacis fruerentur. Strado de Bello Belgico Lib. I.

17. Hæ fermè erant Induciarum modicæ leges, sed vix elapso Anno prævaricatæ: Nam Paulus quartus Pontifex (alias vir Religiosus, & vitæ integræ) ex suggestione magis Nepotum (ii Caraffæi

raffæi erant ex gente Regni Neapolitani primariâ) vel æmulatione in Columnenſem domum ex Romanis fermè Principem, à Cæſare nonnihil abalienatus, Cardinalem Caraffam Legatum ad Henricum in Franciam mittit, in ſpeciem, ut Regem ad Papam cum Philippo Cæſaris filio, qui jam poſt abdicationem Patris, Hæreditatem paternam ingentium Regnorum, ditionumque adiverat, adhortaretur: re vero ipsâ, ut fractis ſuperioribus induciis (quos tamen Regis loco in quinquennium Colinus juraverat) bellum Hiſpano induceret. Adeò facile erat à Juratis induciis, re aliàs ſanctiſſimâ, reſilire.

18. Stabilito igitur inter Henricum & Pontificios belli propoſito, ne de hoc ignaris, neque ignavis Hiſpanis, ejus gerendi occaſio ſtatim patuit, acceptis ab Hiſpano in protectionem Columnenſibus, adverſus Caraffæos, qui undequaque cum Scandalo Orbis ſub prætextu Autoritatis Apoſtolicæ multa agebant perperam in Columnenſes maximè provecti, quorum ampliſſimas ditiones ſibi uſurpabant, Antonio Columnâ omnibus fortunis everſo, Joannem Montorii Comitem, Ducem Paliani, Papa creavit. Igitur Albanus (tunc Neapolitanus Pro-Rex) ducto exercitu in gratiam Columnenſium, in Flaminiam & terras Pontificias, multa Campaniæ oppida occupavit, Latio fermè potitus Urbem ipſam obſedit: Ubi conjuratione in Pontificem factâ, periclitabatur iſte graviter, niſi detecta fuiſſet. Verum Pontifex immiſſo in Urbem Gallorum præſidio ac Albano ſe ad defenſionem parendam in Regnum recipiente Petri Strozii ductu, amiſſa, magna ex parte, recuperavit, ſeque majori periculo maturè exemit. Gallicus vero Exercitus Ghuiſio Duce Regnum quidem Neapolitanum, ſed fruſtra, tentavit, in omnem partem vigili oculo excubante Albano, ne Galli Regni limites, quos ille ex protractâ Ghuiſii Romæ apud Papam & Caraffæos degentis morâ, egregriè communiverat, perrumperent. Rex etiam ipſe in Flandriam invectus reclamantibus fruſtra Belgis violatum Jus gentium, ſummâ perfidiâ fractas quinquennales inducias: illatum in

inno-

innoxios bellum & fide Jurisjurandi ſecuros: nec Regum more indictum, ſed latronum inſtar ex inopinato immiſſum.

13. Interea, cum non minùs iniquâ, quam incautâ fermè hâc bellandi methodo Henricus Rex, Regno Neapolitano ſub Ghuiſio Duce inſiſteret, Latium & Caraffæos tueretur validius; in Belgium occupandum Duce Colynio vires Galliæ diſtraheret; denique neglecta Patriâ aliena appeteret, ac neceſſario domi præſidio, temeréque in alios diviſo deſtitueretur; Inſuper inter Choreas, Epulas, & haſtiludia hoſtium ſecurus viveret; Philippus ad omne fortunæ punctum vigil, contracto valido exercitu ex propinquo Belgio Franciam invadit Ductore Philiberto Sabaudiæ Duce, & ex improviſo Sanctum Quintinum obſidet, oppidum ad Saonæ ſcaturiginem ſitum, & Galliæ limitum propugnaculum fortiſſimum Galli ab adverſo, licet improviſa hoſtium incurſione graviter perculſi, ut eam obſidionem diſpellerent, totis viribus laborabant: Sed, dum id agunt prœlio occaſionem dedêre, quod ipſis infauſtum cecidit, ita, ut ad Sanctum Quintinum Francicæ Nobilitatis florem occubuiſſe, nec illuſtriorem victorem ex Gallis habuiſſe Auſtriam paſſim commemorant hiſtorici. Accidit autem hæc pugna, Gallorumque memoranda clades Auguſto menſe, ac Anno 1557. Eodemque menſe deinceps Urbs cum repetitâ ac magnâ Gallicæ gentis ſtrage capta. Turſelinus in Carolo V.

20. Victoriæ hujus nuntium, cum accepiſſet Carolus V. jam in clauſtro vitam privatam agens, ſciſcitabatur continuò, an Philippus jam Pariſiis degeret? quaſi filium coargueret peritiſſimus olim Belli Dux; eâ victoriâ non oppidò geſtum, niſi Francia tota in mercedem cederet. Quod haud difficile contigiſſet, niſi Philippus palmari errore commiſſo, maluiſſet frui victoriâ, quam uti. Sanè tunc in anguſto ſtabant res Franciæ, nec calamitoſior Rege ullus fuit, deſtituto nimirum armis, defenſoribus, Ducibus, milite & penu. Singulare in Gallos Dei Providentis donum fuiſſe credit Hiſtoricus Gallicus, quod perculſis omnibus calamitati modum conſtituerit, mentemque Philippo amoverit, ne victricia arma ultra in viſcera Franciæ adigeret, quibus haud dubiè integrum confeciſſet Regnum.

21. Cum sic Philippus, victis, suâ ex morâ spatium sivisset, Henricus Ghuisium ex Italiâ, evocat, redintegraturus in Philippum Bellum, sed ad eas extremitates demum redactus, ut pacem magis aspiraret, quam rursus dubio Belli eventui sese exponeret, ita nimirum ex cruentissimo bello, veluti ex collisis fractisque nubibus serenitas prodiit Pax utrique Regi optatissima. Spes enim
Strada lib. 1 nunquam major affulget pacis, quam cum seriò bellum geritur, satiatâ nimirum aut fessâ per cædes irâ.

22. Igitur Cameraci congressus factus interveniente & promovente pacis hujus negotium Christiernâ Lotharingâ, & Sabaudiæ Duce. Tandem concluſa fuit Anno 1559. & in sequentes articulos digesta.

Primò: Maneant omnia salva & integra, quæ Reges biennio ante corroborassent, nisi quæ speciatim in præsentis Pacis Articulis revocata, & provisa habentur.

Secundò: Tollantur omnes simultates inter ambos Reges, nec sibi insidientur invicem per se, vel per alios; neque privata conventicula cum alterutrius hostibus, sive Christianis, sive Barbaris instituantur aut foveantur.

Tertiò: Oecumenico Universali concilio Autoritatem suam interponant, illudque in salutem Christianæ Reipublicæ promoveant.

Quartò: Amnestia sit universalis inter utriusque Regis Clientes, confœderatos, subditos &c. Et Sabaudus restituatur ex integro.

Quintò: Invicem reddantur omnia occupata ab octennio hucusque, sive sint Regiones, oppida, Urbes &c. In hoc articulo hærebat Brisaceus, & indignissimum rebatur, quod Henricus trecentas propemodum Arces & Urbes, ob pauculas quasdam recipiendas reddere debuerit Hispano, nec minimùm propterea commoto Rege, qui Pacem hanc enixè flagitabat.

Strada lib. 1 Accessêre tandem & nuptiæ firmamenta fœderum, mansura (ut observat Fam. Strada) inter Principes, quamdiu annuerit dominandi cupido, cui plerumque tenacius nubunt Reges. Igitur Philippo Isabella Henrici filia tredecennis in conjugem promissa, &

& Philiberto Sabaudo Margarita soror; Illi quadringenta numorum millia, huic trecenta in dotem scripta.

23. Hæc pacificatio supra exemplum observata, usque ad infelicem excessum Henrici Regis, qui inter Nuptiarum hilaria hasta ludens, vel potius concertans cum Mongomerio comite, nec galeæ Buculam sat demittens, ictus est à Mongomerio trunco hastæ priùs in pectorale perfractæ, per apertam Buculam transfixo oculo, ac læso cerebro, undè Rex ex tot præliis illæsus, ludicro certamine, innocuâ Mongomerii culpâ miserè occubuit, inspectantibus Reginis, Regiisque liberis cum universali omnium commiseratione & luctu.

24. Post Excessum Henrici, in solio successit filius ejus Franciscus II. qui Hæresi & factionibus domesticis vix par, externa non curavit. Rexit tot mensibus, quot vixit Annis nempe septem & decem. Devixit Anno 1560. prole orbus. Igitur Carolus IX. frater demortui Francisci, & Henrici filius vix decem annos vitæ emensus, adiit quidem Regnum, sed occupatum à Matre Catharinâ; divisumque in duas factiones Navarream & Ghuisiam: illa sanguine splendidior, & Hæresim fovebat. Hæc Religioni antiquæ addicta sub specie ejus Regni gubernacula sub feminâ Regnante & Rege puero ambiebat. Inter utramque factionem Regina ambigua; sed sæpius Hæreticis propensior ob metum Navarri, qui delatam sibi in Comitiis à Legatis Ordinum, qui ferme plerique hæretici fuerant, administrationem Regni ultrò Reginæ cesserat. Inter hosce domesticos Religionis motus pacem Europæ non turbavit Gallia.

25. Licet vero multorum esset opinio Regem Hispaniarum ex æmulatione, & in ultionem, jam toties priùs, à Galliâ, contra Austriacos, fractæ pacis contra Franciam moturum arma; & illud per intestina dissidia indebilitatum Regnum oppressurum; nequaquam tamen hâc usus occasione, Hispanus integrè observavit pacem Cameracensem; quin immo post Amboisianam conspirationem Galliæ Regi suppeditavit arma & opes, ac insuper vitam ipsam ad sedandam seditionem omnesque suorum Regnorum vires obtulit. Petr. Matthæ. de bello inter Franc. & Hisp. Reg. pag. 25.

26. Eâ

26. Eâ verò tempestate Philippus Secundus eodem fato, quo Gallus in Galliâ, laborabat ille in Belgio, videlicet internis convulsionibus ob dissidium Religionis. Si enim originem, causamque, seu etiam Auctores & modum quispiam expendit solertiùs, utrobique inveniet tàm in Galliâ, quàm in Belgio ejusdem planè fuisse rationis, eandemque fermè tulisse sortem. *Hugonotorum* in Galliâ, *Geusiorum* in Belgio, fortuitò nata nomina, quæ hæresim denotabant. Quod Cardinalis Lotharingus in Galliâ, hoc Cardinalis Granvellanus erat in Belgio. Quæ Condæi in Franciâ, hæc apud Belgas Principis Auriaci autoritas: Catharina Medicéa regebat Galliam, Margarita Austriaca administrabat Belgium: Paria Regum edicta: consimiles Nobilium conspirationes: Eædem comitiorum turbæ: pares Ecclesiarum direptiones, Prædicantium insolentiæ, ac mutuæ Civium, inter se collisiones & planè cædes; quasi Religio hiscè victimis placari deberet. Denique eadem, paria, & consimilia omnia, utrobique, & ex iisdem causis *Religione* videlicet, & sub prætextu hujus, *Ambitione*: Hoc solo tamen discrimine; quod arma à Gallis celeriùs susceptа; pertinacius à Belgis & pernicioſius retenta. Ac proindè mirum nihil est, quod utroque Rege domi occupato, interim arma quievêre foris.

27. Cum verò Carolus IX. post expletos viginti & quinque vitæ annos; Regiminis verò neque quidem uno absoluto (ad clavum sedente Reginâ Matre; Regiâque autoritate abutentibus duabus Mommoranciorum & Ghuisiorum factionibus) statuebat primum Regiminis annorum inire, non solum matrem ab usurpato tamdiù Regimine removendo; sed etiam radicitùs evellendo Mommoranciorum & Ghuisiorum factiones, ne amplius in perniciem Regni valerent consurgere; sed ipse, ut unus erat Galliæ Rex, ipse unus imperaret absque socio avito suo Regno: Ecce! (quam cœli fata mirabilia!) improvisè lecto affigitur Rex correptus febre lentâ, ac per nares & aures ac ipsos carnis poros largiter manante sanguine, nec sine suspione toxici

inter

inter quindecim dies Anno 1574. annis adhuc florentem vitam exhalat nullâ relictâ posteritate.

28. Undè ad Coronam Galliæ non tâm vocatus, quâm ex Poloniâ, noctu & fugâ elapsum Henricus III. Frater Prædecessoris Caroli IIX., & tunc Rex actualis Poloniæ, cursoris equis approperavit Galliæ, quam ille reperiit muliebri Imperio obnoxiam, (Catharina siquidem post Caroli obitum perseverabat in Regimine,) Hugonotorum bello undique commotam, & procerum factionibus discissam; Mommorancio & Cossæo primis viris incarceratis, exule apud Argentoratenses Condæo, Alensonio & Navarro Luparæ arctè custoditis: undequaque imminente tempestate tâm ab hæreticis Principibus Germaniæ à Gallis in fœdus Religionis Heterodoxæ vocatis, quam Domesticis Proceribus, ut plurimum Hugonotis: Indè mille implicitus, tædio etiam Regiminis tâm ardui omnia committebat vel Reginæ Matri, vel paucis, iisque publico ingratis, se verò mancipabat otio & vitæ Sardanapalicæ.

29. Interea variè cum Hugonotis armis certatum, actum, transactum pacificè prius quater, sed utrobique à constitutis digressum. Tandem quinta pax cum Hugonotis cœpta, ac à Reginâ procurata, ut vel ex hâc pactorum volubilitate conjicere liceat; quanta præcedentium Pacificationum sive firmitas fuerit, sive transacta servandi animus: cum eam studiosè inibant Hugonoti, ut per pacem moram lucrarentur restabiliendæ impietatis. Nec minor Reginæ Matris sagacitas fuit, per pacem pellicere Principes in sui obsequium, nullo habito respectu Religionis, sed ut, quam usurpabat, ambitiosa fœmina, Regni administrationem, sine disceptatione, vel æmulatione Principum Regii sanguinis obtineret.

)o(

Cap. IV.

De quintâ hac Pace amplius.

1.

Quinta hæc Pax, quia Hugonotis propitia ac Principum Ambitioni favorabilis, Regnanti autem neque Sacroſanctæ fidei decora erat, multis videbatur futura firmior ſtabiliorque. Leges hujus pacis ſingulorum utilitatibus factæ numerantur hæ fermè. Ut nimirum Alenſonio pendantur in annos ſingulos centum millia librarum, & in patrimonii incrementum (nam Regis frater fuit,) Bituriges, Turones & Andegavenſes, cum jure, quod optimum fuit, aſſignati. Condæo uſus liber Præturæ in Piccardiâ, & Peronna Urbs ad receptum, adjunctis etiam centum librarum millibus. Contyo, Caſimiro, Turrennio, quæ optabant, conceſſa. Hugonotis data libertas in univerſo Regno diſſeminandi Zizania fidei. Judicia omnia in Mongomerium, Mombranum, & ceteros Hugonotos irrita & reſciſſa, ac damnatorum memoria in integrum reſtituta: Hugonotis datæ Urbes haud paucæ, & pleraque in eorum gratiam conſtituta. Adeò Religionis minima cura eſt, ubi periculo eximitur ambitio, vel ſtabilitur dominandi Cupido.

2. Porrò ex hâc in necem veræ Religionis transactâ cum hoſtibus Eccleſiæ pacificatione tàm cruentum deindè extitit Gallis bellum, ut ejus miſeriis, Gallicâ hiſtoriâ teſte, nullum exemplum in Annalibus foret. Erat enim Gallis contra Gallos in ipſa Galliâ bellum. Erat Henricus tertius medius inter Hugonotos & Catholicos, non Rex, ſed fabula: Illorum quidem hoſtis, ſed horum ludibrium. Diſſimulabat cum hæreſi, quia ejus metuebat Duces; amabat Catholicum fœdus, ſed non placebant Duces, qui ſub Religionis prætextu, quod autoritatis Regiæ, Hæreſis intactum reliquit, ereptum ibant. Ambarum factionum animos ſibi conciliare geſtiebat, & offendit apud utrosque. Hugonotorum Sectam tàm cum Borboniis Principibus debiliorem nole-

nolebat, ne Catholica cum Ghuiſianis Ducibus præmium victoriæ ferret Regis ſervitutem.

3. Et reverà, ſi hiſtoriam, animo non in partes diſtracto, expendimus; jure videbatur Regi utraque factio tàm Hæreticorum ſub Borboniis, quam Catholicorum ſub Ghuiſiis ſuſpecta; quia utraque Ambitioni innitebatur. Borbonii enim ex Regibus Navarræ tàm proximi erant ſolio, quam ſanguine: ac ſive illi Henrici fata prævidebant, ſive degenerem ejus vitam, odioſumque omnibus Regimen contemnebant, hoc interim certum, quod in ſpem Regii ſolii erigebantur. Cum autem ſuas vires, tantis conatibus ſcirent eſſe impares, Hugonotorum patrocinium ac ſectam ipſam amplexi ſunt; & trium fermè ætate Regum, ait Dondinus, infeſta quæque moliebantur Regibus, & in cauſæ popularis piæque procuratione ſuam agebant, bellique in, Regem procella, non ambitione Principum, ſed vulgi de Religione diſſidiis conflata, jactabantur. Ita Religio per eos ad uſum translata, conſilio non ſolum impio, ſed univerſæ Galliæ funeſto & cruento. Dondinus de rebus Galliæ lib. 1.

4. Eandem fermè Originem habuit Catholicorum Liga, ſive, ut alii vocitabant, fœdus ſacrum; Autoribus & Ductoribus Ghuiſianis Principibus. Adeò non omne, quod fulget, aurum eſt? neque ſacrata omnia, quæ Religionis velo obteguntur. Princeps tenebrarum ſæpe induit Angelum Lucis. Sub Relionis zelo latet interdum privata utilitas, vel inanis gloriæ immoderata libido.

5. Sic primitùs Mommoranciorum & Ghuiſiorum in Galliâ æmulatio ſub Henrico II. cœpta, progreſſum fecit; ut in apertas factiones, ſumptis à Religionis ſchiſmate incrementis, eruperit. Nam poſt cladem Sancti-Quintini Gallorum maximam, Franciſcus Dux Ghuiſius, conniventiâ tum Regis Henrici Secundi, tum Reginæ Catharinæ res fermè Galliæ, plusquam vaſalli autoritate, moderabatur. Sed Mommorancium Conneſtabilem Regni æmulum habebat potentem & inſignem, qui poſt pacificationem Camméracenſem Regis animum obſederat, ejusque utebatur

batur autoritate plus æquo, iramque in se (maximè cum hastæ ferali ictu Rex occubuisset) Ghuisianæ gentis, & in Galliam bellum concitavit domesticum, omni externo cruentius. Nam ad Mommorancios accesserant Principes Regii sanguinis, qui à Catharinâ Regnante se à primis Regni muniis, quæ jure prætendebant, exclusos doluêre ; converti ad sectam Hugonoticam, undè vires, arma, opes, arces, instruendo in longum bello, acquisiêre. Ipse Alensonius ad Hugonotos transfugerat indignatione motus, quod Henricus III. Frater ipsius inter Choréas tripudiantem juvenem præcipiti consilio custodiæ tradidisset, ac postridiè Catharinæ, precibus, majori imprudentiâ non solum relaxasset, sed etiam quod supremam armorum Præfecturam, quam affectabat, non concessisset. Hinc magna spes occupavit Hugonotos penitus Religionem Catholicam ex cathedrâ veritatis Apostolicæ, Regemque ipsum ex Regio solio deturbandi.

6. Ghuisii ab adverso vel ex livore in æmulos, vel tuendæ Religionis zelo (utroque omnibus humanis animorum affectionibus majore,) efferveſcebant, vocatis in opem Catholicis omnibus, Clero, Pontifice, Hispani Rege totaque Catholicâ Christianitate; Franciſci Secundi olim gratiâ, & Catharinæ in Principes odio sustentati, sed nunc Henrico III. ob potentiam illorum plus æquo majorem, graves, invisi, intolerandi.

7. Accessit Ghuisiis prætextus ingens ex pace nuper cum Hugonotis planè ignominiosè & indignè contractâ : Libertate pro cujusque libitu de Religione opinandi decretâ : Hæreticis perinde, ut Catholicis, ad Regni munera assumptis : Rege in bonum Regni, & Religionis nihil operante ; Reginâ matre hæreticis ex utilitate privatâ nimis addictâ : Alensonio Regis Fratre Heresim & Catholicam fidem titubante : Navarro & Condæo aliisque Principibus palàm in Hugonotorum castris militantibus. Hæc erant, quæ Ghuisios extollebant : populique Galliæ omnes, quorum sincerus de fide verâ sensus, ad Ghuisios, velut post naufragium, secundam tabulam currebant ; opem eorum appellabant, provocabant fortitudinem, aras & focos commendabant.

8. E contra indignabantur palàm Navarræ Regi, & Condæo Principi, ut Hugonotorum Ducibus. Averſabantur Alenſonium, tanquam malorum crimen, & caput, qui Catholicus ipſe, fortè ſpecietenùs, in Catholicum, immò Chriſtianiſſimum Regem & Fratrem pro Hæreticis arma ſtrinxiſſet. Neque Regi, neque Reginæ Matri parcebant, qui tàm probroſæ ſuperius Pacificationi ſubſcripſiſſent, Religione in triumphum utilitatis ductâ. Henricum verò Ducem Ghuiſium, ut ſcribit Dondinus, ejusque Lib. 1. Germanos Fratres Ludovicum Cardinalem, & Carolum Mainei Ducem, tanquam è cœlo delapſos, triumviros Religionis vindices, venerabantur. Illos, ut fidei Columnas, & Catholicarum partium propugnatores, uxoribus viri, parentes liberis oſtentabant. Neque omittebant Ghuiſiani, quibus artibus paraverant, iisdem augere favorem populi, magnis eorum conatibus profuturum. Undè ſpecioſo hoc titulo inſtitutum univerſale Catholicorum in Galliâ fœdus, ac novum in Regno Regnorum erectum, ac Henricum Ghuiſium (aliàs Principem vaſallum,) Henrico Valeſio conſecrato & Legitimo Regi Galliæ (ex quo manifeſtæ Ambitionis indicium, & conſequens perduellionis labes à prudentioribus politicis conjectata,) obtrudi viſum?

9. Has inter factiones Hugonotorum, Catholicorum (quæ uno conatu, ſed ſub diverſo prætextu Regiam autoritatem petebant,) Henricus Rex utramque variâ arte, dolis, vi, pace vel bello perdere, & ſe mutuâ clade colliſuras conficere ſtatuit, obque finem hunc tertiam factionem mediam, & Regiam, cujus aſſeclæ Politici ſive Statiſtæ dicebantur, erexit, indefeſſo niſu in id ſolum intendens, ut Regiam conſervaret dignitatem, ejusque uſurpatores: quoquo modo in ordinem redigeret, tandemque Regni clavum è factioſorum manibus volentium, nolentium extorqueret; Ghuiſiis tamen & Catholicis infenſior, quam Hugonotis, quia præ his illos metuebat magis ob externa Pontificis, Regisque Hiſpaniarum periculoſa Galliæ auxilia.

10. Hinc non minus præcipiti conſilio, quam luctuoſo fato Ghuiſium Ducem, in aulam agendorum neceſſitate vocatum

ſuique ſecurum per ſicarios confecit Anno 1585. ipsâ quæ pervigilium Natalis Dominici anteceſſit die ; comprehenſo inſuper Cardinali Ludovico Fratre interempti , & in cuſtodiam tradito, randem Regis Juſſu à Satellitibus haſtis confoſſa.

11. Horum reliquiæ in cinerem ventosque datæ , ſuſcitarunt non ſolum Regi Henrico excidium, ſed etiam Galliæ cruentius bellum. Nam Catholicorum omnium ingenti luctu excepta cædes, tandem indignationem & furorem excitavit, ut non ſolum à contumeliis in Regem plebs ceſſare noluerit, ſed in ejusdem odium contemptumque per urbem Ghuiſiorum imagines circumlatæ, & planè venerationi in templis expoſitæ, veluti pro Religione morientium ; diſcerptis è contra undique Valeſiorum & Henrici Regis inſignibus, abrogato Regio titulo, exploſo nomine, amicis in catenas datis, autoritate denique Regis Tyranni proculcatâ & irriſa.

In hâc perturbatione infelix Rex nec à ſubditis, nec ab externis, nec à ſacrorum Pontifice, ob Sacrilegium in Cardinalem commiſſum, carcerique mancipatum, Archi-Epiſcopum Lugdunenſem, ſui ſecurus, ad Hugonotos ſe convertit, initâ cum Rege Navarræ ſocietate. Hæc, quantum Superis placeret, eventus docuit; ubi enim Rex Lutetiæ obſidionem cum Navarro parabat, à Cœnobitâ Dominicano cultro ſicario in viſcera ejus immiſſo, Regno, cujus ludibrio fuit, vitâque, quam planè degenerem duxit, exutus eſt Anno 1589. Moriens Regnum Galliæ Navaro ex gente Borboniâ, quia Valeſia in Henrico III. expiraverat, nuncupavit. Graviter indè obſeſſa Lutetia à præfato Navarræo, deſolata & confecta magis fame, quam armis oppugnantium. Extrema propè illi imminebant, cum Farneſius Dux Parmenſis, opportuno adventu, obſidionem ſolvit Anno 1590.

Turſelinus

12. Ex tunc reaſſumpta rurſus bella inter Coronas Galliæ Hiſpaniæ duratura in longum ævum, licet variis induciis, ac intermediis Pacificationibus ſæpe interrupta, nunquam ſublata. Adeò fervet æmulatio inter has duas coronas cum magno diſpendio non ſolum ſubditorum, & Chriſtianitatis ſenſim deficientis certo

to periculo ; verum etiam (quod miſeret effari,) cum ingenti Barbarorum infidelium, & hæreticorum incremento, ne dicam, quod illæ totam Europam commoveant, implicentque bellis, adeò, ut jam multis ſæculis inter Chriſtianos Principes nulla extiterit ſincera Pax, nulla Chriſtiana amicitia, nullum longum ſtabileque fœdus.

13. Inſimulabant Hiſpanum quidem multi, quod is eâ cæſi Regis, & Henrici quarti (utpotè hæretici,) à Galliæ ſucceſſione excluſi, occaſione, varia moliretur, & in hunc finem immiſſo in Galliam non ſolum Legato Mendozâ, ſed etiam armato Duce Farneſio, protectionem in Regnum Franciæ ambiret. Verum Philippi manifeſtum ſcripto vulgatum multo aliud referebat. Obſecrabat nimirum Principes cunctos, Chriſtianos, ut ad liberandum Franciæ Regem Carolum X. (Is Cardinalis Borbonius longævus ſenex & captivus quidem Navarræi erat, quem Mainius Catholici fœderis Princeps, de conſilio quadraginta virorum optimatum, poſt cæſum Henricum declaraverat Regem Franciæ, eo nomine Carolum X.) arma adjungeret, expurgarent Regnum hæreſi, illudque ad obſequium Regis Chriſtianiſſimi adducerent : mox ſimul ipſum hæreſeos virus ab cæteris Provinciis pellerent: tunc demum omnes viribus junctis, Terram ſanctam Turcis eriperent, teſtatus DEUM Maximum ſuperosque cœlites, eum unum armorum & votorum ſcopum eſſe ac finem, ut per ea Eccleſia protegatur, extinguantur hæreſes, & quique populi ſuo legitimo Principi obſequantur. Buſieres. Hiſt. Fran. lib. 22.

14. At Henricus Navarræus, quem ſola Religio à Regio ſolio detinebat, Catholicam amplexus, ſolvit ex integro, Catholici fœderis nodum Gordium, larvamque detraxit ambitioni, quam ſacri fœderis Ductores S. ſanctæ Religioni immiſcebant, reconciliatus, & publicâ fidei profeſſione adjectus rurſum ſacræ Matri Eccleſiæ ; Anno 1593. quinta & decimâ Julii Menſis. Inauguratus poſteà & unctus in Regem & Chriſtum Domini, non quidem Rhemis, ab hoſte tunc occupatis ; ſed Carnuti ſolitâ Pompâ, & univerſorum lætitiâ, præſentibus Principibus & optimatibus Regni.

15. Sic

15. Sic nova facies induta Galliæ, & poſt tot emenſos labores & colluctationes denuò data quies : nec ab optimo Rege, licet mille modis offenſo, ulla ſuſcepta eſt ultio in ſanguinem Gallicum. Manſit attamen altis radicibus fixum animo Henrici, Hiſpanorum in ſe pluries promptum odium, gentisque livor ; quæ non ſolum per Farneſii arma, ſubminiſtratamque Fœderi Gallico pecuniam, adverſus legitimum hæredem inſidiabatur Imperio Galliæ, verum etiam ſecluſo Henrico in publicis Regni Comitiis Carolum Lotharingum, eâ conditione, ut infantem Hiſpaniæ Iſabellam in Reginam Galliæ duceret, ſolio intrudebat. Et hæc cauſa Henrico Regi fuit, quod non tantùm Hiſpanum Regem, ſed totam gentem Auſtriacam, in omne vitæ tempus ſuæ felicitati ſuſpectam, unamque Gallicorum machinarum remoram eſſe, crediderit. Quantumvis Hiſpano non etiam deerant prægnantes cauſæ averſionis. Religio namque cordi erat Philippo, quam hæreditario jure ſibi ubivis locorum protegendam duxit. Hanc impugnabat Henricus in Galliâ, hæreſimque hîc apertè, in Belgio clam fovebat, concitabat etiam Rebelles & ſeditioſos Belgas in Philippum naturalem Principem; neque deſiſtebat à prætenſione Navarræ, quam ſibi per pacificationes præteritas Hiſpanus arrogabat.

16. Interea Rex Henricus Hiſpano, bellum indicit, tanquam Autori inteſtini & diuturni in Galliâ belli, ratus non poſſe commodius extingui incendium, quam ſi flammæ fomes ſubtrahatur. Erupiſſe ab uno Hiſpano diſcordiam Galliæ ; rejiciendam in eum moleſtiam : ut qui alienum bellum ſuo commodo aleret, id tandem intra viſcera ſemel ſentiret & experiretur.

17. Hinc in Luxemburgicum agrum, Arteſios, Canoniosque immiſſo hoſtiliter Bullionio, ipſo autem Rege invadente Burgundiam, quæ tota præter Scurram & Cabilonem Galliæ Victricibus armis ceſſit. Cæterum vario Marte bellatum, hinc Gallis, illinc Hiſpanis fortuna propitiâ. Nam etiam ab Hiſpanis Durbanium, Cammeracum, Caletum, Ambianum, Ardræ, Hulſtum, & plura alia loca capta, quibus conſternatio totius Franciæ exci-

ta,

tat, non levem curam dabat in Regno nondum coalito & ſubRege novo ac egeno, opibusque ſubditorum per tot civilia bella diſtractis. Utrinque Pax erat proficua, ſi non neceſſaria : Hanc Apoſtolicâ autoritate urſit Clemens Octavus Anno 1598. & intervenientibus utriusque Coronæ Legatis in ſequentem modum concluſa eſt.

18. Primò : Servanda eſſe pacta ab iisdem Regibus infra deſcribenda, prout in pace tunc iterum confirmata, in oppido Cameracenſi ; Anno 1559. inter Henricum II. glorioſæ memoriæ & Philippum Catholicum Regem inita, cujus nihil immutetur præter illud *cui Pax præſens refragatur.*

Secundò : Poſt hujus conventionis diem, mox eſto bona, tuta, ſtabilis ac *perpetua Pax*, fœdus & amicitias inter hoſce Reges, eorum natos, & naſceturos hæredes, & ſucceſſores, eorumque Regiones : ac ſubditi fraterno ſe amore colunto, mutuum rerum omnium incrementum pro viribus perquirendo, omnem ſibimet ipſius cauſam damni inferendi viciſſim fugiendo, nemini quavis aperta vel victâ ratione, in cujusvis eorum jacturam favento, finem cuivis diſſidiorum generi imponunto, omnia fœdera quovis modo cum aliis habita, quæ utrique eorum detrimentum eſſent allatura, hujus pactionis vi ac robore, pro irritis habendo, gravi eos pœnâ puniunto, qui terra marivè, ſeu quavis alia ratione iis adfuerint, qui damnum cuivis eorum Regum moliantur.

Tertiò : Amborum *Regum ſubditi*, (legibus moribusque Regnorum ſervatis,) ubique vivere, verſari, manere, ire, diſcedere poſſint, ſive mercium ſive aliarum rerum causâ, terrâ maríque, ubi ipſi Reges dominantur, habitâ tamen vectigalium ratione.

Quartò : Literæ ad intercipiendum miſſæ non valent, neque aliæ concedantur, niſi in eos, qui hanc pacem non ſervaverint, vel ubi jus locum non habeat.

Quinto : Totius *Flandriæ* dictionis ſubditi, atque incolæ, aliæ Provinciæ ac Regna, ſub Hiſpaniarum Rege privilegiis ab

aliis Galliæ Regibus conceſſis fruantur. Quique Francorum Rege parent itidem ab Hiſpanorum Regibus privilegia conceſſa retineant.

Sextò : Si Catholicus Rex teſtamento, munere, aſſignatione, vel aliter quovis nomine donet, cedat aut transferat Sereniſſimæ Iſabellæ primogenitæ ſuæ, vel aliis, omnes Germaniæ inferioris Provincias & Burgundiæ, & Carolois Comitum ditiones, omnes in hoc fœdere eſſe debeant, prout erant Anno 1559. ipſaque Sereniſſima ejus filia, vel alius, in quem Catholicus Rex, ut ſupra, has ditiones contulerit, hac pace fruantur nullo alio negotio accedente.

de quo C. p. 9. Paciſ. 17.

Septimo: Tàm Eccleſiaſtici, quàm ſæculares ſub utriusque Regis Imperio ad ſua munera ac beneficia revertantur, licet inimicis inſervierint, dummodo ante menſis Decembris finem anno 1588. eadem fuerint conſecuti, (iis exceptis, qui ritè Eccleſiis fuerint præpoſiti,) neque immobilium bonorum fructus repetantur, quæ usque ad diem, qua fœdus hoc prodierit, fuerint occupata, neque ut ære alieno leventur, in quod his de cauſis ad dictam diem inciderint.

Octavo: Redeat quivis horum Regum ſubditus, in ſuorum immobilium bonorum poſſeſſionem ſolitisque fruantur fructibus, nulla impediente donatione, conceſſione, declaratione aut publicatione jam facta: neque civilibus, criminalibusve cauſis, quod apud adverſarios fuerit, requiratur. Si aliam non accuſetur ob cauſam.

Nonò: Qui ab utrisque Regibus fuerit beneficia conſecutus, quorum collatio ad ipſos pertineat, iisdem fruatur.

10mo. Alter eorum Regum viciſſim alteri, quod poſt annum 1559. occupavit, reſtituat, imprimisque Rex Chriſtianiſſimus reddat Catholico Regi Comitatum Carolois, quodque ad ipſum pertineat, intra duos menſes poſt hoc initum fœdus.

11mo. Catholicus Rex reddat Chriſtianiſſimo præſidia, poſt tractatum Cameracenſem occupata, & præſertim Calais, Ardres, Dor-

Dorlens, Caſtellet, Capelle, Monthulin, Blavet, & quicquid in Belgio armoricisque civitatibus captum ab eo fuerit.

12mo. Duobus menſibus poſt diem compoſitæ pacis, reſtituentur Calais, Monthulia, Dorlens, Chapelle & Caſtellet, nullis horum oppidorum mœnibus dejectis, neque repetitis ſumptibus ad muniendum aliquam ob cauſam factis primumque Calais & Ardres reſtituantur: Reliqua vero tempore jam præſcripto.

13tio. Tribus poſt initum fœdus menſibus Blavet reſtituantur, dejicianturque, ſi Catholicô Rege videbitur, mœnia

14to Datur Catholico Regi, ut per ſuos tormenta, pulvis, pilæ, arma, commeatus, aliæque munitiones exportentur, quæ in iis præſidiis ab eo collatæ invenientur, iis relictis, quæ in ipſorum expugnatione fuerint inventæ ſecumque milites impedimenta ſua efferant, quæ tamen Civibus, oppidanisque non abſtulerit.

15to. Chriſtianiſſimus Rex naves militibus Hiſpanis præſidiis Blavet curabit, quibus ſuis cum impedimentis in Hiſpaniam transvehantur, datis tamen ab eò vadibus; tutum ſe iter habituros.

16to. Catholicus Rex Galliæ Regi quatuor dabit obſides, quorum duo mox, poſt Belgii præſidiorum reſtitutionem dimittantur, reliqui verò apud Chriſtianiſſimum retineantur, quousque Blavet fuerit reſtitutum.

17mo. Ut quæ Anno 1559. de S. Pauli Comitis ditione acta, ſed ad finem perducta non fuerunt, de finitimis ipſorum Regum Regionibus, de immunitatibus & vectigalibus, quorum jus ſibi adſcribunt Burgundiæ Comitatus ſubditi, Terovannæ Epiſcopatus, Bullionis Ducatus, de aliquot oppidorum, quæ ab utroque Rege fuerunt viciſſim occupata reſtitutione, ab arbitris, ab ipſis Regibus electis, decidantur ac judicentur.

18vo. Summi Pontificis auctoritate, ab utroque Rege Viri deligantur, quibus controverſias quotidiè inter urbium Ammiens & Arras Epiſcopos orientes, componendi cura demandetur,

cauſa quorundam oppidorum ad ſuos Epiſcopatus pertinentium, idque anni unius tempore.

19no. Ab utraque parte omnes captivi milites dimittantur, expenſas vero, quodque aliis debent, ſolvere teneantur, ſi ante hoc fœdus initum de ſe redimendo non convenerint, nullo impendio pro redemptis habeantur.

20mo. Triremibus utrinque addicti mox ab omni ſumptu immunes dimittantur.

21mo. Utrique Regi hæredibus, & poſteris eorum, ac Sereniſſimæ Iſabellæ integre ſerventur Regnorum Regionumque ſuarum Jura, Judiciis verò, ac non armis exequenda.

22do. Cum monuerit Catholicus Rex præſtare, hujus ſecuritate Sabaudiæ Ducem, eidem intereſſe affinitatis causâ eſt cum utroque Rege conjunctus, concedente id Chriſtianiſſimo Rege, idem Dux Chriſtianiſſimæ Majeſtati ſatisfacturus oppidum, atque arcem Beriæ duobus poſt præſens fœdus menſibus reſtituat, nulla ejus parte demolitâ ſive dejectâ, neque pro factis muniendi expenſis, aliisque rebus aliqua repetita.

23^tio. Idem Dux præſidium à Seurra Burgundiæ deducet, neque opem alicui feret, qui illius contra Regem Chriſtianiſſimum potiri conabitur.

24to. Diſſenſiones inter ipſos Chriſtianiſſimum Regem ac Sabaudiæ Ducem Deputatorum conſenſu, paci conſulentium ſummo Pontifici judicandæ relinquantur, unius anni poſt perfectam hanc pacem tempore, juxta Chriſtianiſſimi Regis reſponſum, quod ſub die 4. hujus Anni 1598. ſcriptum apparet, omniaque rata ſe habituros promittunt, quæ fuerint à ſua Beatitudine judicata, neque novi quicquam ſe interim eſſe novaturos.

25to. Ipſi Reges Filiique, ac eorum poſteri, incorruptam colent amicitiam, neque ullam ob cauſam alter alteri bellum inferre ſtudeat.

26to. Utriusque partis ſubditi tam Eccleſiæ, quam ſæculo ſervientes poſſunt, quod eorum fuerit, recuperare, iis exceptis, qui provinciis præfuerunt.

27mo. Dux

27mo. Dux Sabaudiæ ab utroque ſolutus, atque utrique Regi ſit æque amicus, commeatumque liberum per eorum Regiones, tum habeat, cum ipſorum ſubditis tribuat.

28vo. Hac in pace, ſi velint, pro incluſis habeantur, ipſorum Regem conſenſu cum Chriſtianiſſimo Rege, ſummus Pontifex, Apoſtolica ſedes, Imperator, Principes Eccleſiaſtici, Seculares, oppida, communitates, & Imperii ditiones, & imprimis Comes Palatinus Elector, Marchio Brandeburgenſis, Dux Würtembergicus, Landgravius Haſſiæ, & alii plures.

29no. Sint cum Catholico Rege S. Pontifex, Imperator, & ſi velint plures alii relati, qui omnes unâ hac pace fruantur: hoc pro expreſſo habito, ut nemo duorum Regum ritè vel contra per ſeipſum, vel per alios, cuivis eorum moleſtiam poſſit afferre; ſique ipſorum aliquis ab eis quicquam ſit repeticturus, judiciis, non armis uſuros eſſe intelligant.

30mo. In hâc etiam pace ſint omnes illi, qui utriusque Regis Conſenſu nominari poſſunt, dummodo ſex menſibus poſt hujus pacis editionem extent eorum litteræ, quibus, ut par eſt, declaratio ac eorum obligatio appareat.

31mo. Et quo hæc omnia, de quibus actum eſt, omnesque eorum partes & capita, tutiora exiſtant, in Pariſiorum aliisque Gallici Regni Conciliis firmabuntur, notabuntur, atque edentur, idque ipſum fiet in magno, aliisque Catholici Regis Conciliis, in ſuis inferioris Germaniæ regionibus, juxta formam, quæ in eo, quod actum eſt Anno 1559. continetur, hisque de rebus, tribus poſt hujus pacis editionem menſibus diplomata expedientur.

19. Hæc Pax Verviniana dicta fuit, quia Vervini concluſa Sexto Nonas Maji 1598. nec ſolum Jurejurando utrinque, ſed etiam ipsâ morte Philippi ſecundi, cui ſucceſſit Philippus tertius Filius ampliſſimæ Monarchiæ hæres, confirmata. Meteranus lib. 19. de reb. Bellicis

20. Pacem Vervinianam conſequitur Lugdunenſis inter Gallum & Sabaudium ſub initium Anni 1601. celebrata. Cum enim Pontifex per pacem Verviniam Judex conſtitueretur omnium inter Galliam & Sabaudiam deſuper indies differet; cunctatione

hâc motus Henricus Rex, arma arripuit in Sabaudum, & ad pacem coëgit; quæ ſequentibus legibus conſtabat.

21. Primo: Quod præfatus Sereniſſimus Dux cedit, transfert ac relinquit Chriſtianiſſimo Galliæ Regi ſingulas Regiones ditionesque Breſſæ, Burgei, Verominis, & generaliter quicquid ad eum pertinere poteſt usque ad flumen Rhodani complectendo ipſum flumen, ita ut ab exitu Genevæ totum dictum Rhodani flumen ſit Regni Galliæ, ſpectetque ad ipſum Regem ejusque poſteros: cum ſingulis earum pertinentiis tam in dominio, Juſtitia ac ditione, Vaſallis & ſubditis, omnique recto nomine, ratione, quæ pertinere poſſent, adipſum D. Ducem in prædictis regionibus, aut ratione vel cauſa ipſorum. Nihil igitur ſibi reſervat, ac retinet, præterquam quod opportunitate tranſitus, ipſi Sereniſſimo Duci remanebit Pons Greſin ſuper dictum fluvium Rhodani, inter Cluſam & pontem Arli, quæ res ob præſentem tractatum, erunt ipſius Chriſtianiſſimi. Sed ultra Rhodanum remanebunt penes ipſum D. Ducem Parochiæ, Leæ, Averam & Ghezerii, cum omni eorum agro inter flumen Gaucermes & Logon Montanæ, appellatæ Graneredus, usque ad locum dictum Riviera. Et poſt dictum fluvium Gaucermes locus nuncupatus Negrocomes, ad ingreſſum viciniorem eundi & tranſeundi ad Burgundiam: hoc addito pacto, ut penes ipſum D. Ducem facultas ſit ullam inibi arcem ædificandi: tranſitus autem libere permanebit per dictum pontem Greſin, & quicquid etiam eſt reſervatum, tam per ſubditos ipſius Regis, quam per omnes alios ituros & reverſuros in Galliam ſine aliquâ illorum itineris moleſtiâ, perturbatione ac impedimento: transeuntes tamen exercitus & militum copiæ pro ipſo Sereniſſimo Duce, ſive altero Principe attingere, nunquam valeant Regionem ſeu oppida Regis Chriſtianiſſimi, niſi priùs licentiâ impetratâ ab ejus Majeſtate, ſive Gubernatoribus, vel Generalibus præſidentibus: nec ſubditis dictæ Majeſtatis aliquod inferent incommodum.

2do. Et ut ad effectum reduci poſſint omnia ſupra dicta, Sereniſſimus Dux rediget in poteſtatem Regis Chriſtianiſſimi, ſive à ſua

à ſua Majeſtate Deputati, arcem Burgi in eo, quo reperitur Statu, nihil demoliendo, vaſtando nec deſtruendo cum omnibus tormentis bellicis, pulvere vel aliis præparatoriis bellicis, quæ inerunt in dicta arce, cum tradita fuerit.

3tio. Et inſuper inita eſt conventio, quod ipſe Sereniſſimus Dux, cedat, transferat, & relinquat Majeſtati Ripas trans Rhodanum, loca, oppida, & pagos Haji cauſa, Ameſſi, Pontis Arli, Seiſſell, Chiavæ & Perrichiaſtol cum omni Superioritate, Juſtitia, dominatione omnibusque emolumentis, quæ ex præhabitis locorum ceſſionibus & ipſismet Colonis deduci poſſunt, non aliter comprehendendo in his, plurimos præfatorum locorum eorumve agri defectus.

4to. Item ipſe D. Dux dictæ Majeſtati transfert, relinquit, ac cedit Baroniam ſive poteſtatem Gez cum omnibus pertinentiis, & Juribus, eodemque modo, quo ipſe D. Dux ejusque Prædeceſſores potiti ſunt, & ſine ulla reſervatione ac retentione præter illud, quod eſt ab alterâ parte Rhodani exceptis tamen locis atque Pagis, Aire, Cauſi & Ameſi, ſuperius exactè nominatis, & cum conditione, quod omnia ſupra dicta ceſſa & conceſſa ſint, unita, & incorporata Coronæ Galliæ Regis, & deinceps æſtimentur de Dominio & Patrimonio ejusdem Coronæ, à quâ, nulla unquam occaſione, nullo unquam tempore ſeparari neque alienari valeant, ſed ſemper ſint in loco & natura locorum permutatorum, de quibus infra.

5to. Sancitum eſt etiam, ut ipſe Dux reddat & reſtituat in effectum dictæ Majeſtati, vel à dicta Majeſtate ad hoc ſpecialiter Deputatis, locum, vallem & cætera oppida, caſtra, Delphinii, ſimul cum turri pontis, & omnia, quæ ex Delphinatu occupata fuerunt, ab ipſo Sereniſſimo Duce, vel ejus dependentibus in eo ſtatu, quo nunc reperiuntur, ullam rem quovis pacto minimè demoliendo, vaſtando aut ullo detrimento afficiendo. Immò pulverem, tormenta aliasque bellicas copias in dictis locis hoc tempore manentes deferet; ſed milites turmaque militaris & alii ex dictis præſidiis exeuntes, poterunt curare, ut extrahantur eorum

rum ſupellectilia : eis tamen non liceat exigere rem aliquam ab incolis dictorum Caſtrorum vel provinciæ, neque aliquod ad ipſos incolas pertinens extrahere.

6to. Item quod ipſe Chriſtianiſſimus Rex jubeat, demoliendam, & funditus evertendam eſſe arcem Boccedelphini, quæ inſtante præſenti bello condita fuit, & Sereniſſimus Dux pro tranſitu ei conceſſo, ſupraque nominato & reſervato, ſolvet ſummam centum millium Scutorum pretio in ſingulis trium Francorum monetæ Gallicæ, vel tantidem in hac Lugduni civitate, quibus onus exigendi ab ipſa Majeſtate impoſitum fuerit, videlicet quinquaginta millia hoc præſenti tempore, cum primum Arx Carboneræ reſtituetur ſibi, & reliqua quinquaginta ab hinc ſex menſibus.

7mo. Et ob cauſam dictarum ceſſionum omnia tormenta Bellica, pulvis & commeatus aquiſiti à ſuâ Majeſtate ſibi omnino reſtabunt. De virtute præfatorum omnium ipſe Rex pro quiete pacis contentus eſt relaxare, cedere & transferre, ipſi Duci ejusque hæredibus & ſucceſſoribus, prout nunc relaxat, cedit & transfert omnia ſua Jura, nomina & actiones, & omnia & quæcunque prætendi poſſunt à Regibus Galliæ & Delphino ſuper Marchionatu Salucii cum ſuis pertinentibus; Item ſuper locis Centales, Mont, & Arcis Sparveriæ, nihil ſibi reſervando & retinendo: Itemque ipſe Rex Chriſtianiſſimus, quietavit, remiſit & renunciavit D. Sereniſſimo Duci omnia tormenta Bellica, & copias repertas in dictis Caſtellis dicti Marchionatus & Centalis de Anno 1588.

8vo. Pollicetur etiam ipſe Rex operam dare & in effectu reſtituere ipſi Duci, reverâ & perfectâ fide, vel cui ab ipſo Duce dabitur ad id facultas, totam Regionem, præſidia & loca, quæ nunc reperiuntur occupata & à ſuâ Majeſtate vel ſuis famulis detinentur, & acquiſita fuerunt ab ipſo Duce poſt Anno 1588. & omnia prædicta reſtituere eo modo & formâ, prout ad præſens reperiuntur, nihil ullo pacto demoliendo, vaſtando aut detrimentum officiendo.

9no. In

9no. In reſtituendis dictis præſidiis, poſſit ipſe Rex Chriſtianiſſimus extrahere omnia inſtrumenta Bellica, pulverem, pileas, vectigalia cæterosque commeatus, qui tempore reſtitutionis prædictæ reperientur intus dicta: Imo etiam milites & omnis generis militaris, cæterique ex dictis caſtris exituri poterunt operam navare, ut eorum ſuppellectilia, ad eos ſpectantia tollantur, omni eisdem erepta poteſtate exigendi rem aliquam à dictorum locorum incolis, vicinæ Regionis, vel iſtorum aliquid diſtrahendi.

10mo. Utriusque partis reſtitutio fiet ſtatim, quod præſentes compoſitiones ratæ, firmæ, & completæ fuerint, videlicet ipſe Dux curabit, ut reponatur in manibus ſuæ Majeſtatis, aut illorum, quibus à ſua Majeſtate impoſitum fuerit, Arx Burgi, cum tormentis bellicis, pulvere, pileis, omnibusque commeatibus, qui intra dictum Caſtellum reperiuntur, poſt hanc reſtitutionem Rex Chriſtianiſſimus curabit etiam, ut reſtituantur loca & caſtra Chamberi & Momigliani ipſi Sereniſſimo Duci, qui illicò imponat & mandet, ut reddatur caſtrum Delphini cum omnibus ſuis membris, ut ſupra dictum eſt, quæ omnia cum re ipſa perfectèque ab ipſo Duce peracta fuerint, reſtituentur eidem infra menſem vallis & Vicariatus Barcellonettæ, omniaque alia præſidia & loca præſenti tractatu promiſſa, eidemque rationabilis ſecuritas prout volet, tribuetur.

11mo. Omnes ſcripturæ, tituli & documenta, quæ adhiberi poſſunt in juſtificandis Juribus, rerum invicem inter ſe permutatorum reſtituentur, & reverà reddentur tam ex unà, quam ex alterâ parte.

12mo. Dicta Majeſtas non teneatur pro retributionibus, donis, & aſſignationibus factis ab ipſo Sereniſſimo Duce vel ejus prædeceſſoribus, ſuper terris & dominationibus per illum ſuæ Majeſtati ceſſis: Nec teneatur habere ratas hypothecas ſuper eisdem factas: ſed ratione venditionum & alienationum ad titulum oneroſum peractarum ſub forma conſuetâ & requiſitâ veritate hanc ultimam diſſenſionem S. M. in hoc devicta ſit, ſicuti etiam

Ser. Dux, & non priùs idem obſervetur, circa dona, remunerationes & alienationes in rebus à S. M. ceſſis.

13tio. Quas ob res ac etiam ob tractatum Vervini pax erit à die & data præſentis tractatus ſtabilis amicitia & proba vicina inter prædictos, Regem Chriſtianiſſimum & Sereniſſimum Ducem, eorumque filios natos, naſcituros, eorumque hæredes & ſucceſſores, eorum Regna, Regiones & ſubditos, reptâ qualibet poteſtate, aliquod facinus ineundi, cum detrimento aliquo paciſcentium ſive earum Regionum ac ſubditorum, quâcunque ex cauſa ſive prætextu, ſitque commercium liberum inter ſubditos & Regiones utriusque Principis, ſolvendo tamen Jura & impoſitiones à propriis ſubditis regionis ſolvendas.

14to. Subditi & utriusque partis ſervi tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares, quamvis adverſæ parti fuerint famulati, ſummâ cum pace revertentur, cumulateque fruantur omnibus eorum bonis, officiis & beneficiis, prout continetur in ſeptimo articulo dicti tractatus Vervini ereptâ omni Gubernatoribus facultate quicquam agendi ſive perturbandi.

15to. Omnes captivi, atque cæteri, qui belli occaſione ab utraque parte detinentur, in libertatem reſtituantur, ſi ſolverint impenſas, atque omne æs alienum, quod Jure debent, nec teneantur ad debitum talionis, niſi jam priùs convenerint de ſolvendo eo. At ſi in conditionibus erit exceſſus, vel ipſæ conditiones eſſent exorbitantes, ordo ab eo Principe ponatur, in cujus regionibus erunt.

16to. Quilibet in carceribus detenti ſubditi præfatorum Regis & Ducis, præſertim ex Marchionatu Saluciі, aliorumque locorum, quorum ceſſio facta eſt, qui ob belli calamitatem poſſent detineri in triremibus dictorum Principum, promptè in libertatem reponantur, amota facultate aliquid ab eis requirendi, nec ex causâ redemptionis, nec propter expenſas ſibi factas.

17mo. Omnes proceſſus, Judicicia, arreſta ſententiæque prolatæ ab An. 1588. in ſubditos Marchionatûs Saluciі & reliquorum locorum, de quibus ceſſio à dicta Majeſtate facta fuit, & poſt hæc

hæc noviſſima bella â Judicibus & Conſiliariis ordinariis in Sabaudiâ, Breſſa, cæterisque loccis recuperatis à S. M. conſequenter eorum plenum, integrumque effectum, in quibus ſint ſalva Jura ipſis, quomodolibet competentibus : Verum ſi ſententiæ in contumaciam latæ fuerint, aut lite non conteſtata, ſint nullæ, nulliusque effectus, tanquam prolatæ non eſſent, & quoad inſtantias indeciſas non judicatas, nec peractas, cognitio ſit officialis illius Principis, ad quem pertinebit.

18vo. Incolæ & ſubditi orarum & Regionum ad invicem datarum ob præſentem tractatum nullâ moleſtiâ afficiantur, nec quovis modo vexentur, ſi famulatum præſtiterint parti contrariæ, vel quâlibet alia præliorum præteritorum ratione, immo redintegrentur in plenâ poſſeſſione & Dominio omnium & quorumcunque bonorum, rationum, graduum, privilegiorum, immunitatum, & omnium eorum mobilium, quæ tunc reperientur, iisque liceat, prout libuerit, ire, recedere, & ad liberam voluntatem quomodolibet diſponere.

19no. Et quia incolæ Marchionatus Salucii & aliorum locorum, de quibus dicta ceſſio â S M. facta fuit, eorum facultatibus potiti non fuerunt poſt pacis tractatum Vervini factum reſtituentur, & dabuntur immobilium bonorum fructus, olim non habiti atque cenſus ac proventus, ex illo tempore, quo potiti non ſunt, poſt dicti tractatus Vervini proſcriptionem, usque ad initium voviſſimi belli, & circa officiales Salucii, & alios, qui ſerviverunt Regibus Galliæ, in Pedimontium regionibus, potientur immunitatibus & exemtionibus eis datis & conceſſis temporibus præteritis in aliis tractatibus à Regibus Carolo IX. & Henrico III. cum eodem D. Duce Sabaudiæ initis & poſtea confirmatis à Duce regnante.

20mo. Pollicetur etiam Sereniſſimus Dux omnes officiales & alios Salucii incolas, atque aliorum locorum à S. M. ceſſorum, nequaquam moleſtiâ afficiendos eſſe, & vexandos, aut Jure vel injuriâ quovis modo agitandos, ob aliquam cauſam præteritorum bellorum inter D. M. & D. Ducem, immo in libertate, eo-

rumque ſecuritate conſervabuntur, ut tranquillè, pacifice & liberè fruantur eorum bonis, & quod ad Regionem onera & gravamina pertinet, illi nimiùm, non gravabuntur, ſed potius leniter atque benignè accipiantur, de quibus ipſe Sereniſſimus Dux litteras dabit ac privilegia in formâ validâ.

21mo. Antiſtites ordinarii S. M. ſubditi habentes beneficia ad ſuas collationes in oris D. Dom. Ducis poterunt conferre dicta Beneficia cum opus fuerit, & qui rite & canonice electi fuerint, fructibus eorum beneficiorum fruentur ſine ulla illorum moleſtiâ, atque incommodo, idem ſervabitur, quantum ſpectat ad beneficia ſita in Franciâ, quorum collatio ſpectat ad Antiſtitem alicujus ex Regionibus D. Ducis.

22do. Rationes, quas contra D. Ducem prætendit, reſervatæ ſunt D. Majeſtati, ſi ſequatur, quod continetur in tractatu facto ſub Anno 1599 in Caſtro Cambreſi & Taurini ſub Anno 1574.

23^tio. Quod D. Dux Nemours, qui ſolebat poſſidere & habere omnia oppida, tributa, collationes, & cenſus à ſuo appanagio, emanentes ſub ditione Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis, eosdem virtute præſentis concordiæ deinceps habebit ab utroque Principe, ſcilicet ſua Majeſt. & Duce Sabaudiæ, qui illum benignè ut bonum conſanguineum promiſerunt habere, illiusque habere rationem, ut nec Juribus, & auctoritatibus, quæ ex appanagio D. Ducis Nemours exſtant, contraveniatur vel aliquo modo derogetur, ut illis pacificè potiri poſſit, juxtà ſententias, conditiones & conventiones dicti ſui appanagii; & inſuper promiſerunt, quod ſi deinceps aliquâ differentia reſpectu D. Appanagii orietur, ſummarie, familiariter & amice ſine proceſſu diffiniri mandabunt.

24to. Item ad inſtantiam Illuſtriſſimi & ampliſſimi legati, nomine ſuæ Sanctitatis factam, ſancitum fuit, ut omnes copiæ militares vel paratæ, vel ſtipendiis unitæ, cauſa hujus noviſſimi belli, dimittantur tam in Galliâ quam in Germaniâ infra menſem, poſt hujus præſentis tractatus publicationem, ut quisque valeat univerſali pace gaudere, & quiete promiſſa, in dicto tractatu Vervini, qui confirmatus eſt in omnibus punctis & articulis, præterquam,

quam, quod per præsentem tractatum mutatum esset, vel expresse derogatum.

25to. Ob majorem securitatem hujus tractatus, omniumque ejus rationum, pactionum, articulorumque in ipso contentorum, ipse idem tractatus publicabitur & acceptabitur in Parlamento Parisiensi, & inibi registrabitur, sicuti etiam approbabitur in Senatu Chamberi atque in Senatu Taurini, & in quibuslibet aliis locis solitis, cujus publicationis, ratificationis, atque registrationis ab utraque parte literæ patentes præstabuntur, infra tres menses post publicationem hujus præsentis tractatus.

26to. Qui articuli & capita supra nominata & comprehensa, & quantum singulis istorum, tractatum, transactum & stipulatum est per ipsos Deputatos à præfatis Principibus, qui vigore facultatis & auctoritatis eisdem demandatæ & sub illorum nominibus promiserunt, & promittunt sub obligatione omnium & singulorum bona præsentia & futura dictorum Majest. & Sereniss. Ducis, & quod ab ipsis inviolabiliter observabuntur, & ad effectum deducentur, & amplius pollicentur, quod sibi alter alteri litteras authenticas ratificationis dabunt, approbatas, subscriptas & obsignatas, quibus totus præsens tractatus insertus erit, idque efficietur intra mensem, à die & datâ præsentis tractatus. Præterea D. Majest. & D. Dux in corona eorum, quos suo arbitratu eligent, omni solemni modo jurabunt, exactè, bonâ fide, & realiter observare, quantum in D. articulis continetur &c. In quarum rerum fide D. Legatus & præfati Domini Deputati subscripserunt eorum proprio nomine præsentem tractatum Lugduni die 17. Febr. Anno 1602.

22. Gemina hæc Pax Christianum orbem, totamque Europam mirum in modum refocillavit, inductâ quiete publicâ in omnium quasi Regnorum Provinciarumque viscera. Quemadmodum enim, cum primùm Galliæ & Hispaniæ Reges invicem colliduntur; Velut ad classicum expergiscuntur reliqui Europæ Principes ac in partes abeunt, ut cuique sua suadet utilitas, & Ratio Statûs. Ita illis ad quietem reductis, necesse est, ut cæ-

teri ab armis abſtineant, & quieſcant. Non ſolum, ne in ſe concitent Leones & Aquilas; Verum etiam, quod plerumque in ejusmodi pacificationibus, alii quoque Principes & confœderati comprehendantur. Adeò veriſſimum eſt, quod à pace Galliæ & Hiſpaniæ fermè totius pendeat Europæ quies & tranquillitas. Deſuper tamen plerique dubitabant Politici, ac utramque hanc pacem ſuſpectam habebant, non ſolum quod apud hujus ævi Principes fermè uſu venerit fidem publicam ad amuſſim utilitatis privatæ expendere, verum etiam, quod ſcirent Henrico IV. altâ mente repoſtas fuiſſe Hiſpanorum in ſe injurias & contemptum; Regemque armis aſſuetum diu ſine ultione perſiſtere non poſſe. Accidit innata Galliæ in Auſtriacorum potentiam æmulatio, & ipſius Henrici ſpiritus heroicus, ac gloriæ Imperiique aviditas, quâ nec ſe Hiſpano & Auſtriacis inferiorem, nec parem ferebat. Exinde velut ex ſpeculâ perſpiciebant prudentes Politici, vix firmam futuram pacem, tantæ ambitioni conjunctam, & reverà velut ex tripode vaticinabantur.

23. Utramque enim verò pacem Vervinenſem nimirum cum Hiſpano contractam & Lugdunenſem cum Sabaudo Henricus IV. qui in illâ Hiſpano, & in iſtâ Sabaudo ſanctè juratèque pollicitus, ſe non immixturum alienis bellis & confœderationibus adverſus Hiſpanum, & Sabaudum, omniaque cum illorum ſubditis fœdera tunc deteſtabatur atque inita dicebat; haud multò poſt vel æmulatione, vel utilitate ſuâ ductus: datæ autem fidei oblitus temerè turbavit, & apertè contravenit tam opitulando, fovendo & protegendo urbem Geneuram contra Sabaudiæ Ducem, quam rebellibus Hiſpaniæ Regis ſubditis, in Belgium ferendo opem, ac milite & ære juvando. Quod ſanè contra clara pacta, datamque fidem, ac in ſe iniquum non ſolum fuerat, ut Cardinalis Oſſatus Gallus Epiſt. 327. Regi reſcripſit, & Clementis octavi Pontificis, ejusmodi improbantis, mentem declaravit: Sed etiam, quod ſupremum dominium in Atrebates, Hanoniosque & Comitatum S. Pauli contra Pacificationem Madritanam, jam toties priùs, ac in poſtremâ pace confirmatam, prætenderat; ac mille

aliis

aliis modis pulsandæ clam & aperte Hispaniæ & Austriæ studiosè incubuerat, immisso præsertim viâ facti armato Duce Nivernensii (neglecto Cæsare, qui unus rerum Imperii arbiter est,) in Imperii Ducatum Clivienſem ad dotem extorquendam ; aliisque Cæsaris ac Regis Hispaniarum Vasallis in protectionem acceptis ; ut propterea Philippus cum propriis Vasallis paciſci, seque sui Dominii jure privare, atque inducias inire Anno 1609. adactus fuerit. Pati externum Principem medium, Regem inter & subditos aliud non est, quam precariò illis lege dictâ, trahere in alienum arbitrium jura Dominii.

24. Induciarum articuli sequuntur : Primus Sereniſſ. Archi-Duces tàm suo, quam Regis Hispaniarum nomine declarant separatos esse cum ordinibus unitarum Provinciarum agere tanquam cum libero Populo, suis legibus moribus atque institutis utente, in quem nihil juris prætendunt, quemadmodum nunc præsentem Induciarum contractum cum iis inierunt, sub pactis & conditionibus, quæ deinceps subjiciuntur.

2do. Ut per 12. proximè sequentes annos firmæ, fidæ & inviolabiles sint, ac serventur Induciæ, quibus labentibus superſedebitur ab omni actu hostilitatis terrâ, Marique fluminibusque inter subditos, incolas & advenas Regis Hispaniarum Archi-Ducumque, & ordinum confœderatorum, sine ulla exceptione locorum Personarumque.

3^tio. Utraque pars placidè pacificè & retineto salvam & incolumem possessionem Regionum, urbium, locorum, terrarum & Dominiorum, quæ nunc detinet absque ullâ injuriâ & molestiâ, quod & locum obtinebit, in pagis, vicis ac territoriis, quæ indè dependent.

4to. Subditi & inquilini utriusque partis tàm Regis, & Archi-Ducum, quam fœderatorum ordinum, invicem colunto mutuam benevolentiam & amicitiam : nec fas jusque esto præteriti temporis damna vel offensiones ulciſci aut exprobrare, suntoque libera utriusque negotiandi commercia, per terras, per Maria, per flumina, quod tamen Rex Hispaniarum cupit restringi

gi ad Regiones, terras, ac Provincias, quas poſſidet in Europâ: vel ad alia Regna, Dominiaque, quo Regum ac Principum amicorum ſubditi negotiandi causâ commeare ſolent, ab iis verò locis, urbibus, portubus atque Inſulis, quæ extra fines prædictos ſub ejusdem Regis Imperio ſita ſunt, ordines eorumque ſubditi abſtinento, neque eò commerciorum causâ proficiſcuntur, niſi impetrato Regis conſenſu commeatuque. Quod verò attinet ad loca, quæ aliis Regibus, proceribus aut populis ſubjecta ſunt, etiam extra limites Europæos, liceto ordinibus eorumque ſubditis iis in locis ac Regionibus commercari ac negotiari, dummodo id fiat permittentibus locorum Dominis, nec ullam moram aut impedimentum Rex ejusve adminiſtri, vicarii & officiarii, quo minus Domini locorum eam libertatem ſuo arbitratu concedant, nec ipſis ordinum ſubditis negotium aut moleſtiam faceſſet, quo minus eò jure commeandi commercandique liberè utantur.

5to. Et quoniam longi temporis tractu opus eſt, priusquam certiores fieri poſſint, qui extra fines Europæ, cum inſtructu & navibus commercia exercent, ut ab omni hoſtilitate deſiſtant, placuit ex communi ſententia initium indiciarum fore demum intra annum ab hodierno die ſupputandum. Tamen ſi citiùs perveniat ad eas notitia pactorum conventorum, recte & ordine, atque ex bonæ fidei præſcripto facient, ſi ab eo tempore ſeſe ab omni actu hoſtili contineant, quod ſi poſt illud ſpatium ulla hoſtilitas admiſſa fuerit, damnum & injuria continuò, & ſine tergiverſatione reparabitur.

6to. Subditi & incolæ Regionum tàm Regis Archi-Ducumque, quam ordinum fœderatorum, ultro citroque negotiantes, ne gravioribus tributis portoriis ac vectigalibus onerentur, quam ipſi earum Regionum, ubi illa ſolvuntur, ſubjecti, amici, & fœderati, qui ejusmodi oneribus adſtringuntur.

7mo. Subditi & incolæ Dominorum Ordinum eadem ſecuritate ac libertate fruuntur in locis ac Dominiis Regis ac Archi-Ducum Imperio ſubjectis, quæ conceſſa eſt ſubditis magnæ Bri-

an-

tanniæ in tractatu pacis nuper cum ipsâ conventæ secundum arcanos articulos, qui cum Conneſtabilio Castiliæ pacti fuêre.

8vo. Non est fas sistere, aut manum injicere in mercatores, Magistros navium, exercitores, nautas, nec in eorum naves, pecunias, merces, bona, quocunque prætextu id fiat, sive ex causâ generalis aut specialis mandati, sive per occasionem belli, sive quæsito colore conservandi, defendendique fines. Nec tamen una ibidem comprehenduntur, si quæ manus injectiones factæ sunt per legitimos justitiæ tramites ob debiti æris nexum, & obligationes ritè contractas, quæ obtinebunt suum vigorem, & in iis servabuntur solennes viæ ac formulæ judiciorum.

9no. Et quod ad commercia attinet, quæ in Belgicis Regionibus frequentabuntur, si ex justis querelis apparebit quædam vectigalia propter belli erogationes & necessitates introducta modum excedere, ut indè mutua negotiatio plurimùm capit detrimenti, propositis ab alterutra parte rationibus gravaminum, delegabuntur continuò Judices, qui super eâ re cognoscant, & ex communis consilii sententiâ, quoad ejus fieri potest, omnia ad moderationem debitam reducent, neque tamen si id obtineri non possit, ideò violatas esse inducias, existimari debebit.

10mo. Si quæ sententiæ judiciaque reddita fuerint, in contrariarum partium sequutores, tanquam in contumaces, quarum defensionem nemo suscepit, tàm in civili, quam in criminali causâ, non poterunt pendentibus induciis mandari executioni, nec adversus personas, nec adversus bona condemnatorum.

11mo. Literæ pignorationis aut repressaliorum non obtinebuntur pendente eo tempore, nisi causâ cognita, quibus casibus id per leges & constitutiones juris Cæsarei concedi solet.

12mo. Fas jusque ne esto appellendi ad portûs plagas, promontoria alterius partis, cum tali numero navium aut armatarum, ut justi timoris suspicio generari possit; vim parari, nisi ex permissu ejus, sub cujus ditione loca illa sita sunt, aut nisi

tempestatibus aliaque necessitate delati illuc fuerint, ad majorem vim aut naufragii periculum effugiendum.

13tio. Hi, horumve hæredes, aut successores, vel mandatarii, quorum bona belli, vel partium odio per manus injectionem capta, aut fisco addicta fuerint durantibus induciis, aut privatæ autoritates arbitrio non implorato legum aut magistratuum auxilio vindicanto à quibuscunque possessoribus, eisque utuntor, fruuntor, vi & vigore præsentis tractatus, etiamsi in Fisci jus & naturam transierint, aut per oppignorationes, donationes, pacta, conventa, transactiones, aut quascunque renuntiationum clausulas alienata fuerint ad excludendos eos, quibus jure competunt, ita tamen, ut de iis non sit libera disponendi potestas, alienandivè aut oppignorandi, nisi impetrata venia ab Archi-Ducibus vel Ordinibus.

14to. Quod & locum obtineto in hæredibus Principis Arausionensis ex causâ juris, quod ipsis competit in Salmas Burgundici Comitatûs, quarum ususfructus ipsis restituitor cum silvis & saltibus indè dependentibus. Et quod ad Castellobellini litem attinet, jam vivo Principe intentatam in supremo senatu curiæ Mechlinienſis contra fisci Procuratorem Regis Catholici promittunt, & spondent Archi-Duces, se bona fide daturos operam, omnique studio ac diligentia curaturos, ut sententia ritè feratur intra anni spatium, ex quo lis contestata fuerit, sine ulla longinquiori morâ.

15to. Si à fisco distracta fuerint utrinque bona, contenti esse debebunt ii, ad quos ea jure & vi præsentis tractatus pertinebunt, usuris sex nummorum cum quadrante in singulos centum constitutis, quæ fideliter solventur, à possessoribus dictorum bonorum pendentibus Induciis, si autem illi non in mora fuerint, tunc proprietariis è fundo prædiorum, & ex capite ac sorte satis fiet.

16to. Sed si ejusmodi bonorum distractio in judicio facta fuerit, servatis solennibus ob expungenda nomina justa & legitima eorum, ad quos ea bona pertinebunt, antequam fisco addice-

dicerentur, licebit ipsis, aut eorum hæredibus vel successoribus, ea redimere, solvendo pretium intra anni spatium, numerandum à die præsentis tractatûs, post quod tempus non amplius competet talis facultas. De redemptis verò statuere ac disponere pro suo arbitratu poterunt, sine interpretatione commeatus, aut ullius indulti.

17mo. Hujusmodi tamen redemptio seu redhibitio non extenditor ad ædes sive domos, quæ in urbibus, atque oppidis sitæ sunt, si ex eâ causâ venditæ distractæque fuerint propter maxima incommoda ac detrimenta, quæ indè possent oriri contra Possessores talium locorum, qui instaurandis iis, aut reficiendis, ingentes sumptus impendisse poterunt, quorum ratio futura esset, & spatio longinqua, & factu minimè expedita.

18vo. Quod verò ad refectiones & melioraciones attinet in aliis bonis divenditis, quorum retractus seu redhibitio vi præsentis tractatus permittitur, si quis eò jure se munitum putat, idonei, & competentes judices in rem præsentem venient, & cognitâ causâ decretum interponent, manebuntque prædia, de quibus controversia est, hypothecæ nomine obligata pro dictis melioracionibus, ita tamen, ut emptoribus non sit fas jure retentionis uti, quo illis solvatur aut satisfiat.

19no. Si quæ propugnacula, vel opera publica fuerint, utrinque ædificata permissu & autoritate supremi Magistratus in iis locis, quæ secundùm formulam hujus conventionis restitui debent, proprietarii contenti esse debebunt pretio, & æstimatione facta per eos, qui jurisdictioni præsunt, nisi ex mutuò consensu partes inter se conveniant.

20mo. Quod ad Ecclesiastica bona, Collegia, Cœnobia, & id generis pia loca attinet, quæ sitæ in Provinciis unitis, spectantque ad Ecclesias, beneficia & Collegia, ditioni Archi Ducumque subjecta, quæ non veniunt ante Kal. Jan. Anni cIↃ IↃ CVII reddantor & restituuntor, idque privata autoritate sine Ministerio Apparitoris aut ordine Judiciorum, aut iis utantor, fruuntor,

quamdiù durabunt induciæ, non tamen ut habeant alienandi minuendive facultatem, quemadmodum ante dictum fuit. Quæ verò ante dictum diem vendita erunt, aut ab Ordinibus quarundam Provinciarum in solutum data, reditus annui ex eâ caurâ solventur, redactis usuris ad decimum sextum quemque nummum à Provinciâ, quæ hujusmodi bona vendiderit. Siremps lex, jus, causa, esto ex parte Archi-Ducum.

21mo. Quibus confiscata bona restituenda sunt, non tenentur solvere reditus retro lapsos, onera & officia prædiis aut hæredibus annexa pro eo tempore, quo talia jura non perceperunt, ac si quid molestiæ ipsis utrinque hoc nomine exhibeatur, absolvuntor, indemnesque dimittuntor.

22do. Siremps Lex esto, si quæ bona distracta concessavè fuerint sub conditione meliorationis refectionisve, nec alia jura vel onera vindicantor, quam quibus se devinxerunt possessores ex lege venditionis aut concessionis, cum usuris nummorum in anteceſſum datorum, redactis ad eum modum, quem supra diximus.

23^tio. Res judicatæ, judiciaque ob causam confiscatorum bonorum pronunciata contra eos, qui subjecti fuerunt jurisdictioni, aut ultrò concesserunt in judicem, quique rectè & ordine defensi sunt, rata, firma & immota sunt, nec alia pacto rescinduntor, quam per usitatas juris vias.

24to. Sereniſſimi Archi-Duces & fœderati Ordines delegato Magistratus, & administros aptos & idoneos, qui jura judiciaque reddant, ordinemque constituant in iis locis, oppidis, castellis, quæ proprietariis restitui debent utenda, fruenda, durante tempore induciarum.

25to. Mobilia bona fisco adjudicata & fructus, quorum dies ante hunc contractum initum cessit, ne repoſcuntor, non restitutioni obnoxia sunto.

26to. Rerum mobilium actiones, quæ ab Archi-Ducibus & Ordinibus ante Kal. Januar. CIↃ IↃ CVII. remissæ fuerunt in gratiam

tiam & commodum privatorum utrinque ne reviviſcunto, ſed extinctæ manento.

27mo. Tempora, quæ ab exordio Belgicorum motuum, hoc eſt ab Anno CIↃ IↃ LXVII. ad hanc usque diem præterfluxêre, ne numerantor & imputantor ad inducendam præſcriptionem aut uſu capionem inter eos, qui à diverſis partibus ſtetêre.

28vo. Qui durante bello conceſsêre in Regiones neutrarum partium hujus quoque conventionis fructu ac beneficio potiuntor, iisque liberum ac licitum eſto, ſedem deligere, quibus in locis placuerit, aut ad antiquum domicilium reverti, ut ibi habitent ſecurè pacificeque, dum tamen ſecundum leges, mores, atque inſtituta cujusque Regionis vitam inſtituant, nec ob cauſam delectis, pro arbitrio domiciliis bona eorum conveniri poterunt, aut ipſi excidere dominio rerum ſuarum.

29no. Nulla nova caſtella aut propugnacula pendentibus induciis, ab ambobus populis in omni Belgio exſtruuntor.

30mo. Proceres ex familiâ, domoque Naſſovicâ, durantibus induciis, nec quoad bona, nec quoad Perſonas conveniuntor aut inquietantor, vel ob debita ab Arauſionenſi Principe ab Anno CIↃ IↃ LXVII. usque ad obitum ipſius contracta, vel ob reditus non ſolutos, ex quo bona fuerunt enotata, & iis Regia manus injecta.

31mo Si quid adverſus hanc conventionem fraude vel temeritate privatorum ſine publico conſilio Regis Archi-Ducumque vel Ordinum admiſſum fuerit, damnum ibidem reſarciunto, ubi noxa facta fuerit. Si tamen injuriæ, aut maleficii autores ibi deprehendantur, vel in loco domicilii, nec alibi liceto adverſus eorum corpora, ſeu bona litem aut actionem intentare. Nec ob eam rem ad arma veniendum erit, aut violandæ induciæ, ſed ſi juſtitiæ aſylum includatur, ad uſitata remedia litterarum, pignorationis, ſeu repreſſaliorum procedere, jus fasque eſto.

32do. Omnes exhæreditationes & diſpoſitiones partium aut belli odio factæ, nullius momenti ſunto, ruptæque & irritæ manento, perindè ac ſi nunquam factæ eſſent.

33^tio. Subditi & incolæ tàm ſub Archi-Ducum, quam ſub ordinum imperio, cujuscunque Statûs aut conditionis ſint, apti & idonei ſunto ad ſuccedendum invicem, ſive ex teſtamento, ſive lege ab inteſtato, juxta mores & ſtatuta locorum, ac ſi quâ forte hæreditas, vel bonorum poſſeſſio ante hoc tempus cuipiam obveniſſet, jus cuique ſalvum & inviolatum permaneto.

34to. Omnes utrinque bello capti ſine redemptionis pretio liberi dimittuntor.

35to. Et ut hic tractatus Induciarum meliùs atque exactiùs obſervetur, tàm Regia Majeſtas & Archi-Duces, quam Ordines pro ſe quisque promittunt ac ſpondent, ſe omnem curam & diligentiam adhibituros, ut itinera, Maria, flumina ſint libera tutaque ab incurſionibus & graſſaturis turbidorum hominum, prædonum, piratarum, latronum, adverſus quos, ſi deprehendi queant, ſeveriter animadvertetur.

36to. Iidem pollicentur inſuper, ſe nihil contra præſentem tractatum, aut in fraudem ac præjudicium eſſe facturos, aut ab aliis fieri paſſuros directè vel indirecte: Si quid ſecus admiſſum fuerit, id ſine ulla cunctatione aut moleſtiâ reparatum iri, cujus rei, ut certior ſit fides & autoritas, Rex & Archi-Duces ſe & ſucceſſores ſuos eo nomine obligavêre, omnibusque legibus, moribus ac ſtatutis huic contractui repugnantibus, atque contrariis renuntiavêre.

37mo. Præſens hic tractatus ab iisdem, nimirum à Rege Hiſpaniarum, Archi-Ducibus, itemque ab Ordinibus confirmator, & approbator, litteræque ratihabitionis in debita ſollemnique formâ expendiuntor intrà quatriduum ab Archi-Ducibus atque Ordinibus, & ab unâ parte alteri traduntor, quod autem ad Regiam Majeſtatem attinet, Archi-Duces fidem ſuam devinxêre intrà trimeſtre ſpatium ratihabitione, debito itidem more rituque, conceptam ab Hiſpano Rege ad futuram, quæ & Ordinibus tradatur, ut ipſi & eorum ſubditi placidè ac pacificè beneficio conventionis hujus frui poſſint.

38vo. Con-

38vo. Contractus hic omnibus locis, ubi de more solet, & expedire videbitur, statim post ratihabitionem utrinque datam & acceptam, publicè proclamator, & promulgator. Jamque nunc decretum & constitutum esto, ut ab omni hostilitate absistatur.

25. Hâc sanè pacis transactione Henricus IV., qui illam validè promovebat, tàm suis suggestionibus, quàm armis & subsidiis confœderatorum Ordinibus largiter subministratis, ut Hispano Regi, ejusque in Belgio Vicario, Archi-Duci, eam inire necesse fuerit; non solum ingentem plagam inflixit Austriacis, sed etiam manifestum omnibus, quæ potentes sunt, Provinciis, in suos Principes rebellandi, exemplum dedit. Exemplum, inquam, detestabile, quod omnes tangit Reges & Principes, forsan intimiùs, quam animus ipse in corpore recondatur. Expendat quisque, quam grave hoc sit Regnanti! cum in pace sinere, ac planè concedere, immò confiteri debeat; *se suorum subditorum non esse Dominum.* Et hoc ipsorum, non solum primo articulo, & in capite pacis, paciscì adactus est Philippus, tantus Europæ Princeps! verum etiam magnum arcanum erat Henrici, pactorum honestate, tantùm dedecus inurere domui Augustæ. Machinabatur etiam majora (de quibus alibi,) sed tutelares Austriacorum Superi, averterunt ab optimâ gente feralem ictum, sinentes causis secundis vim, quæ malo fato Henrici, (incomparabilis aliàs Principis,) intertextam variis in Austricos machinationibus telam, cum vitâ præscinderent. Desiit enim vivere ab homine plebejo, ferro ictus Anno 1610. homicidiali.

26. Sunt & aliæ sæpè inter fœderatos Ordines & Hispaniæ Regem, Imperatoris interventu, deque consilio aliorum Principum, institutæ Pacificationes, quas autem illi nunquam, sed Inducias tantùm armorum inire avebant. Per pacis siquidem conclusa, nihil sperare melius, metuere autem pristinam servitutem prudenter poterant. Inducias quæsière, ne viderentur pacem fugere: Pacem omninò oderant, ne libertatem deperderent. Astus ille Orangii fuit, tamdiù pacis tractatione moram

ram protrahere, quamdiù augere valeret vires fœderatorum. Non illi deerant incidentia (ut Autor de bello Belgio disserit,) interrumpendi ejusmodi de pace transactiones, ut Belgæ tandem armati, habilesque bello, in Hispanos interim ludificatos irruere possent. Nunquam enim Orangio fuerat (nec esse poterat, nisi cum excidio sui,) sincerum pacis aut quietis publicæ in Belgicis Provinciis desiderium. Quod ipsum Arcanorum suorum conscius confessus est. Dorpius quidam, ut refert citatus Famianus Strada, Hispanorum captivus Farnesio retulerat sibi affirmasse Orangium de Pacificatione Colonienſi, cui se tanti Principes interposuerant, componendis, nimirum, subditis cum suo naturali Principe colloquentem: suis rationibus tantum non esse iniri ullo modo cum Rege concordiam. Et si ille de Induciis, ne nihil agere videatur, aliquid in præsentiâ moveat; id eò fine solum fieri, ut vires Regii exercitûs eâ armorum cassatione consumat, fœderatorum verò Ordinum, quæ plurimum debilitatæ fuêre, restauret.

Dumf. 11. lib. 2.

CAP. V.

Pacificationes post excessum Henrici IV. inter Galliam & Hispaniam.

1.

CÆso Rege Henrico, concidit simul omnis Galliæ in Hispanos livor, æmulatio, proposito inter utramque gentem fœdere, & in observandæ stabiliter fidei pignore, gemino nimirum Matrimonio. Ut nimirum Ludovicus XIII. Henrici IV. Successor & Filius Annam Infantem Hispaniæ, Philippi III. filiam, & Philippus Galliæ Virginem Elisabetham in sponsam acciperet; compensatâ invicem quingentorum aureorum millium dote. Sic necquidem cum minimò ærarii publici gravamine, utrobique tàm Regnis fœdus & securitas, quam Regiis thalamis Sponsæ obti-

obtigêre. Reprobantibus tamen ſponſalia Principibus Regni, ob indebitam Galliæ Sponſi contrahendo matrimonio ætatem, ac periculum aliquando pubeſcente Rege repudii, & indè conſequentis belli, eò atrocioris, quod à gente armis & conſilio præpotente, Franciæ immineret. Erat hæc ſpecietenùs prætexta cauſa, animo latebat aliud virus, quod deindè in publicam ſeditionem Principum, adverſus Regem, & in Regni perniciem eruperat.

2. Undè usque ad Annum 1616. inter Regem & Principes (quorum caput Condæus, primus ex ſanguine Regio Princeps,) primum variæ ſimultates, murmura, & ejusmodi, quæ ſeditiones antecedunt, præceſsêre: deindè cum Sectariis in partes itum, ac grave in viſcera Galliæ tentatum bellum, donec Rex Ludovicus XIII. Pacis articulos, quos adverſi Principes volebant, ſubſcriberet. Erant autem iſti.

3. Primò: Inquirendum in Henrici IV. parricidium Conciliique Conſtantienſis, ſimul & Sorbonæ, quæ de Regum vitâ ſunt, decreta renovanda, ut poſthàc ſit ſcientia.

2do. Remittendam ad parlamentum Lutetianum inquiſitionem in crimen, prævaricantibus, quibus extra Ordinem ejus cauſſæ cognitio delata fuit.

3^tio Ternionis Articulum primum, quem Ordo tertius de Regum poteſtate immediatâ nuper comitiis Galliæ generalibus conſcripſerat confirmandum reſcripto Principis.

4to. Parlamenti Lutetiani de Regum Poteſtate & vitâ placitum, ut renovetur, ſi quid contra ab arctiore conſilio irrepſit, ut deleatur.

5to. Gallicanæ Eccleſiæ privilegia & autoritas ſalva ut habeantur.

6to. Concilium Tridentinum ut apud Gallos non valeat, priſtinoque ut reſtituantur ſtatui, quæ Clerus ſuper eâ quæſtione præter Regis mentem, & Privilegia Regni novavit.

7mo. Compoſita paci confirmandæ Regem inter & Sectarios edicta; articuli ipſis ſecretò conceſſi, privata diplomata,

declarationes, ad ſupplices libellos reſponſa, datæ illis variæ pro temporum ratione facultates, nedum à Ludovico feliciter regnante, ſed & ab ipſius deceſſore Henrico, ſalva ut ſint, & integra ex pacto inito.

8vo. Forenſes Magiſtratus, præfecti militiæ, provinciarum, Urbium, Arciumque Rectores ut non mutentur, ut reſtituantur per invidiam dejecti, ſalvaque illis, ut ſint privilegia, immunitates, vadia, obventus & ſi quid ultra debitum; niſi manifeſtæ noxæ impliciti ſint, judicioque condemnati non ſuſpecto, quos æquum eſt, depoſci ad pœnam, gratiâque DEI dejici nec non & beneficiis.

9no. Curtenayorum illuſtri familiæ, quæ ſe Regia Gallorum Stirpe commendat conſulendum, ut natalibus reſtituatur per temporum lapſum obliteratis.

10mo. Parlamenta in priſtinam libertatem vindicanda, dignitatem ipſis & autoritatem, qualia retractis ſæculis fuêre confirmanda: Lejagum Præſidem reſtituendum, libertati juxta & dignitati.

11mo. Arctioris conſilii placitum abrogandum, quo Parlamenti Lutetiani monitiones ad Regem Senatus-Conſulto firmatæ, ſimul & ipſum Senatus-Conſultum per injuriam ſpreta & abolita.

12mo. Parlamenti monitionibus præfatis, nec non Comitiorum Galliæ generalium ternionibus in Articulos digeſtis danda quam primùm à Rege reſponſa, ne ludibrio ſint procurata Gallis per immenſos ſumptus Comitia.

13tio Alienigenas ex veteri Gallorum lege procul habendos officiis militaribus, Arcium, Urbium, Provinciarumque præfecturis; primis item Galliæ muniis (magna Coronæ officia vocant,) æquum, item incapaces eſſe Aulæ dignitatibus, forenſibus officiis, ærarii adminiſtratione publicâ, præbendis Eccleſiaſticis, iis demum omnibus, quibus ſæpe gliſcit privatorum autoritas in necem Regum; remunerandos poſthac habita virtutis ratione per officiorum & beneficiorum largitiones indigenas.

14to. Ar-

14to. Arcem Anbianam, quâ in Urbem proſpectus eſt, & dominatio, diruendam.

15to. Militiam equeſtrem, in quâ ſtat, præcipuum Galliæ robur, reſtituendam, qualis ab antiquo fuit: Legesque, quas injuria temporis obliteravit, renovandas, neque alios in uſus erogandum vectigal annuum, in id præſtari ſolitum, cui nomen eſt le Tailon.

16to. Præſidiaria, excubiarum cohors, quam indigenæ componunt, ut uni ſubjaceat Regi, perinde ac Scotica, ut legionum Gallicarum Tribuno (Colonellum vocant) facultas non ſit ſubſtituendi pro arbitrio, vacantibus Legionum officiis, quod invaluit uſu peſſimo ex Regum indulgentiâ.

17mo. Conſilium Regis arctius reformandum, neque admittendos temere in ſecretum quoſcunque, quibus pro Natalibus, pro dignitate, aut Regis gratiâ ſuffragium peſſimum eſt, maxime cum Regni arcana tractantur, adeò, ut mage illis ex dignitate Regis eſſe conſiliarios ſit, quam ex officio.

18vo. Legationibus ad Principes externos defungi non poſſe, niſi quos, natales, merita, aut longa rerum experientia commendaverit.

19no. Dona, quorum de publico largitio eſt, ut poſthac minuantur præcipuè conferri in immeritos ſolita.

20mo. Annuam penſionem Regi præſtari ſolitam prorogandæ officiorum poſſeſſioni (cui â jure annuo nomen) abrogandam penitùs, inhibendaque poſtmodum officiorum velut Rei Sacræ commercia: minuendum morte numerum, extinguenda officia, ubi deſierint poſſideri, donec decreverint in Originem ſuam: Sic Rationum & fori munia tot & tanta fore, quot & quanta fuere ab initio. Remunerandam Regia largitione virtutem ut moris olim.

21mo. Privatorum diplomatum uſum abrogandum (reſervationis Breviaria vocant) quibus permiſſu Regum vivis etiamnum parentibus in ſpem ſecundam vocari ſolent, certâ ſucceſſione filii

administrandis urbibus & quandoque provinciis, nullâ postmodum Regi electione pro virtute & merito.

22do. Sublevandum oneribus populum, quibus indies gravatur & penè opprimitur, ibique præsertim ubi armis sævitum.

23tio. Observanda sanctè fœdera ab Henrico Rege cum externis Principibus pacta.

24to. Ut pacta inter Hispanum & Sabaudum conventa, Rege procurante autorentur.

25to Perutilia Gallis cum Helvetiorum pagis fœdera esse, & agnitum à majoribus nostris, & docentur experientia in dies, ideoque cum illis bona fide agendum, sancita pensionibus annuis pacta servanda, & quia pravo usu invaluit stipendia ipsis debita, privatim à quæstoribus distrahi: servandam posthac fidem, standumque promissis.

26to. Sedani & Rancurtii protectionem ab Henrico olim susceptam à Ludovico firmandam, qualis erat sub Henrici regno, quod ut valeat in futurum novo diplomate opus fore.

27mo. Burdigalensis Parlamenti placitum in Condæi caput convocatis classibus, latum sub Annum M DC XIII. ut abolendæ infamiæ actis curiæ eximatur.

28vo. Diploma Regium nuper in Condæum & ipsius sequaces vulgatum, nec non actis Lutetiani Parlamenti in perpetuam rei memoriam insertum, ut revocetur: Consulendum famæ primi Principis, cui eadem est cum Rege fortuna, unum & commune periculum, idem sanguis.

29no. Reparandam pro dignitate offensi injuriam, Condæo nuper illatam, per Castaniaræum Episcopum, Pictonumque municipes.

30mo. Restituendos Pictavienses dignitatibus, præfecturis, officiis, militiæ & fori, beneficiis, bonis mobilibus & immobilibus quibuscunque: delendamque penitùs eorum memoriam, quæ ab ineunte Junio Anni M DC XIV. Pictavii utrinque gesta. Criminum, si quæ privatim commissa, inquisitiones, probationes, judicia, silentio premenda, seu, si satius visum, abolenda.

4. Post

4. Poſt hoc civile bellum transactamque pacem deſuper (ſat indecoram Regiæ Autoritati, quam aliàs Galli abſolutiſſimam & velut divinam in terris jactant) quieta videbantur cuncta omni in Galliâ: ſed non erant; ſopita potius, quam extincta. Nondum autem ab illâ Luſtrum unum labebatur, cum Regina Mater tacitis factionibus perſuaderi ſibi ſivit in res novas, aulâ dilapſis aliquot Principibus, quorum vetus in Luynæum odium; neque minus Reginæ, nec Armandi Richelii modicus livor in æmulum Miniſteri Regii. Adeò nocet Regnantis favor, plusquam nimius quieti publicæ, quæ æqualitate plurimùm conſervatur.

5. Item proinde utrinque ingenti mole in bellum: cujus, ſicut & factionis, Dux Magnius. Rex quidem Reginam Matrem à Principum factione avertere & in pacem molire per Legatos ſatagebat, ſed irrito conatu: & reponente illâ, unam ſibi cum Principibus cauſam eſſe, & negante, ſe ſubſcripturam paci ſine interventu illorum.

6. Potentior tunc parebat Regina Mater triplici quaſi exercitu armata, ipſo Rege in caſtra eunte. Verum tantæ armaturæ, & Principum hinc inde in Provinciis pugnantium diſtractio, & abſentia; Mainii præcipuè, qui validum exercitum apud Moiſaccum, urbem levem, occupabat, ac Mulieris pacis neſciæ, belli impotentia apertam occaſionem laxavit invadendi cum ſuo damno diviſas ſuas non procul Andegavo ad Pontem Cæſaris ſubſiſtentes copias. Et quia prima Reginæ fulcra (ut Gramondus ſcribit) Principes, & cum his, vires potiores adfuêre, cladem ingentem ſuorum tulit Regina; relictâ Regi geminâ victoriæ mercede, nimirum tam Andegavi urbis expugnatione; quam ibi commorantis Reginæ Matris captivitate.

7. Utrumque diſcrimen prævertit ſagax Regina, & confidenter pacem petiit Mater à Filio, quam iſte pro reverentiâ exaudivit, pacemque dedit. Ejus autem conditiones fuêre.

Primo: Concedendum à Rege diploma Reginæ matri, Prin-

cipibus, Nobilibusque, & quibuſcunque tandem, qui illi adhæſerint, quo noxæ illa, hi debitæ pœnæ eximentur.

2do. Pacto nuper apud Engolismenſes convento ſtandum.

3^tio. Præfecturas & militaria officia, niſi de quibus diſpoſuit Rex, reſtituenda ſpoliatis.

4to. Penſiones & ſtipendia, Reginæ partes ſequutis, ſi quæ ante debita, numeranda, non ſecus ac ſi meruiſſent Regi.

5to. Publicam ſi quis pecuniam in privatos uſus convertit, repetundarum minimè reum fore.

6.to. Ire, redire, transmigrare, morari ut liceat pro arbitrio, nullâ Urbium, nullâ provinciarum exceptione, iis, quibus una fuit cauſa cum Regina Matre.

7mo. Gratis & ſine Redemptionis pretio dimittendos utrinque captos.

8vo. Pontis Cæſaræi caſtrum Reginæ parenti, Comiti Sueſſioni Drocum, Vindocinenſi caſtrum Vendocinenſe, & Vernalium, Buſco-Delphino Sablæum, Mayenio Fertebernardæum reſtituenda.

9^uo. Revocandas in officia quemque ſua, militiæ præfectos ipſo facto conceſſum Reginæ Matri diploma ipſius partes ſecutis quibuſcunque profuturum.

10mo. Cataphractorum ordines bello juxta & pace conductitios comiti Sueſſioni, Principibus, nec non Regni primoribus, prout à Rege olim conceſſi, non obſtantibus abrogationibus quibuslibet, valituros poſthac.

11mo. Capitalia judicia contra indefenſos prolata, ut revocentur.

12do Sexcenta librarum millia Reginæ parenti numeranda, queis exſolvat nomina per malignitatem temporis contracta.

13^tio. Reſtituenda invicem Caſtra, Urbes, Arces. Diruenda munimenta quælibet ab exordio belli conſtructa.

14to Penſiones Stipendiariæ annonæ, & ſi quid aliud, militum aut nobilium Ordini à Rege munifico pendi ſolitum, ſolvenda in præſens & in futurum, prout fieri ante id belli invaluerat: neque in opprobrium aut ultionem, opponendum Nobilitati

litati posthac, aut populo, quod à Rege defecerint secuti Reginam aut Principes. Hac pace multum condescendit Filius Matri, Rex subditæ; Amore quietis, quam unicè desiderabat in visceribus Galliæ, nec tamen assequebatur.

8. Porro à Domesticis his Franciæ dissidiis, variisque pacis capitulationibus, quas Ludovicus XIII. cum Reginâ Matre, cum Principibus, cum Vasallis suis continuò colluctans, multifariè paciscebatur, reduco calamum ad externa. Ubi primùm enim ille ab intestinis his turbis liber fuit; illicò ad externa se sedulò movit. Rhæti, gens olim origine Hætrusca, nunc Religione Hugonota sive Calvina) primi fuêre, qui Galliæ auxilium contra vallem Telinam, ab antiquo, ut illi perhibent, Dominio Rhætico subjectam, nunc vero seditiosam, & rebellem sibi, ac planè externo Hispanorum præsidio protectam, implorarunt. Nam totâ valle Telinâ sub fide publicâ degentes Rhæti, vel depulsi, vel jugulati fuerunt, in quod factum exclamabant omnes vicini Principes, præsertim Franci. Valtelini verò (gens omnis Catholica) pro libertate & innocentiâ suâ allegabant Rhæterum, se confœderatos esse, non vasallos. Justam sibi ultionis horam venisse, libertatem suam iisdem mediis asserendi, quibus olim Rhæti, summam Tyrannidem, gentem innocentem, ruralem, suisque operis intentam, servituti execrandæ manciparunt, crudeles non solum in corpora, sed in ipsas quoque animas, quas Calvini dogmate vel seducebant, vel renitentes cædebant. Et si privatæ rei studio quipiam Tyrannidem Calvinianam effugere nolebant, cogebantur deinde abdicare Catholicam fidem, ac Hæreticam amplecti. Archidiaconum Sondrianum, Plantanos Fratres, & alios melioris notæ Catholicos planè furcis affixos, deplorabant. Denique Tyrannidem fuisse asserebant: omne vanum illud, quod sibi esse contendunt Rhæti jus in Val-Telinos, quod enim illis jus? quæ Potestas data exercendi Dominatum in gentem liberam? quod vi? vel per nefas elicitum fuit, jure repeti potest. Tempus jam venisse justæ ultionis. Invitis ademptam fuisse libertatem; ab invitis quoque vindicandam. Quis

unquam

unquam aliud ſentiat, quam ſemper excuti poſſe Servitutem contra jus divinum & gentium impoſitam? Neque liberæ genti aut Religio imponi, aut libertas tolli debet. Primi didicêre Val-Telini à Rhætis, quantumvis prævaleat.

9. Porrò utraque hæc gens media eſt inter Hiſpanum & Gallum. Gallus Rhætos protegit, Hiſpanus Val-Telinus: uterque ſuos ex arcano Statûs. Gallus ſupra modum & æquitatem, (nam primitus diſſimulabat, vel propter inteſtinas acerbitates non valebat) adſcendere rem Hiſpanorum in Valle Telinâ arbitrabatur; & ſiſtendo progreſſui Rhætorum cauſam ſuſcipiebat in ſe. Hiſpanus ſiquidem vindicato prorſus in libertatem populo Val-Telino, abolitoque planè Calviniſmo, reſtituta ex pleno Catholicâ fide, fractis, per ſubſidia ab Hiſpanis ſubmiſſa Rhætis, ac cum iisdem pactâ veluti cum victi fructuoſiſſimâ Hiſpaniæ Regi pacificatione, magnum Statûs augmentum adeptus fuit.

10. Purificationis hujus tres leges fuere: Prima Hiſpano militi per Rhætiam commeare ut liceat, ſeu ex Italia in Germaniam, ſeu ex Germaniâ in Italiam movere placuerit. Hæc commeandi libertas plus addebat Hiſpano, quam acceſſus unius Regni. Secunda: Rhætos Hiſpano Regi tria peditum millia primâ quâque occaſione ſubminiſtraturos. Tertia: Hiſpanum Rhætis in Annos ſingulos triginta florenorum millia penſurum.

11. Indigniſſimè ferebat ſuas pacis leges Ludovicus, quibus ſibi præripi videbat gentem ab antiquo, ſi non ſolum confœderatam, ſed etiam penſionariam, ac aliis titulis obnoxiam.

12. Igitur bellum indictum, cœptumque inter utramque coronam, ſed variabili utrimque ſorte geſtum, ab Anno 1621. Jam à Gallis ex Valle Telinâ pulſis Hiſpanis; jam ab Hiſpanis inde ejectis Gallis, eunte & redeunte belli æſtu, ſed deflagrante maximè miſeros Val-Telinos, quorum cauſa agebatur in ſervitutem magis, quam in libertatem. Dominandi enim in eos libido, pomum erat Erigis, quod affines coronas, neglecti omni jure ſanguinis traxit in longum & cruentum diſſidium. Sacra Apoſtolica ſedes benedixit potius arma Hiſpanica, quam Francica; ea enim

enim magis Religionem prætendebant quam rem: Hæc prolapſos tuebantur, nec Regionem ſibi conterminam & fœderatam ſurripi ferebant.

13. Bellum hoc tandem, ut ſemper aſſolet, pace finitum eſt, quam Comes Targius in Aulâ Madritanâ pro Rege Chriſtianiſſimo Legatus Anno 1625. Monconii cum Rege Hiſpano concluſit. Cujus Articuli erant:

14. Primo: Pacta qualiacunque Rhætos inter & Val-Telinos ab Anno 1617. in hanc diem conventa, fore poſthac irrita: reconciliandisque utriusque Regis affectibus reſtituendas res in eum ſtatum, in quo erant prædicto Anno 1617. in quam rem uterque Rex incumbet bona fide & ſedulò.

2do. In Val-Telinâ, Comitatibus Bormio & Clavennenſi valiturum poſt hac unum fidei Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ cultum, inhibito alterius Religionis Exercitio.

3^tio. Eligendos à Val-Telinis Bormienſibus & Clavennenſibus Magiſtratus genti jura dicturos, quos Rhæti confirmare debebunt: ſi confirmare noluerint, non ideò minùs valituram electionem.

4to. Non fore ab hiſcè judicibus appellationem ad Rhætos.

5to. Non licebit Rhætis quocunque caſu libertatem ſuffragii adimere Magiſtratui lecto: huic articulo exſequendo mutuo ſe aſtringunt Reges.

6to. Ut ſit utrique Regi communis cauſa, in Principes quoscunque hiſce pactis obſtare auſos.

7mo. Ut Rhæti ſolenni Sacramento obligent ſe in has conventiones, quemadmodum & Reges duo.

8vo. Oblivione delendam anteactorum memoriam, adeò, ut de his inquirere nemo poſſit.

9no. In gratiam ejus beneficii, quo Val-Telinis permittitur Judicum è gente ſuâ delectus, penſionem annuam præſtabunt Rhætis, qualem dixerint ab utraque gente delegati, ſi convenire nequiverint; Rhætorum indemnitati proſpicient Reges: quod ſi

per Rhætos ſteterit, quò minùs ex præſcriptâ formulâ id negotii tranſigatur, erit plena Val-Telinis exemptio à tributo.

10mo. Si quid in Val-Telinâ contra præfatos de Religione articulos innovaverint Rhæti, Nuncius Apoſtolicæ ſedis, apud Pagos Helvetiæ Catholicos morari ſolitus, proſpiciet, Helvetiorumque ſubſidio coget Rhætos articulis, qui de Religione ſunt, exſequendis: id ſi neglexerint pagi, poſt quatuor à Notificatione menſes incumbet utrique Regi, pacti exſequendi munus.

11mo. Si in Val-Telinos, Bormienſes aut Claveñenſes bellum Rhæti moverint ex quâcunque demùm causâ, intercedent Reges autoritate ſuâ: Si perſtiterint bello movendo, pœnæ ab ipſis exigendæ conſpirabunt iidem Reges, cadentque Rhæti confirmatione Val-Telini magiſtratus, & annuâ penſione, quæ ipſis per præfatos articulos III. & IX. conceſſa ſunt.

12mo Si Val-Telini, Clavennenſes & Bormienſes quoquo modo executioni eorum, quæ in præſens conventa, obſtiterint, incumbet Regi utrique, munus reducendæ in officium gentis, quo meliore modo ipſoque facto cadent omni privilegio & autoritate Val-Telini.

13tio. In anteceſſum & ante omne opus, utrinque capta (donec de jure liqueat) apud ſummum Pontificem deponenda.

14to. Poſtquam præſidia Regum militaria Val-Telinâ obſtiterint, ut in Confiniis Rhætiæ (quâ Val-Telinam ſpectant) non alius ſit Rhætis miles, quam qui eſſe ſolebat ante id belli, ut item non aliud in Mediolani ad Valtelinos finibus præſidium ſit Hiſpano Regi, quam omni tempore eſſe ſolitum. Rhætis, in Val-Telina, ut militem habere non liceat.

15to. Procuraturos Reges, Sabaudum inter & Rempublicam Genuenſem ſuſpenſionem armorum, & ex nunc fore in ſuſpenſo ipſorum arma, quæ auxiliaria magis, quam inimica ſunt. Proſpicient inſuper, ne bello ſæviant inter ſe Principes utrique Coronæ, amici & fœderati.

16to. Daturos operam Reges, quantum in ipſis erit, ut intra quatuor menſes abhinc numerando, Sabaudiæ Dux & Respublica Genuen-

Genuenſis compromittant in arbitros, qui & ipſi compromittent, ſi quæ invicem controverſia erit.

17mo. Bona utrinque ex cauſa præfati belli privatis erepta, ut ſtatim reſtituantur: de Hiſpanis navibus, quæ in portu Coleti detinentur, arbitrium fore judicibus ab utroque Rege delegatis: Uti dixerint ita jus fore.

18vo. Arces & munimenta ab Anno 1620. in hanc diem à Valtelinis, Bormienſibus, & Clavennenſibus conſtructa, ut à ſummo Pontifice diruantur ſtatim, ac fuerint ipſi tradita.

19no. Valituras poſthac, quæ hocce ſcripto conſtituuntur, leges, abrogatis, quæ ante dictæ: exſequendis, qui de Religione, Articulis, penes ſummum Pontificem & Cardinales judicium erit, remiſſis ad utrumque Regem, de Statu Politico, quæſtionibus. Comes Rupifortius, Fargius, Regis Chriſtianiſſimi Legatus, & Comes Olivarius pro Rege Catholico mutuo obligabant ſe, obtinendis ratihabitionibus à Rege quiſque ſuo ex nunc in quatuor menſes. Actum Monconi quinta die Martii Anno 1625.

15. Pacem hanc ægre tulit Sabaudus, & propter hunc Gallus: adeò, ut irritas dixerit, nec ex ſuo mandato confectas. Verùm ſatisfactum deinceps Sabaudo; Rhæti autem ipſi Legatione functi apud Regem, rogabant, ſervari pacis dictæ leges, quod Rex etiam acceptum habuit.

16. Ab hâc pacificatione Anno quarto Francos inter & Hiſpanos, ac ipſum Cæſarem rurſus aliud in Italiâ bellum recruduit. Ejus occaſio fuit Mantuanus Dux & Marchio Montferratenſis Vincentius, qui orbus prole deſiit vivere. Ampliſſimæ hujus Hæreditatis non deerant varii Proci, ſed illa potiori ex parte devolvebatur ad Cæſarem, quippe Mantuæ Ducatus & Montferrati Marchionatus uterque inter feuda ſacri Romani Imperii numerantur.

Tres autem fuerant, qui eam hæreditatem prætendebant: Dux Carolus Nivernus, verus origine Gonzaga, & agnatus demortui Ducis, ſed in Galliâ natus, educatus, ibique Vaſallus Princeps. Ferdinandus Guaſtallæ Regulus identidem agnatus Vin-

centii ſui Juris, nulli obnoxius. Sabaudus quoque Carolus Emanuel ob Neptim ex filiâ ſuâ: & aliunde anhelabat Montferratum litemque movebat jam pridem defuncto, dum adhuc viveret; interventu Pontificis & Galliæ Regis ſopitam. Is enim negabat in hoc feudo legem Salicam valere, eoque contendebat Neptim ſuam rectâ lineâ procedere ex Franciſco tertio, qui Frater fuit Vincentii defuncti, de cujus hæreditate agitur; potiorque indè haberi deberet Neptis quam alii, ut Nivernus & Guaſtallus, qui ex transverſali lineâ proceſsêre. Nivernus autem & Guaſtalla pari gradu erant, ſed Guaſtalla in hoc præeminebat, quod objiceret Niverno feloniam, quam Parens Caroli Ludovicus contraxerat, olim contra Imperatorem militando; unde ille & progenies ſua feudo decidit. Interea Nivernus armatâ manu feudum invaſit, ſeque rurſus indignum reddidit illius, ut etiam Cæſar contumacem ſuum Vaſallum armis à feudo depellere cogeretur, expugnatâ planè armis per Colaltum Cæſareum Ducem Mantuâ ejusque Ducatu.

17. Monteferratum vero Sabaudus acriter invaſit, opitulante, remque ſuam agente, Hiſpano in Italiâ, (nam Caſalim arcem famoſiſſimam deperibat) adeò res Ducis Niverni in extremum diſcrimen venêre: tam quod omnes Urbes Montferrati à Sabaudo in fidem & poſſeſſionem acceptæ; Caſalis ab Hiſpanorum armis ſtrictiſſimè obſeſſa, & mox dedenda, niſi actutum proſpiciatur. Mantua (caput Nobiliſſimi hujus feudi) immaniter à Germanis direpta, & vaſtata: Cæſus Marchio Boverunus, qui pro Niverno militabat: Feuda, quæ in Galliâ habuit Nivernus, fœneratoribus in cenſum data, vel divendita. Guaſtallæ Dux in ſpem feudi à Cæſare vocatus: Sabaudus Montferrato contentus: Omnia denique in exitium Niverni jamjam inclinabant; niſi Rex Galliæ opem tuliſſet Principi Galliæ, vaſallo ſuo, æmulatione ductus in Hiſpanum, qui Sabaudum tantopere juvabat, potius Caſali & inde toti Italiæ inhiabat.

18. Hinc Rex geminum bellum, primum quidem in Sabaudum, aliud in Hiſpanum & Cæſarem, neutrum longum ſuſcepit; pene-

penetratâ quamprimum mediâ hyeme, per glaciem & nives, per rupes & aggeres Sabaudiâ; fruſtrà obſiſtente Hiſpano, & ne ultra pergeret in Viſcera Rex, deprecante & exorante pacem à Rege Pedemontii Principe, Filio Sabaudiæ Ducis: Rex negotium ad Cardinalem Richelium transmiſerat, & poſt diutinam altercationem inter Regem & Ducem, conventum palam, ut ſequitur: adjecta alia, ſed recondita. Medii quippe Principes vix conſtantes fide ſunt; ſed plerumque ſequuntur Fortunæ cynoſuram, ut illa plùs vel minùs propitia eſt.

19. Primo: Promittit Dux Sabaudiæ daturum ſe Chriſtianiſſimi Regis Copiis liberum per feuda ſua tranſitum, euntibus in Italiam, & redeuntibus Gallis, annonam juſto pretio ſubminiſtraturum & bona fide procuraturum, ut commeatus Regiis inpenſis Caſalim invehatur: firmando pacto tradentur Regi Suſa; & Caſtellum Sancti Franciſci cum Helvetico præſidio, quale Rex dixerit ſub Sacramento Duci præſtando à milite, de reſtituendis ipſi Suſa & Caſtello, poſtquam dotam fidem exſolverit.

2do. Procurabit Rex Sabaudo Trinum, unaque annui reditus aureorum decem & quinque millia, nempe renuntiaverit juri in Montferratum ſuo: Cautum interim donec prælibata exſecutioni mandari poſſint, Urbibus in Montferrato captis, velut re ſua uti poſſit Sabaudus, quorum Poſſeſſione decedet Mantuano, poſt quam ipſi reſtituta Suſa & Caſtellum D. Franciſci, quibus ita peractis Trinum cum prædicto obventu poſſidebit.

3^tio Pedemontis & Sabaudiæ feuda immunia fore à bello: reparandum ſi quid damni illatum alterutri, Gallorum facto.

4to. Protectorem ſe, Sabaudiæ Duci fore, promittit Rex, ſi quispiam bellum ipſi moverit odio hujus pacti, cui fortiùs confirmando in ſecretam fœderationem conventum eſt, in eundam inter Regem Chriſtianiſſimum, Sabaudiæ Ducem, & Italiæ Principes in ſchedâ deſignandos, cujus fœderis leges in eandem ſchedam referentur, & ut magè valeat, arcanum erit fœdus.

5to Hoſce Articulos à Rege & Duce proximâ die obſignatum iri promittunt Cardinalis Richelius, pro Rege: Amedæus pro Sabaudo obſignare.

20. Inopinatâ hâc & particulari pace multum deceſſit Hiſpano, cujus vires in limitibus Sabaudiæ attritæ non ſolum; verum etiam præter omnium opinionem Caſali nondum prolapsâ, licet eam longo tempore Hiſpani æneis machinis acerrime quaterent, Gallico intùs præſidio fortiſſimè reſiſtente, deſperato jam oppugnationis fructu Gonzaleque Hiſpanus Dux, ſalvit obſidionem Carolis continuò, caſtrisque abſceſſit nocte concubiâ. Sic primâ fronte atrociſſimum viſum bellum, exiguo tempore confectum, resque Italiæ non tamen indè refectæ, graſſante undique Germano milite, neque abſcedente Hiſpano, ac res in dies novas machinante Sabaudio: donec rurſum arma utrobique reaſſumpta, & juratum quaſi in caput Niverni, Uſurpatoris Mantuani, cujus juſtiſſimè Imperator indignabatur contumaciæ, & jamjam decretorio prælio per ſuos in Italiâ belli Duces inſiſtebat; cladis adverſæ velut certus; quam mala fides Caroli Nivernenſis, & Gallorum, alienam & iniquam cauſam, adverſus ſummum jus Imperii, tuentium inſolentia meruerat.

21. Sanè tunc libertas Italiæ tenui pendebant filo, ſive Hiſpanus, ſive Gallus, ſive Cæſar viciſſet. Prævidit, prævenitque periculum Urbani Octavi Providentia, & ſagacitas, miſſo ad conciliandam ibi Pacem Mazarino, qui primùm magnâ ſui commendatione feroces & æmulas gentes, pugnæ proximæ æſtu incenſas conſtinuit, & Inducias inter eas ſtabiliit, donec Pax univerſalis trutinatis ac compoſitis invicem partium cauſis, ſequeretur. Quæ tandem in ſequentes articulos digeſta, & ratihabita.

22. Primo: Pax (puta inter Cæſarem & Galliæ Regem atque utriusque ſocios,) univerſalis non ſolum in Italia, ſed etiam Germania eſſe, ita ut pars altera, alteram nec lædere, nec ejus hoſtibus ſuppetias dare debeat.

2do. Sabaudiæ Duci pro prætenſionibus in Ducatum Montisferratenſen, Trinum, alia loca undè quotannis 80000. Coronatorum millium reditus habeat, cedentur.

3^tio. Lo-

3tio. Lotharingicæ Prætenſiones, poſt Nivernenſis inveſtituram intra ſex Menſes amicabiliter componi debebunt.

4to. Dux Guaſtallæ, pro ſuâ portione, quotannis ex Ducatu Mantuæ 6000. millia Coronatorum habebit.

5to. Dux Nivernenſis delicta Commiſſa coram Sac. Cæſareâ Majeſtate deprecabitur.

6to. Quo facto ſua Majeſtas intercedente ſummo Pontifice, & Rege Franciæ Nivernenſi feuda utriusque Ducatus concedet.

7mo. Vigore, cujus inveſtituræ Cæſarea Majeſtas Mantuanum contra hoſtes omnes defendet, & tuebitur.

8vo. Poſt ſubſcriptionem & publicationem hujus Pacificationis, quævis hoſtilia in Italia ceſſabunt.

9no. Ac demum intra quinque hebdomadas exercitus Cæſareus, exceptâ Mantia & Canneto ex Italiâ deducetur.

10mo. Civitas, arx & fortalitium Caſalenſe, cum aliis omnibus locis in Ducatu Montisferratenſi (iis duntaxat exceptis, quæ art. 2. Duci Sabaudiæ aſſignati ſunt,) Nivernenſi Duci reſtituentur, ita ut eadem ad placitum proprio milite cuſtodire poſſit.

11mo. Tunc etiam Sac. Cæſ. Majeſt. Mantuam & Cannettum Duci Nivernenſi, prout quoque Rex *Galliæ Sabudo Pinarolum*, Pricaras, Suſam & Aveglianum reſtituet.

12mo. Quoscunque paſſus & fortalitia Cæſar in Val-Telina & Vicinis locis extrui fecerit, & teneat, demolientur, ac inpriſtinum ſtatum reſtituentur.

13tio. In majorem ſecuritatem utriusque partis obſides, donec omnia executioni mandentur, vel S. Pontifici vel Magno Duci Hetruriæ vel alii cuidam Principi Catholico Germaniæ dabuntur.

14to. Comprehendentur quoque ſub hâc pace Veneti atque exercitum ſuum dimittent.

15to. Controverſiæ inter Cæſaream & Galliæ Regis Majeſtatem, de Metenſi, Tullenſi, & Verdunenſi Epiſcopatibus, uti quoque de Abbatia Gœrzenſi, ad componendum in aliud tempus

pus rejicientur, interim fortalitium Megenwick in priſtino ſuo ſtatu manebit.

16to. Lotharingiæ Dux ſub hac quoque Pacificatione ſit comprehenſus.

17mo. Hanc compoſitionem Amniſtia univerſalis, & abolitio omnium injuriarum, etiam reſtitutionis mobilium & Bonorum raptorum captivorumque utriusque partis absque omni ſumptu ſequetur.

18vo. Hæc omnia à Sac. Cæſareâ & Regis Galliæ Majeſtate, nec non à Duce Sabaudiæ fideliter absque fraude Ratiſponæ 13. Octob. Anno 1630. accordata & concluſa ſunt.

23. Hæc Pax videbatur duratura in longum ævum, ſed nulla quaſi inſtabilior. Occaſionem infringendæ præbuit Rex Sueciæ Guſtavus, (Princeps verè Magnus, ſi magnitudo Regia ex uſurpatione alieni comprobatur,) qui transfretato Mari intermedio, cum claſſe; militum numero exiguâ, fortitudine verò & virtute plusquam Leoninâ properavit in Germaniam, aſſerturus, ut prætexebat, Principibus ibi Proteſtantibus ſive Evangelicam libertatem; reipsâ inſidiaturus Auſtriacorum in Imperio Potentiæ, vel planè ipſum, ni fata prævertiſſent, invaſurus Imperium. Ideò æmulam, Auſtriacis, Franciæ coronam, in fœdus pellexit quinquennale: Undè priores infractæ Pacificationes, quibus cavebatur, ne paciſcentes contra ſe invicem fœdera ampliùs inirent.

24. Idem fœdus, quod offerebat Suecus, ſuſceperat unicus ex Catholicis Electoribus Trevirenſis, quem propterea Ferdinandus Regis Hiſpaniæ Frater, & Gubernator Belgii, prius occupata Treviri Metropolitanâ Urbe, ac cæſo ibi Gallico præſidio, cuſtodiæ mandavit, detinuitque, nec ad iteratas preces Regis Galliæ reſtituit. Hinc renovata vetus Regum æmulatio, vel potius ex offensâ incenſum odium, quod quinquennio ab ultimâ ac ſupra recenſitâ pace latebat, ſed gliſcebat tamen ſub cinere, tandem in apertum difficillimumque bellum efflagravit in-

insuflante continuo, & in id strenuè incumbente Richelio, quo major Austriacæ potentiæ hostis, nemo fuit.

25. Ducti proindè hinc indè in omnes fermè Austriacæ gentis ditiones, ex Franciâ integri exercitus (vacantes tunc ab intestino bello,) & mox potiti victoriâ in Hispanos ad Avenium: Telmontium ab iisdem captum: occupata Artesia, provisa Vallis-Telina, obsessi limites Germaniæ & Italiæ. In Germaniâ verò Austriaci & Hispani potiùs victores: cæso ad Nordlingam Sueco, subjugatis Bohemis, quietatâ Hungariâ, expugnato Franckenthalio, Lotharingiâ & Campaniâ fermè periclitante. Variè quoque certatum in Italiâ: propè Ticinum ad Navilium acerrimam inter utrosque pugnam nox diremit, jactantibus tàm Gallis, quam Hispanis victoriam: pestis deindè erumpens receptui signum dedit. Occupata deindè magnam in partem Sabaudia: Civasium, Cencium captum: repulsus indè Cardinalis Valetta cum Gallico exercitu: Demum ipsum Taurinum ex improviso expugnatum. In Piccardiâ uno victoriæ cursu ab Hispanis Castelletum & Roya expugnata: In limitibus Phocensis Proviniæ Lirinenses geminæ Insulæ ab Hispano quoque occupatæ: Corbeja planè prope Parisios *cum consternatione totius* Regni capta; sed recepta ex intervallo modico, & depulsi ex Regni meditullio Hispani: quibus in Guadaluppiæ monte propè aram D. Virgini sacram, fortuna facit ex inopinato cædendi Francorum exercitum, qui paulo ante Sacrilegus fuit in ædem sacram Reginæ exercituum. Eadem sorte ad Thionvillam à Piccolominio Hispano Duce, cæsa Gallorum supra 4. millia, acto in fugam toto exercitu, ejusque Duce Teugunino capto. E contra Gallis obtigit in Artesiâ Atrebatum, in Cameracensis solo Landrecium, in Alsatia plures Urbes & oppida, & Insula media fluminis à Rheno, dicta Rhenania: Sylvaticæ quoque Imperii Urbes cum Rheinfelda & Brisacco, cæsus quoque à Guebriano Lonojus cum bis mille Hispanis, captis tormentis & sarcinis. Prætereo plura extra nostrum scribendi scopum. Sic fortuna inter

æmulas coronas vagari videbatur, ut neutri ex pleno victoriam, nec plenum excidium cauſaverit.

26. Potiora attamen ex hoc bello acceſsêre Ludovico XIII. cui Prædeceſſorum nemo majora domi confecit, enervatâ planè per centum expugnatas Urbes Hæreſi: nemo tanta foris coronæ Franciæ adjunxit protactis ac extenſis ejus limitibus in ipſa aliorum Regnorum viſcera, ultra Alpes, Rhenum atque Pyrenæos. Et (quod miſerandum,) inter bello parta, per pacem, modicis quibusdam tantùm reſtitutis. Juſtonè, an injuſto hæc retineantur titulo? Liceat divinare magis, quam ſtatuere. Si ex armis jus, ſi ex neceſſitate æquitas probatur: Si in extremo metu libertas; ſi Reges exleges ſunt? Licebit: non ſecùs. At ſic regnare, latrocinari dicitur. Jactant Politici hanc fortitudinis eſſe mercedem: Hæc propitii, remunerantisque ſuos Numinis indicia, conceſſerim: ſed inſtabo fortius. Barbarorum & Ottomannorum Principum parta, indè quoque fore juſtiſſima; quibus tanta obtigit felicitas in Chriſtianas terras. Non amplius de his.

27. Protrahebatur hoc bellum usque ad Annum fermè 1659. moleſtum toti Europæ; grave ipſis Regibus; intolerabile ſubditis; Chriſtiano populo cruentem; Catholicæ Religioni noxium; Hæreſi in Germaniâ proficuum; varium utrinque victoriis & cladibus: cujus finem non vidit Ludovicus XIII. Rex Franciæ, nec Miniſter ejus, ſicut & Autor hujus belli Richelius, purpuratus magis ſago, quam togâ; utroque nimirum præmortuo. Fructibus verò ejus deinceps largiter gaviſus Ludovicus itidem Galliæ Rex XIV. indè ſibi, Mazarini conſilio, procuratâ ſponsâ, pace & partorum ſtabilitate.

28. Pax igitur inter has duas coronas procurantibus Cardinali Mazarino pro coronâ Galliæ, & pro Hiſpaniâ Ludovico Mendoza ab Haro & Guſmann; concluſa fuit in Inſulâ fluminis Bidaſſonis, Faſianorum dicta; in confinio Regnorum Galliæ & Hiſpaniæ, ad latera Pyrenæorum montium ſeptimâ die Novembris

bris Anni 1659. In volumen quasi extensæ illius leges; ego medullam extrahi.

29. 1. Pax esto bona, firma, & perpetua in vim fœderis inter utramque coronam, ejusque hæredes, Regiones & subditos.

2. Hanc sequatur armistitium, & totalis ab omni hostilitate continentia : contravenientes & damnificantes puniantur cum refusione damni.

3. Discordias suorum fœderatorum ambo Reges ; aut ut amici component ; aut ut arbitri, si illi se remiserint, decident ; ac pro possibili curabunt, ne armis petant, sed litigium ad Judices remittant. Quod si verò perstiterint in proposito contumaces, liberum erit Regibus, vel præstandi illis auxilium, vel negandi. Eâ tamen ratione præstabunt auxilium, ut alter alterius Regna ac ditiones, nec tangat ; nec invadat manente belli sede in illorum ditionibus, qui invicem decertant. Negabunt quoque auxilium omne, sive in nummis, sive in cibariis, aut quocunque modo, iis omnibus, qui vel excluſi ab hâc pacificatione, vel illi includi nolentes, in alterutrum Regum arma assumpserint, aut seditionem moverint, sive sint subditi, sive alii.

4. Promittunt Reges pro se quisque & suis, quidquid, & quomodocunque elapso bello offendiculo fuit, sempiternæ oblivioni committere.

5. Licebit posthac, numerando tempus ab hâc Pacificatione utriusque Regis subditis liberè hinc indè commeare, mercari, ire, redire, æque in unius ac alterius Regis ditionibus & terris.

6. Iisdem gaudeant Galliæ subditi in Hispani Regis territorio ubique immunitatibus, quibus Angli expacto gaudent.

7. Pœna contra exportat ores mercium prohibitarum non major in Gallos, quam in Anglos extenditor.

8. Utrisque subditis quævis liberè per utriusque Regis ditiones transportare fas esto.

9. Hinc nemo cum suis mercibus impediatur, detineatur, arrestetur ex quocunque etiam utilitatis publicæ prætextu, nisi

ob debita & validos contractus, quæ juſtitiæ dicendæ promittuntur.

10. Navigatio in terras cujuscunque ſit omnibus libera, præter in Portugaliam; quamdiù non accedet coronæ Hiſpaniæ.

11. A prohibitis mercibus utrinque quidem, abſtinendum; præter illas verò omne genus rerum transportare licebit.

12. Sub mercibus prohibitis intelliguntur omnia in uſum belli idonea.

13. Non autem, quæ ad neceſſitates & commoda vitæ humanæ ſpectant: quarum transvectio, commutatio, & mercatus omninò liber eſto, etiam in terras inimicas Hiſpaniæ, præter Portugaliam & illa loca, quæ actum, ſive largè, ſive arctè obſidentur ab Hiſpano.

14. Naves, quæ in hoſtium, ut dictum terras tranſeunt, ſi appulerint in partus Hiſpaniæ, aliud non monſtrabunt, quam literas commeatitias, comprehendentes tàm naves, quàm loca, à quibus, & ad quæ mittuntur.

15. & 16. Nec facilè adſtringantur etiam Francicæ naves portus Hiſpaniæ ſubeuntes niſi ſit ſuſpicio armorum prohibitorum; quo caſu ſufficiet litteras paſſûs exhibere.

17. Hiſpani armati ejusmodi Francicas naves obviantes in mari, firment ſe; ut iſtæ extra tormenti ictum ſint; tum minori lembo ſubmiſſo exigantur litteræ paſſûs; quæ ne falſificentur, ſpeciali ſigno notatæ ſunto.

18. Quod ſi repertæ fuerint merces prohibitæ exonerantor, & fiſco applicantor.

19. Conventum quoque eſt: ut Gallorum merces qualescunque, repertæ in inimicorum navibus, Regis Catholici fiſco attribuantur, ſecùs tenendum de mercibus inimicorum in Gallorum navibus depoſitis: hæ liberæ & immunes ſunto, exceptis tamen prohibitis.

20. Hocque jure æqualitate utantur reciprocè Galli in Hiſpanos, & Hiſpani in Gallos.

21. Si

21. Si quæ fraus intervenerit & prævaricatio in ejusmodi vel mercibus vel litteris commeatitiis ; cui Regum incumbet, remedium ſtatuat, & impoſterum præcaveat.

22. Arreſtata quævis tempore belli, ſi hoc pacis tempore exiſtunt, redduntor ſuis proprietariis, &c.

23. Remittantur actiones litium ad ſuos judices competentes.

24. Conventum quoque eſt, ut diſſolutâ hâc (quod DEUS avertat,) pace, utriusque Regis ſubditis 6. menſium tempus conceſſum ſit effectus, hominesque ſuos revocandi imperturbabiliter.

25. Sive Hiſpani apud Gallos, ſive Galli apud Hiſpanos commerciorum, vel cambiorum causâ commorantes, utentur pro libitu, quibus voluerint, Advocatis, Notariis & Idiomate.

26. Sibique Conſules eligere fas eſto.

27. Repreſſalia priùs conceſſa ſuſpenduntor, & poſt hac in præjudicium alterutrius non conceduntor, niſi pateat negari juſtitiam.

28. Subditi utriusque, Eccleſiaſtici & Laici, reſtituantur in bona priſtina & honores, non in uſumfructum præteritum, & exceptis beneficiis curatis.

29. A fiſco nihil repetendum ullo modo.

30. Præfatæ reſtitutioni in bona & honores nihil abſolute obſtabit ; ſicut & tempore belli emigrantibus exſulibus licebit redire, ſuaque recipere, illisque liberè frui.

31. Qui à Regibus vel Pontifice proviſi fuerunt bello durante beneficiis, manento in illis ad dies vitæ, ſine præjudicio tamen impoſterum eorum, qui veri ſunt collatores.

32. Idem extenditor ad Prælatos, Abbates, Priores ante vel durante bello denominatos.

33. Poteſtas conceſſa Cardinali Mazarino & Comiti de Haro concludendi leges matrimoniales in Ludovicum XIV. Regem Chriſtianiſſimum & Philippi IV. Hiſpani Regis Infantem majorem natu, Mariam Theræſiam.

34. Circa præſenti bello acquiſita, quæ reſtitui, quæ retineri debeant, pacis amore in hunc modum convenêre.

35. Retinebit Rex Galliæ univerſam Arteſiam ; exceptâ Ariâ & Audomaropoli, quæ manebunt Hiſpano.

36. Flandriæ Urbes & Fortalitia Gravelinga, Sluſa, Halovinæ, Bourburgum, fanum S. Venantii ſunto Galliæ cum abſoluto Dominio.

37. Landrecium quoque & Quercetum in Provinciâ Hanoniæ.

38. In Ducatu Luxumburgenſi Theonis Villa, Mommedium & Damvillerium.

39. Baſſea & Winoxberga commutata cum Marieburgo & Philippi Villa, ita, ut hæc ad Chriſtianiſſimum, illa ad Catholicum Regem cum omnibus juribus pertineant, promiſsâ reciprocè omni indemnitate. Pariter Urbs Avena cum territorio Galliæ Regi.

41. Rex Catholicus omnia præfata loca cedit pleno jure Chriſtianiſſimo Regi, abdicando ſe, & renuntiando omni Dominio deſuper habito, ac conſentiendo, ut ea loca ex nunc perpetuo nexu innectans Coronæ Franciæ.

42. Pyrenæi Montes ſunto limites poſthâc Regnorum Hiſpaniæ & Galliæ, dividuntque utriusque Regis Dominia : adeò, ut per Commiſſarios fiat ſeparatio locorum, quæ extra vel intra Pyrenæos ſita ſunt, & quæcunque Franciæ armis fuêre ibi ocupata, reddantur Catholico Regi ſine omni morâ, ut Comitatus Cerdonæ, & Cataloniæ Principatus.

43. Vice verſa Chriſtianiſſimo Regi maneat integer Comitatus & Satrapia Ruſcinonenſis, & Comitatus confluentanus, & quidem unitus poſthâc coronæ Galliæ.

44. Ex hâc pacificatione pertinebit ad Regem Catholicum Comitatus Carolenſis, reſervato alto Dominio Galliæ.

45. Reſtituuntor in Belgio Hiſpaniæ Regi Urbes & oppida Ipræ, Odenarda, Dixmunda, Furna, Quenoquiarum, Mancilla, Menenium, Cominæa.

46. In Italiâ Valentianum, Padum & Mortara. 47. In

47. In Comitatu Burgundiæ omnia planè à Francis occupata, ſic nullo excepto manento Regi Hiſpaniæ præfatus Comitatus.

48. In finibus quoque Hiſpaniæ ſunto poſthac Regis Catholici portus Roſarum, moles Trinitatis, caput de Quers, la Seau de Urgel, Toxema, arx Baſtidienſis & locus Baga. Urbs & locus Ripol & Cerdenæ comitatus.

49. Rex Hiſpaniæ reddito Regi Catholico Rocroium, Caſtelletum & Lincampium.

50. Præfata locorum reſtitutio fiat utrinque immediatè.

51. Reſtituentibus liceat abvehere omnem ſupellectilem tàm belli, quam pacis, tàm ſuam, quam aliorum.

52. Hesdini Rebelles ad interceſſionem Catholici Regis, quos iſte in protectionem acceperat, ſi quietè & pacificè Hesdinum extradiderint, condonentur à Rege Chriſtianiſſimo, oblatis literis abolitionis in optimâ formâ, ſecùs non.

53. Cautum, ne inter extradita Regi Galliæ oppida Avenam, Marieburgum, Philippi Villam, fas ſit Regi Hiſpaniæ munimenta exſtruere, quibus communicatio dictorum locorum tolli poſſet.

54. Omnia Inſtrumenta ſcripta cum reſtitutione locorum extraduntor.

55. Cataloni omnes remigrantes ſuſcipiantur, & reſtabiliantur.

56. Reciprocè Juſtitia præſtetur utriusque Regis ſubditis.

57. Prælati Eccleſiaſtici poſſidento reciprocè beneficia bello durante collata.

58. Reſtituti & reſtabiliti in Cataloniâ fructus non repetunto.

59. Ac proindè diſcordiæ illorum per certos Commiſſarios amicè componuntor.

60. Condeus reſtituatur in Galliâ, & Portugaliæ res in eum, in quo ante menſe Decembri Anni 1640. exortam ibi mutationem

nem fuêre, ſtatum reponantur ; condonatis generatim omnibus, qui pacificè redierint.

61. Rex Hiſpanus cedito omni juri in Alſatiam, Suntgoviam, Comitatum Ferretenſem, Briſacum Urbem, eorumque Dependentias, &c.

62. Rex Chriſtianiſſimus reſtituito Carolo Lotharangiam, reſervato Majonvico.

63. Item Ducatu Barrenſi.

64. Ducatu Cleremontano, Stenæâ, Duno, Jametio, cum Appertinentiis.

65. Et in reſervata conſentiat Lotharingus per publicum inſtrumentum, antequam reſtituatur.

66. Rex Chriſtianiſſimus cætera omnia, Urbes, oppida, Arces cum bellicâ ſupellectili præfato Duci Carolo Lotharingo plenè reddat,

67. Econtrà Dux exercitum dimittat.

68. Et publico inſtrumento in ſpecie promittat Regi Galliæ tranſitum per ſuas ditiones in Alſatiam, Briſaccum, Philippiburgum, &c.

69. Similiter renuntiet omnibus conſpirationibus, fœderibus, conſiliis, &c. adverſus Regem & Regnum Franciæ.

70. Tantam quantitatem etiam ſalis Regi, eo pretio, quali Metentibus tempore pacis nundinatoribus ſolebat, quotannis vendat; quò Regia horrea impleantur in proviſionem trium Epiſcopatuum Metenſis, Tulenſis, Verdunenſis, Ducatus Barenſis, & aliorum quatuor comitatuum Claremontanæ, Stæneæ, Duni & Jametii.

71. Subditis item parcat, qui partes Galliæ ſequebantur.

72. Neque mutet quidpiam circa beneficia & officia, quæ tempore belli ab Hiſpano & Gallo ſuis ſubditis conceſſa ſunt.

73. Neque repetat fructus confiſcatorum bonorum ab iis, qui ex conceſſione Regis illis fruiti ſunt.

74. Ratihabeat quoque judicia, ſententias & res judicatas.

75. Idem

75. Idem obſervet quoad donationes, remiſſiones, à Rege Chriſtianiſſimo tempore belli factas.

76. Pariter quoad infeudationes qualescunque & qualiumcunque.

77. Quod ſi hæc non præſtiterit Dux, nec Rex præſtabit ea, quæ vigore hujus pacis circa reſtitutionem Lotharingiæ promiſit.

78. Et ſpecialiter in præfatum articulum conſentit Rex Catholicus.

79. Condéus quidem reſtituendus, ſed antea, ut Regi deprecetur, concluſum eſt.

80. Item ut militem æque Gallum ac externum prius dimittat.

81. Et Reverſales deſuper Regi mittat, quibus ſe huic Pacificationi ſubjicit, factâ denuntiatione fideli omnibus fœderibus, in quamextra Regnum; penſionibus, conventiculis, omnibusque in Regem machinationibus, ſub pœnâ amittendi ea omnia, in quibus per præſentem Pacificationem reſtituitur.

82 Aſſecurationis Regiæ cauſa extradat Regi Condæus actu oppida Recpojam, Caſteletum & Lincampium.

83. Pacis amore Chriſtianiſſimus & ad preces Catholici in gratiam ſuſcipiat prædictum Principem.

84. Eumque redintegret quoad munera, officia, feuda & poſſeſſiones cum certis tamen conditionibus (*ſed Hiſpano noxiis.*)

85. Literas abolitionis omnibus Principis dicti adhærentibus, agnatis, domeſticis, ſequacibus benignè concedat:

86. Quæ omnia prius vigorem non habeant, donec præcedentibus articulis comprehenſa ab Hiſpano & Condéo plenè reſtituantur.

87. Nec ſolum literas abolitionis Rex Galliæ, ſed & redintegrationem & poſſeſſionem omnium bonorum (citrà tamen fructus interim perceptos.) Item beneficiorum ac officiorum, omnibus Principis Condéi hominibus & neceſſariis reſtituito.

88. Hæc ut faciat integrè Rex Chriſtianiſſimus, prius abeat præſidium Hiſpanum Juliaco, ubi commoratur.

89. Jura & prætenſiones maneant reſervata Regi Galliæ, ſed viâ amica & Juſtitiæ perſequi fas ſit.

90. Idem dicito de Rege Catholico.

91. Sabaudus quoque Regis Chriſtianiſſimi confœderatus includatur hujus pacis tractatui.

92. Igitur ad preces prædicti Regis reddat Hiſpanus Sabaudiæ Duci Vercellas & Cencium cum ſuis territoriis.

93. Dotem quoque Infantæ Catharinæ.

94. Controverſia dicti Ducis cum Mantuano expendatur imposterum ad normam pacis Anno 1631. Cheraſci factæ.

95. Quæ vero ratione Margarithæ Sabaudicæ prætenditur, quam primum per Commiſſarios componatur.

96. Rex quoque Catholicus in gratiam ſuſcipiat Ducem Mutinæ.

97. Et à Corregio oppido præſidium antehac ſolitum amoveat.

98. Dotis debitorem ſe ultrò facit Rex Hiſpanus concernentis præfatam Infantam Catharinam.

99. Ambo Reges interponant officia apud Papam, ut controverſia Ducis Modenæ cum Camerâ Apoſtolicâ tandem ſemel viâ juſtitiæ & juris componatur.

100. Item ut Parmæ Dux Cameræ Apoſtolicæ debitor, debitum ſuum particulari ſolutione ſolvere permittatur.

101. Ambo Reges Legatos mittant in Germaniam &c. & ibi pacem ſuadere & diſſidia Principum ſeptentrionis componere pro viribus ſatagant.

102. Eadem procuranda apud Helvetios, & Catholici cum Proteſtantibus pacificandi Canones.

103. Similiter inter Griſones & Valtelinos.

104. Monæus Princeps redintegretur Neapoli ab Hiſpano.

105. Ab eodem reddatur Dominæ Capruſiæ pretium Contractum propter Dominia Kerpen & Lommerſem, quæ illi belli cauſa adempta, & Electori Colonienſi tradita.

106. Ca-

106. Captivi invicem reſtituantur ſuis ſumptibus.

107. Qui vero calamitate hujus Belli in triremibus detinentur, ſine ullo lytro liberentur.

108. Quantum per præſentem pacificationem non detractum eſt; perſeveret in ſuo eſſe pax Verviniana, & per hanc in omnibus confirmetur.

109. Pacis Articuli Vervinianæ de Anno 1598. & 9no. nondum purificati, purificentur utrimque, & per Commiſſarios executioni mandentur.

110. Et Confinia recte ponantur.

111. Impenſæ in captivos durante bello pro & contra computentur, & videatur, qui Regum ſit Debitor alterius, debitumque teneatur ſolvere Creditori ſine longâ morâ.

112. Circa reſtitutionem privatorum in priſtina bona inſtituatur Commiſſio in utraque aulâ, quæ interpellationes eorum cauſasque audiat, ac ſummariè decidat.

113. Executio præſentis pacis ſequenti modo inſtituatur.

114. Primò cedet Rex Chriſtianiſmus Valentiam ad Padum & Mortaram 30. Nov. hujus 1659ni Catholico, & Rex Catholicus Vercellas Sabaudo & Caſtelletum Regi Galliæ unâ eâdemque die 30. Nov. hinc litteræ hinc inde ad ſuos Præfectos quamprimum dirigendum, ut concluſa fiant.

115. Idem 27. Dec. Ejusdem reſtituet Rex Galliæ Hiſpano Adenardam, Marvillon, Mennenam, Cominæam, Dixmundam, & Turnam cum locis. Fintellæ & Quenoquiarum, & vice versâ Rex Hiſpanus Gallo Rocroium & Lincampium.

116. Rurſus 4. Januarii 1660. Chriſtianiſſimus reponet in manus Catholici Ipras, Baſſeam, Winoxbergam cum propugnaculo, atque omnia in Cataloniâ occupata loca, exceptis oppido Roſarum, munimento Trinitatis, promontorio de Quers. Eodem viciſſim die dabit Catholicus Chriſtianiſſimo Hesdinum, Philippovillam & Mariæburgum.

117. Cum primum Princeps Condéus gratiabitur à Rege, extradet ſubitò Rex Catholicus in manus Chriſtianiſſimi, & Du-

cis Neoborgici Avennam & Juliarum. Sicut & Chriſtianiſſimus Catholico Regi omnia loca in comitatu Burgundiæ armis Franciæ occupata.

118. Et quoad Confinia in ultro citròque reſtituendis comitatibus Confluenti & Cerdanæ ſtabilienda, incumbent ſedulo Commiſſarii ad hoc deputati, ut declarationem ſuam faciant; quæ poſtquam ex pacto particulari Rex Galliæ Regi Hiſpaniæ 5. Maji 1660. etiam portum Roſarum, munimentum Trinitatis & promontorium Quierium, quæ ſuperius excepta fuere.

119. Eodem modo Commiſſarii declarabunt circa compenſanda & commutanda, quæ in Baſſeæ & Winoxbergæ, cum Philippovillæ & Mariæburgo commutatione ad apparatum bellicum ſpectantia invenientur.

120. Mandabunt Reges ſuis exercituum Præfectis, ac munimentorum Urbium, oppidorumque Rectoribus, ut concluſa & pacta inter coronas fideliter, quietè & ſine tergiverſatione executioni dentur.

121. Declaret ſe Lotharingus intra 4. menſes ad has pacis conditiones, ſecùs non tenebitur Rex Galliæ ad Lotharingiam reſtituendam.

122. Hâc pace comprehendantur fœderati Galliæ: poſſunt quoque ſi velint, Papa & alii Principes comprehendi.

123. Idem ſtatuitur de fœderatis Hiſpaniæ.

124. In fidem & certitudinem hujus Pacificationis fiat publicatio in utriusque Regis Regnis, territoriis ac tribunalibus, curiis, & Parlamentis.

30. Voluminoſa hæc pax (ſi tamen pax dicenda; Arbitratio congruentius in res Hiſpaniæ) magnum inflixit vulnus avitis Hiſpaniæ & Auſtriacorum ſtatibus. Leges iſtæ victoris ſunt ferme in Captivos, non pax inter Principes armatos & coæquales. Claſſicum novi belli potius, quam prætenſa à Mazarino inter Socerum & generum mutui amoris æmulatio. Quid Gallus Hiſpano reddidit, quod non fuit ante ſuum? Et quæ Gallus ſibi retinuit, quæ fuiſſent olim ſua, & non Hiſpanica? Nihil ſuum fuit, quod

quod uſurpat Gallus : Nihil Hiſpano reddidit, quæ non fuiſſent Hiſpano. Quid inde Hiſpano niſi Detrimentum irreparabile; Quid Gallo, niſi ingens Monarchiæ ſuæ jamjam in altum provectæ incrementum. Hæc quidem fata ſinunt, ſed facta non approbant. Fruſtra prætenditur pacis titulus, ubi juris deficit. Ubi vis ineluctabilis eſt, nullum ibi voluntarium. Uſurpatio & dominandi libido eſt, quidquid animo invitis extorquetur. Eâdem, quâ porrigitur pacis Oliva, euditur ferrum manu.

CAP. VI.

Pacis tranſactiones cum Franciâ ſub LEOPOLDO Cæſare.

1.

BEllum ſæpe in bello non tantum, quantum in pace eſt. Olim bella cruentiſſima finiebantur bello ; & ut cuipiam fuerat fortuna propitior, plura armis acquiſita, quam pace, nunc pace plurima ac ferme omnia acquiruntur. Calliditate, aſtu, ac mille ſub induciarum ſpecie machinationibus inſidiantur invicem ſibi Regnantes; & ſagacitate potiùs quærunt, obtinentque aliena, quam de iis aperto Marte decertarent.

2. Gallis omni ævo quidem, ſed à Ludovico XI. ſub undecim Liliatis Regibus, in hæc usque tempora, nihil antiquius fuit, quam variis pacificationibus , & ad ſpeciem tranſactionibus in immenſum provehere res Franciæ. Quantæ provinciæ (vel tanta potius Regna) innexa modo Coronæ ſunt, quæ olim libera ſuique juris, vel alieni Dominii fuere. Sic majora Francis ex pace incrementa, quam ex commiſſis præliis victoriæ: majores ex dexteritate vires, quam ex fortitudine: propitior ex aſtu, quam ex virtute fortuna. Plura tres inter Franciæ Reges Ludovici *Pacis Oleâ* obtinuêre ab externis Principibus, quam alii omnes intermedii Reges Martis ferro. Ita, me herclè, nobiſcum ſentiet, quisquis Res Galliæ intimius expenderit.

3. Retulimus quædam ſuperius, amplius dicturi deinceps, cum non minus *Magni*, quam *Pii Leopoldi*, aliquando proficuas, ſæpè neceſſarias, rarò cum Galliâ utiles *Pacificationes* recenſuerimus.

4. Ab exceſſu luctuoſo Ferdinandi III. Anno 1657. tres erant canditati Auguſtalis Germaniæ ſolii. Leopoldus Hungariæ Anno 1655. & ſequenti Bohemiæ Rex factus, Ferdinandi tertii denati Cæſaris filius. Deinde Leopoldus Archidux Auſtriæ, ſago & togâ clarus Princeps, Magnus Teutonicorum Magiſter, & Ferdinandi tertii frater. Tandem Elector Imperii Bavariæ utriusque Dux, Ferdinandus Maria. Ultimum, licet invitum, ſuſtinebat Francia: medius recuſabat: Primus & unicus prætendebat, vel competebat potiùs cum *livore* magis Franciæ, quam cum alio *æmulo*. Extrema moverunt Legati Franciæ *Gramodus* & *Lionne*, tam apud Electores, quam apud Principes, & ordines Imperii, contra Auſtriacos, quos denigrabant, & bellum planè Germaniæ, niſi iis ab Imperio rejectis minitabantur. Fractam ab illis, dicebant, pacem Monaſterienſem: ſuffragia Electorum vix fore libera, translatâ jam toties coronâ Imperii in hæredes unicæ domûs: Differri poſſe electionem, usque dum repararetur pax Monaſterienſis: audirentur externæ coronæ; & per novam pacem præſens in Europâ bellum ſiſteretur Franciæ cum Hiſpaniâ; cujus Infantam ſibi deſtinabat in ſponſam Rex Leopoldus, unicurus indè ingentem potentiam, cæteris Europæ Principibus formidandam, Imperio gravem.

5. Commenta hæc erant (ut jam alibi diximus) fanatica; magis ex livore, quam ex zelo quietis Germaniæ prognata. Ideò Legati iſti apud multos fidem, apud Electores operam omnem perdiderunt: quâ cum ſe nihil præſtitiſſe viderent, aliam viam aggreſſi, ut nocerent Leopoldo; nimirum *Capitulationis*; cui acerbas planè conditiones inferi ſuggerebant, immò corruptis quorundam ſuffragiis, imperabant. Verum neque hoc ceſſit illis ex voto, nam poſt promulgatam capitulationem nec monita ſua conſiderata, nec conditiones plenè ſuſceptas fuiſſe, cum per-

perſpicerent, quærimoniis & proteſtationibus Legationem ſuam finiêrunt. Pacem cum Hiſpano optabant illi tranſigendam ante Electionem Leopoldi, ut nimirum illius conditiones, pendente electione, mitiores eſſent Franciæ; & duriores Hiſpaniæ, exiſtimantes ex ambitu Imperialis pomi ceſſuros multa Galliæ Auſtriacos. Sed alter finis obtectior graviorque erat, ut videlicet in longum protraheretur electio, interimque Suecus, & Cromwellus armis affligerent Imperium, compellerentque Electores ad excluſionem Auſtriacorum à clavo Imperii. Verum Anno 1658. ex afflatu ſingulari divinæ Providentiæ, maturatâ per Electores Leopoldi electione, cum adverſus hanc tardiùs tentarent Suecus & Cromwellus, non aliud eorum Legatis ab Auguſtali Electorum collegio reſponſum fuit, quam *ſe habere jam Imperatorem; non audituros amplius quemquam re confectâ.*

Supra omnem moleſtiam acerbiſſimum hoc erat Sueco & Cromwello, ſed magis Gallo, qui propterea tanto ardentius proſecutus eſt bellum contra Hiſpanum usque ad Annum 1659. ubi inter coronas Galliæ & Hiſpaniæ *Pax Pyrenæa* reſultavit, Francicæ gloriæ nulla utilior nulla major, ſed Hiſpaniæ haud unquam deterior, ut ſupra commemoravimus.

6. Celebris hæc pacificatio vix luſtrum integrum expectavit: rumpendæ occaſio fuit Anno 1665. ex morte Philippi quarti (is Galliæ Regis ſocer erat) imaginarius quidam titulus à *Jure devolutionis*, quo Brabantiam cæterasque Provincias, Delphino, ex Infante primogenitâ Hiſpaniæ prognato, prætendebat, more nimirum gentis inveterato, & legis Brabantinæ, quæ ſexui etiam fæminino, ſi major natu ſit, Belgii Provincias deberi conſtituit. Aſſerebat hæc Gallus, immemor præſtitæ juratæ fidei, quâ ceſſit legi, & omni ſucceſſioni. Adeò facile titulum invenit ſive dominandi in aliena, ſive ea retinendi cupiditas.

7. Hoſtile igitur Ludovicus claſſicum Tonaco advexit, & non multâ operâ per extremam Præfectorum ſive deſidiam, ſive civium conſternationem devicto Tornaco, terrorem Panicum toti ferme Belgio invexit. Idem fatum ſubiêre Charleroy, Bing, Ath, Odenar-

Odenarde Dovay, Fort d'Eſcarpe, l'Isle, Armentiers, Cuortray, Winoxberga, Vevernes & plura alia oppida, & munimenta cum ſuis Dependentiis. Burgundiam verò totam Hyſpanicam, ſive Franche Comté, nec evaginato unquam enſe ſui juris fecit. Ægrè tulerunt tantam Franciæ fortunam, Angliæ, Sueciæ & Hollandiæ tunc unitæ potentiæ: igitur, ut Gallo metam ponerent; Aquisgrani mediatores pacis, qui rem inter utramque coronam componerent, conſtituerunt: & eò transactum (invito fermè Rege Franciæ) ut Rex Burgundiam Hiſpano redderet, ſervatis & coronæ ſuæ innexis aliis omnibus (quarum paulo ante mentio facta) occupatis Urbibus & Arcibus. Pax hæc concluſa fuit Anno 1668. Franciæ planè decora & glorioſa ex acceſſu tantarum Urbium & ditionum.

8. Hâc tamen pace non in longum gaviſa fuit Corona Hiſpaniæ. Nam Anno 1672. Batavos aggreſſus Ludovicus, totam fermè Europam eo bello implicuit. Batavis (in quos nullum jus Franciæ) aſſiſtebat Leopoldus Cæſar, Elector Brandeburgicus, Hiſpanus & alii: Gallo Colonienſis & Monaſterienſis Antiſtites, aliique Imperii Principes, clam aliqui, alii palam nemo diu. Suecia mediationem ſuam interpoſuit, & jam tam procul in tractatione pacis progreſſum fuit, ut non videretur ſpes modica illius. Inopinatus autem caſus Harmoniam omnem diſſolvit. Aderat tractationi Princeps Wilhelmus Fürſtenbergius, quà *Legatus Regis Franciæ*; non obſtantibus avocatoriis Imperii, quæ ex hoſtis ſervitio revocabant Principem Wilhelmum, tanquam Vaſallum & ſubditum Cæſaris, non ſolum quia ille S. Imperii Comes natus, ſed nuper etiam à Cæſare in Principem evectus poſſidebat in Imperio, & Auſtriacis ditionibus dominia, & feuda. E re igitur viſum erat compeſcere contumacem, & etiam optimorum conſiliorum turbatorem: quod egregiè præſtitit Marchio de Grana, Wilhelmum cum à Comtiſsâ de la Mare curru veheretur, adoriens, & indè extractum nocte excubiâ Bonnam abduxit, & ex intervallo Cæſareanis extradidit abvehendum Neapolim Auſtriæ. Hæc res confeſtim præcidit filum omnium tractatuum, bellum-

bellumque ardentiùs ſuccendit, declarato inſuper ab Ordinibus Rege Franciæ pro publico S. Imperii hoſte. Unde cæterorum Principum plerique rejectâ neutralitate Cæſari acceſſêre. Suecus Galliæ partes aſſumpſit, utque Brandeburgum à Cæſare diverteret, ejus ditiones hoſtiliter invaſit. Sic undique Mars Europam occupavit, nullâ ſede paci relictâ.

9. Prævaluêre in Imperio arma Cæſaris: bis enim in campo victus Gallus, deperdito Duce Turrennio & Vabruno: recuperatâ Cæſarianis Treviri, captoque Duce Crequio, Philippopoli expugnatâ, & rurſus cæſo ad Kokerberg Luxemburgio. Minora prætereo. Sed increſcebat à Sueco improviſum periculum Marchiæ Brandeburgicæ, quo celeriter ſe contulit Elector cum ſuo equitatu, ad Ferbellinum, adhuc ex itinere laſſus, magno animo aggreditur Suecum, cumque mox disjicit, vincit, pellit, & è ditione ſuâ profligat. Cladem hanc conſecuta eſt Pomeraniæ fermè totius in Brandeburgum deditio: Interea mutilato ab abſceſſu Brandeburgi Cæſaris exercitu, tempus opportunum nactus Gallus, minimè feriebatur, occupatis potioribus munimentis & Urbibus in limitibus Bataviæ; omnibus ferme in Belgio; non paucis in Alſatiâ & Brisgoviâ. Pugna tandem decretoria ad Montes finem bello dedit, ubi in ſummo ardore conflictûs, *Pax Neomagenſis* proclamata fuit. Aſtus Gallorum erat illa pacis proclamatio, ut extra jactum ſuam cladem ponerent, ubi in manibus, certamque habebant Hiſpani victoriam.

10. Maximum inter cætera pacis hujus obſtaculum videbatur captivitas Principis Fürſtenbergici, ubi Rex Ludovicus cedere cogebatur prætenſioni, de illo in libertatem ponendo, antequam pacis tractatio ſuſciperetur. Sed ultro annuit Rex, cum ſibi bellum hoc finaliter malè ceſſum prævideret, maluitque poſtponere punctum honoris, qui in Legato ſuo violatus erat, puncto ſecuritatis, quæ jam periclitabatur. Palmarem tunc commiſerunt errorem Aleati, quod inter ſe diviſi, particulares pacificationes cum Rege pepigerint: Nam vix à ſæculo Franciæ Monarchia in tam lubrico fuit, quam tunc, ſi in armis perſtitiſſent Aleati: Arcanum è contra maximum

practicavit Ludovicus, *quando tantas potentias fœdere conjunctas divisit.* Si non prævaluit, assecutus certe est Ludovici XI. artes.

11. Primi transegerunt Batavi in has fermè leges. Primò, Amnestia ultroque citroque. Secundò, occupatorum in Batavia restitutio, non autem in Indiis, sua cuique occupanti permanento. Tertiò, Commerciorum redintegratio, & reductio ad antiquum modum. Quartò, Aurisionensis Principatus cum omni jure superioritatis in Principem Orangium, qui posteà Rex creatus Angliæ, collatio. Quintò, Neutralitas ex parte Batavorum donec præsens bellum cum cæteris aleatis Principibus perseveraret. Particularis hæc pax concluſa fuit 10. Aug. 1678.

12. Post pacificationem Batavorum transactum quoque est cum Coronâ Hispaniæ, sed in Leoninum planè modum. Nobilissimi enim Status transiêre in potestatem Franciæ; fragmenta vel repotia relicta Hispaniæ. Præliminariter autem cogebantur Hispani suos fœderatos deserere, ac sanctè promittere, se non auxilium laturos Aleatis contra Sueciam, etiam extra territorium Belgii. Pax cæterum tota, duobus tantum principalibus punctis comprehendebatur.

13. Primum erat, ut Burgundia tota cum omni superioritate ad coronam Franciæ deinceps pertineat (Quantum decus ex hoc decessit Hispaniæ! quanta ex hoc, quod Burgundia Imperiale Feudum sit, Imperio injuria facta! Punctum hoc non pacis, sed meræ usurpationis est.)

14. Secundo Galliæ sunto Valenciennes, Bouchain, Condè, Cambray, Aire, S. Omer, Ypræ, Cassel, Beauvay, Maubege; præter reliqua, quæ per priores pacificationes obtinuit. Tanta hæc sunt, ut Hispanis nomen fermè tantum & memoria aliqua remansit in Belgio: res ipsa & potestas summa apud Gallos erat. Expiatum magis, quam concluſum hoc ab Hispanis fuit 7. Sept. Anno 1679.

15. Jam sanè verum est, rupta unâ alterâvè chordâ, rumpi totum concentum. Avulsis à fœdere Batavis & Hispanis, quid reliquum erat, quam ut Cæsar & Sacrum Imperium vix melio-

res

res pacis leges inire cogerentur. Induciæ paucorum dierum erant, quibus lapsis tota belli moles incumbebat Cæsari & Imperio. Itum igitur in conventa.

16. Primò: Transactioni huic fundamentum substernebatur *Pax illa Westphalica*, usurpationum Gallicarum unicum aut asylum, aut oraculum; sacri Imperii verò primum præcipitium, & continua pernicies. Reassumpsit tunc Cæsar difficultatem jam toties suspensam & dilatam, nunquam solutam & declaratam circa indignè & illicitè mutilatum Imperium per usurpatam à Gallo superioritatem in Alsatiam & tres amplissimas provincias Tull, Mez & Verdun, cum eorum Dependentiis in maximam Imperii partem à Gallico Ministerio prætensis. Ad excutiendam hanc difficultatem se nihil instructos dicebant Franciæ Legati: sicque mansit indecisum, quod maxime erat necessarium, solâ adjunctâ protestatione Legatorum Cæsaris. Quantum inde decessit Imperio, & posteà indies decedebat per nostram supinam vilitatem magis supprimendum, quum exprimendum est.

17. Alterum Punctum fuit Wilhelmi Fürstenbergici restitutio post concluſam pacem, & ejus fratris Episcopi Argentinensis cum Cæsare Imperio reconciliatio, quod & factum est.

18. In tertio Puncto reddebat *Gallus Philippopolim* Cæsari & Imperio, cujus loco sibi attribuebat Freyburgum cum tribus oppidis.

19. Quartum Punctum controvertebatur circa Sueciæ Regem. Gallia absolutè voluit omnia restitui Sueco: sed repugnabant cæteri Aleati Danus, Brandeburgus, Monasterienſis & Brunsuicensis. Ideò exclusis his ab hâc pace, amplius concluſum fuit, ne ab Imperio unquam auxiliares suppetiæ darentur Aleatis contra Suecum: in cujus fidem & securitatem manebant Regi Galliæ, veluti Depositi loco, Urbes Chatelet, Huy, & Verviers, atque alia tria loca in imperio, quorum una Urbs S. Imperii esse debuit.

20. Quintum Punctum concernebat Lotharingum: sed cui Galliæ Rex alias conditiones inferi noluit, quam quas continet

Pax Pyrenæa. Quemadmodum in omnibus, ita in hoc dictabat leges Gallus. Temperamentum tamen aliquod, quod in alternatione consistebat, admisit, nimirum, ut urbs Nancéum, munimenta Mayembicum & Marsalum cum suis Territoriis Franciæ accederent. Insuper quatuor transitus sibi per Lotharingiam ad medium milliare extensis, videlicet ex Campaniâ Galliæ usque Nancéum Lotharingiæ; hinc vero Metim, Burgundiam & Alsatiam usque, pleno jure superioritatis & Dominii concedi voluit. Deum immortalem! an aliud hæc pacificatio, quam hosti in viscera parabat viam? Transactiones pacis magis collimare debent obstruendas, non parandas hostilitati vias, ad firmandam securitatem, non fovendum periculum.

21. Offerebat quidem Rex Lotharingo Æquivalens pro Nancéo, urbem Tuol, pro Mayenbico aliud simile; sed generositas Ducis aurem non præbuit turpitudini conditionum, quas sine dedecore suo haud inire valuit. Maluit integrâ Lotharingiâ destitui, quam mutilatâ gaudere. Igitur in cætera tantum conventa utrimque à Legatis subscriptum, munitumque Anno 1679.

22. Successivè fit motus, ajunt Philosophi: ita prorsus in hâc pace Neomagensi processum est. Quantumvis enim feliciter ab Aleatis gestum fuerit bellum contra Suecum, occupatis fermè omnibus ejus in Imperio, & non paucis alibi, ditionibus: nihilominus, quia à Galliâ hinc inde impendebant majora pericula, sensim & successivè paci se accommodarunt Principes priùs excluſi.

23. Primus erat Brunsuicensis, cum quo conventum, ut Sueciæ Regi redderet occupatâ in Bremensi & Verdensi ditione, sibi vero servaret Totinghusium cum modico districtum inter Iserim & Illerim olim spectante ad Episcopatum Verdensem. Quemadmodum etiam proventus illos, quos Bremensis Episcopatus exigebat in ditionibus Brunsuicensibus & Luneburgensibus; adjudicatis insuper à Rege Brunsuicensi domui propter belli incommoda trecentis millibus Imperialium.

24. Sortem eandem secutus Monasterienſis Episcopus & Princeps, ea omnia restituit, quæ victricibus armis in Bremensi & Ver-

Verdenſi Epiſcopatu à Sueco obtinuit, pretio ſatisdato, centum millium Imperialium, & hypothecato interim Wildthuſio.

25. Brandenburgicus, qui plurimùm ad victorias contra Suecum obtentas contulit, ægro licet animo, ut tamen pacem haberet à Franciâ, quæ Clivienſem Ducatum deſolabat, ceſſit rurſus Sueco Pomeraniam, ſuis & Aleatorum armis acquiſitam; exceptâ nihilominus parte territorii ad decem milliarium trans Oderam: medio deindè telonio, quod ex Pomeraniâ Sueciæ ſolvebatur, liber, accepit inſuper trecenta millia Imperialium à Galliæ Rege.

26. Rex Daniæ ad pacificationem hanc difficilior, nimirum, ut tanta, quæ gloriosè à Sueco obtinuerat, eidem rurſus reſtitueret, magis armis conſumi avebat. Magis autem turbavit animum Daniæ Regis, Dux in Hollſtein-Gottorff: cui, vigore hujus pacificationis, omnia jura & poſſeſſiones cum ſuperioritate alti Dominii reddere debuit. Interea ingens hâc in re acceſſit momentum tractationi, quod Rex Sueciæ Regis Daniæ ſororem Ulricam Eleonoram in matrimonium peteret; cujus deſiderium utrinque facilitavit conditiones pacis.

27. Sic ex pleno concluſa pax Neomagenſis videbatur quietem dediſſe Europæ univerſæ, ſed ſat miſeram quibusdam in particulari, qui alium fructum hujus pacis non retulêre, quam vel profuſionem ingentium pecuniarum & exercituum, vel amiſſionem avitorum ſuorum Principatuum & Dominiorum; dictante ubique Galliâ leges pacis ſibi proficuas, aliis difficiles, quod primitùs confœderatorum culpâ accidit; quibus ſicut conjunctis impar erat Franciæ potentia; ita hujus aſtu diviſis, cunctis ſuperior, cum omnium tali, quali damno, aut in futurum periculo: Hiſpaniæ verò & ſacri Imperii pernicie irreparabili, ut paulo poſt conſtabit. Hâc quippe pace lactati, & in altum ſoporem poſiti, multi Europæ Principes exautorarunt ſuos exercitus, nihil ſibi metuentes: unus autem Galliæ Rex nec exautoravit ſuum militem, nec belli conſilia depoſuit, ſed ex improvidâ exautoratione aliorum Principum in duplum ſuos auxit

exercitus, & in omnem casum paratus tutò offendit imparatos, & ingentem quæstum belli, ipse ex pace habuit.

Enim verò nondum per totam adhuc Europam infelix hæc pax resonuerat, cum illicò Ludovicus novum bellum molitus, aut saltem ejus gerendi causam necessariam dederit. Ne dicam de Camerâ reunionis, quam Metis alibi instituit, eòque ad tribunal immediatos Principes & Status Imperii citavit, non comparentes feudis & Dominiis Imperii liberis exuit: & quod importunissimum est; altero post confectam pacem Anno videlicet 1681. in ipsa meridie pacis publicæ vertente Ratisbonæ circa confinia actuali tractatu, Argentinam liberam sive Imperii Urbem velut hostis armato milite ad deditionem compulit, Armamentarium Urbi sustulit, cives exarmavit: ac eadem ipsâ die Casallum in Italiâ suæ ditioni adjecit.

28. Parum erat Gallorum aviditati per pacem Neomagensem tanta occupasse alieni juris, ac totam dementasse Europam spe duraturæ pacis; nisi multo acerbiora posteà Ludovicus non tàm tentasset, quam confeciisset. Nam Regem ipsum Sueciæ, quod se reunioni subdere noluerit, Ducatu Bipontino, & Electorem Palatinum, quod citatus non comparuerit Germersheimio ejecit. Hi erant illi Germaniæ & Hispaniæ amari pacis fructus, sub cujus prætextu sexcentas Urbes, arces & majora oppida occupavit. Luxemburgum cum 515. pagis suæ potestatis fecit, Provinciam Alostum, Comitatum Chimay, Courtray, Dixmundam, & si quas adhuc reliquias Hispania in Belgio habuit, armatâ quidem (sed cui se nemo opponere valuit,) vi expugnavit. Pejora à Galliâ imminebant indies, Imperatore in Hungariâ & alibi occupato: ideò rursus Induciæ tàm à parte Imperii, quam à coronâ Hispaniæ contractæ, vel magis coactæ fuerunt ad integros viginti annos relictâ Regi superioritate super occupata in Imperio, quæ justum Regnum conficiebant: ab Hispaniâ verò Ducatus Luxemburgensis, Baumont, Bovines, & Comitatus Chymay cedebantur Ludovico (in præmium scilicet fractæ pacis.)

29. Præ-

29. Præfatas Inducias ſive armiſtitium, tàm parum obſervavit Gallia, quam priùs pacem Neomagi transactam; quæ illi ſemper in prætextum belli ſerviit. Quia non ſolum Principi Wilhelmo Principatum Auriſionenſem, quem ex lege pacis debebat, nec Hiſpanis Dinant reddidit, nec alia loca evacuavit, ſed etiam Cleremontium expugnavit, nova erexit in Imperio munimenta & Fortalitia contra pacis leges: immò abſolutè inſuper tentavit & voluit, ut præfatum vicennarium armiſtitium in perpetuam pacem converteretur, utvè tot, tantæve Urbes, Arces & munimenta Principatus & comitatus, quæ vigore induciarum per 20. Annos illi concedebant, tranſirent in proprietatem & dominium ſupremum Franciæ, undè nulla amplius redemptio. Machinatio hæc non minùs deſpotica, quam extremè periculoſa valdè perculit Cæſarem & S. Imperii Principes: utve ſibi de ſecuritate proviſerent, fœdus defenſivum Auguſta Vindelicorum Cæſar, Hiſpanus, Suecus, Sabaudus, Saxo, Bavarus aliique circuli Imperii contraxerunt. Id verò Ludovicus *Rupturam pacis* interpretatus eſt; quaſi non liceret Imperio, ſe tueri adverſus vim & offenſionem Galliæ illicitam; cum omni jure compertum ſit, defenſionem eſſe licitam, ubi offenſio eſt illicita. Hanc ob rem, ut Ludovicus Rex armiſtitium illud diſſolveret, pacem rupit, & univerſam bello Europam miſcuit. Erant Regi diverſa motiva. Primùm, quod poſt Colonienſis Electoris fato Eligibilitas Clementi ex Ducibus Bavariæ, Antiſtiti Freyſingenſis Eccleſiæ ad preces Cæſaris à Pontifice facta fuerit in præjudicium creaturæ Franciæ, Wilhelmi nimirum Fürſtenbergici, actualis tum Colonienſis Eccleſiæ Coadjutoris; qui tamen, quâ Epiſcopus Argentinenſis non eligi, ſed poſtulari debuit. Secundò, Cæſar in Hungariâ Victor adverſus Ottomannum Franciæ fœderatum. Tertiò, propria Regis Syndereſis, quâ agnoſcebat, ſe contraveniſſe in multis paci Neomagi, & alibi per Inducias ſancitæ, niſi igitur præveniret, ſe præveniendum à Cæſare cum exercitu victoriis adverſus Turcas aſſueto, indubiè exiſtimabat. Ideò Ludovicus integer adhuc viribus, Cæſare nondum armis Ottomannis expedito,

alio

alio non facilè obſiſtente, nec præmiſſis Fecialibus, nec oblatâ juris mediatione irruit in latè patens Imperium, Palatinatum, partesque Rheni aggreditur, ibique depopulatur omnia. Bello jam provecto, ejus cauſas publicato Manifeſto explicat: nimirum fœdus Auguſtanum, excluſionem ab Archi-Epiſcopatu Colonienſi Wilhelmi Fürſtenbergici, & viduæ Aurelianenſis pacta dotalia. Exindè Philippopolim expugnat, Sueviam & Franconiam devaſtat: Heidelbergam, Heilbrunnam, Eslingam, & ipſam Moguntiam, & Spiram abducto indè Archivio Imperii occupat. Idem evenit Manheimio, Franckenthalio, Oppenheimio, Wormatiæ, Provinciis Badenſi, Durlacenſi, Würtenbergenſi, Clivienſi, & quam plurimis aliis. Imperii denique viſcera omnia hoſtis immanis fulgetro velocior pervaſit & corripuit ſine diſcrimine amici & inimici, hoſtis publicus reipsâ factus, ac talis (tardè nimis) ab Ordinibus Imperii declaratus. Nec ſatis erat expugnaſſe, occupaſſe, deſolaſſe, niſi omnia redegiſſet in rudera incinerata, homines in cadavera, & pretioſa quæque in pabulum Vulcani vel inſolentiæ militaris. Ne dicam de profanatis ſacris, corruptis DEO dicatis, latrociniis & carnificinis publicis, innocentum victimis; iisque omnibus, quæ vix unquam patravere Barbari. Palàm quidem hæc ſunt: ſed horret tamen animus, meminiſſe. Duravit autem præfatum armiſtitium nominetenus (nam re ipsâ continuum à Galliâ bellum,) ab Anno 1684. usque ad Annum 1688. id eſt, loco viginti ex pacto annorum, quatuor tantum annis. Adeò brevis eſt Franciæ fides. Ejus rumpendi primo adhuc labente Anno licet Autor fuerit Ludovicus Rex, ut ſupra dictum eſt, attamen à Cæſare & Sacro Imperio etiamnum cum bello Turcico plurimùm occupato, neceſſitate magis, quam jure, maximo licet cum Germaniæ detrimento toleratum fuit. Nequibat optimus Cæſar Germaniæ tranquillitatem reddere, donec ipſe in tempeſtate ac tumultu ageret.

30. Conſequens autem bellum, quod Galliæ Rex palàm rupto armiſtitio in utraque Germania hâc & cis Rhenum, in Belgii Provinciis atque in Italiâ cœpit, variâ quidem fortunâ geſtum,

ſtum, multum tamen, quod meditaretur, dedit Ludovico. Nam primò magnæ coaluerunt vires fœderatorum : Magni Duces Wilhelmus Auriacus deſtinatus jam Rex Angliæ : Bavariæ Dux actualis Belgii Gubernator : omnes ferme Imperii Electores & Principes, qui exulceratiſſimo animo ferebantur tàm in uſurpationes Franciæ, quam in ejus militum, quâ latè patet Imperium, patrata flagitia, incendia, depopulationes, &c.

31. Alterum erat, quod Cæſar Leopoldus reducem ab Hungariâ exercitum, totque victoriis inveteratos Duces, totam videlicet armorum molem immiſſurus ſit in Galliæ occupata, rationemque exacturus de toties contravento armiſtitio & deſolatâ Germaniâ. Plurimùm autem concutiebat Regis animum tot obtentæ à Cæſare adverſus Ottomannos laureæ, tantumque indè protracta Auſtriacorum pomœria ; è contra manifeſtum ſuum periculum amittendi tot ampliſſimos Status, quibus ſi pacem coluiſſet, vigore Armiſtitii, per viginti annos frui valebat. Ita, me Caſtor, multum hîc deflexerat Ludovicus aviditate nimiâ tractus alieni. Aut enim Armiſtitium tàm ſibi liberale obſervare, aut illud nunquam iniviſſe debuiſſet. Non ineundo attriviſſet plurimum Cæſaris vires contra Ottomannum, diſtractis his in plura bella: obſervando autem, præſens evitaſſet periculum, cauſa nimirum non datâ confœderatis, illius rumpendi. Verum obnubilat interdum divina providentia mortalium animos, ut eorum, quæ deſtinavit, aut mutare conſtituit, adverſa conſilia corrumpat.

32. Expenſis hiſce, Ludovicus etiam in dubiâ fortunâ rerum ſuarum ſagax, nondum elapſo triennio, cum illi ſoli contra tot belli onus ſuſtinere in longum grave videretur, pacis cogitationes ultrò ſuſcepit, miſſo ad Pontificem, velut ſacram ancoram Rebenaco cum precibus, ut ille Cæſarem & Hiſpanum à fœdere Heterodoxorum Bataviæ & Angliæ avelleret. Annuit Pontifex Regi, ſed fruſtra ſuaſit Cæſari. Inopportunum reddebat Papæ conſilium præſens opportunitas humiliandi Franciam, ut inſolentiorem deinceps non ferret Europa. Inſtitit tamen con-

tinuò Rex paci tàm Româ promovendæ, quam per Catholicos Helvetiorum pagos agendæ : plurimum autem æſtuabat Sabaudum à fœderatis abſtrahere, ſibique addicere, oblatis, ſuper quam Sabaudus optare potuit, honoratiſſimis & utiliſſimis conditionibus ; quas ultrò amplexus eſt ille, non obſtante fœdifragio. Itum igitur in pacem eâ ratione, ut primò Ludovicus Rex omnia Sabaudo reſtituat, & inſuper etiam Pignarolum. Suſam verò, Nizzam, Somiglianum Rex Depoſiti loco habeat, usque ad pacem generalem præſidio Helvetico Galliæ ſumptibus proviſa. Secundo, Rex pendat quatuor milliones Duci: ſemiſſem nunc ; reſiduum poſteà ſecutâ pace generali. Tertio Nepos Regis Dux Burgundiæ deſpondat ſibi filiam Sabaudi, compenſatâ ultro citroque dote. Quartò, Ducem protegat Rex adverſus omnes, vel huic paci repugnantes, vel alios quoscunque hoſtes.

33. Intereà repulſam, quam à Cæſare & Hiſpano habuit Roma, videns Rex Franciæ, illicò Clypeum mutavit, & à Romanâ ſede convertit ſe, ad hujus oſorem maximum, Regem nimirum Sueciæ ; quem per Comitem Bethuniam ad mediationem invitavit, oblatis quibusdam conditionibus, quæ Imperium concernebant. Primò Armiſtitium Anno 1684. concluſum in pacem perpetuam convertatur : Argentina maneat Franciæ, ejus loco reſtituatur Philippopolis & Freyburgum: Mont-Royal, Fort-Louis demoliatur : Prætenſionibus Duciſſæ Aurelianenſis Rex renuntiat : Lotharingia redeat ad Dominum ſuum, ut transactum in pace Neomagenſi, exceptis Saar-Louis, Bilch & Homburg, quibus Æquivalens promittebatur à Rege. Conditiones hæ quamprimum auditæ, mox rejectæ, quibus Franciæ ſuæ, non aliorum ſecuritati proſpiciebat. Admirationem ſubiit fœderatos, tàm ob Sabaudi inopinatam defectionem, quam ob conditionum inſolentiam : ſed mox fortitudine revocatâ inſtruunt ſe ad continuandum bellum. Prioribus addebat Rex quædam ; nempè Hiſpano Montes, Namur, & Charle-Roy. Bavaro autem ſucceſſionem totius Belgii, immò Monarchiæ etiam Hiſpaniarum,

ſi

si Cæsar suo quoque juri renuntiet. Quia verò nec Argentinæ, nec Luxemburgi restituendi nulla mentio facta, eò fœderati, mentem Regis interpretati sunt, quasi illa non esset ad pacem seria, sed cavillatoria, quæve inter fœderatos zizania tantum discordiæ sereret. Armis igitur potiùs insistendum, quam sibi ita illudendum rati.

34. Duo autem erant Mediatores hujus transactionis, Sueciæ & Daniæ Reges. Ille rupto utrinque à partibus Armistitio insistebat simpliciter paci Neomagensi : hic plus æquo favebat Franciæ in conditionibus oblatis. Fœderati recusabant hunc: Rex autem aliam telam orsus, particulariter agere cœpit cum Batavis, quorum minimum ex hoc bello vel fœdere intererat. Misso ad eos Legato per Harlaium suggerit : promptum se esse pro Argentinâ, alia & grata loca; pro Luxemburgo verò Tornacum Condéum & munimentum Knok reddere. Licet verò fœderatis suspecta veniebat hæc ablegatio ad Batavos speciatim, non ad commune fœdus ; exemplo præsertim Sabaudi perterriti, ne Batavi etiam clam à fœdere resilirent. Nihilominus verò cæteri fœderati stabilito resistendi consilio in eo perseverabant, se nec quidquam ad pacis transactionem tamdiù collaturos, donec certitudo habeatur restituendæ Argentinæ & Luxemburgi, in quod punctum omnes & Batavi etiam & Angli, nihil operante Regis Legato, consensêre.

35. Accessit tunc voto victoria: expugnatio nimirum inopinata munimenti Europæ fortissimi, Arcis videlicet & Civitatis Namur, quæ multum fregit pertinaciam Ludovici. Igitur rebus præsentibus ille se utcunque accommodans, mitiora deinceps proposuit pacis præliminaria. Videlicet, primò se confessurum deinceps Principem Wilhelmum legitimum Regem Angliæ (punctum erat grave propter Jacobum sibi fœderatum,) secundo Lotharingiam se suo Domino sine exceptione integrum restituturum. Tertiò, pariter Luxemburgum Hispano. Quarto, Argentinam demolitis Gallorum fortificationibus, quintò, item Philippopolim, & Mont-Royal in statu integro Cæsari & Imperio.

Sextò, Freyburgum Auſtriacis. Septimò, Hûningam & Fort. Louis ſolo æquata : remiſſis cæteris ad congreſſum pacis generalem.

36. Ad hæc promiſſa hærebant fœderati, & lenocinium aliquod in illis latere ſuſpicabantur, fortè quempiam ex gremio ad particularem pacem, ſub hoc ſpecioſo prætextu alliciendi. Igitur ſicut non diſſidebant illi ab hoc congreſſu ineundo ; ita de novo ſe omnes ſtringebant, nequaquam ſe arma depoſituros, & nulla ratione particularem pacem, ſive tractaturos, ſive amplexuros. Interim Galliæ conatus unicus erat fœderatos ad congreſſum pertrahendi, ſolitisque artibus multo alia tentandi, quam propoſuerat. Quod & factum : ubi Ludovicus ſequentia Præliminaria Haagæ in tapetem dedit.

Primò : Weſtphalica & Neomagenſis pax fundamentum eſto præſentis.

Secundò : Argentinam reddere Regi perdifficilè eſſe, ſe in æquivalenti ſpondere Briſaccum & Freyburgum.

Tertiò : Munimenta Philippopolis, Fort-Louis, Kehl, Hûninge, Mont-Royal, Trarbach demolienda.

Quarto : Palatinus ex toto reſtituendus.

Quintò : Prætenſiones Duciſſæ Aurelianenſis ad forum competens remittuntor.

Sextò : Ducatus Bipontinus, aliave ruinata loca Dominis ſuis redduntor.

Septimò : De Lotharingiâ deinceps in congreſſu tractandum, ubi mitiores conditiones Rex ſuggeret.

Octavò : Munimentum Dinant ſuo Epiſcopo reſtituendum. Damnificati ſuas rationes & jure in congreſſu exponent, ut indemnes reddantur.

Nono : Rex Wilhelmus habeatur Rex Angliæ, ſed non niſi poſt concluſam pacem : quæ ſi diſſolvatur, liberum erit Galliæ Regis titulum vel concedere, vel negare. Interim Legati ejus tractentur, ut Regum ſolent.

37. Cum

37. Cum verò hoc pacis Projectum multum differret ab eo, quod Ludovicus per Legatum ſuum Regi Sueciæ prius exhibuit; rejectum fuit à fœderatis maximè propter detentionem Argentinæ : ideò Rex Ludovicus anxius de pace obtulit illam, ſed munimentis ſolo æquandis; Quod cum rurſus Collegatis non arrideret, promiſit, ſe eâ ratione munitam redditurum, qua illam occupavit.

Hiſpanorum deindè proteſtatio audita contra pacem Neomagenſem, cui nullum fas eſt contravenire Pyrennææ. Idem conteſtabatur Lotharingus, qui ſe in integrum reſtitui voluit. Hæc exigebant, vel arma minabantur fœderati. Interim Batavorum, quorum impenſis bellum præcipuè gerebatur, alia mens fuit; exiſtimantium, differre multum Præliminaria pacis, ab ipsâ transactione pacis. Hæc ſi in præliminaribus tranſigatur, nullo opus amplius erit congreſſu. Proteſtationes Hiſpanorum & Lotharingi temperamento indigere, quod in Præliminaribus vix ſtatui poteſt; ſed in congreſſu & tractatione res digerentur omnes, & ibi ſubveniendum erit læſis & damnum paſſis, ut ipſa offert Francia in Articulo præliminari octavo.

38. Perſuaſi hâc Batavorum fucatâ ratione congrediendum tandem ſtatuerunt fœderati. Locus congreſſus erat Palatium campeſtre Regis Wilhelmi inter Hagam & Delfium ſitum, & Riswick cognominatum. Vix autem cœpêre pacis conferentiæ, cum illicò ſolitæ Gallorum artes comparuerunt, quibus connitebantur in partes trahere Anglorum & Batavorum legatos, ut illi ſe potius Arbitros pacis, quam fœderatos exhibuerint elusâ planè Germanorum & Hiſpanorum fide. Pendente hâc pacificatione rapuit Gallus Barcellonam & alia loca : cumque videret ſibi magis conjunctos Anglos & Batavos, ſeque ſecurum de pace cum illis in particulari tranſigendâ; amplius inſultavit cæteris collegatis, indies duriores conditiones movens, inſuper dictato termino finiendæ transactioni, quo elapſo, ſe auditurum neminem conteſtabatur.

39. Denique res ita in ſecreto compactata fuit, inducto

planè Bavariæ Duce & Hiſpanis, ut deſertus à ſociis Cæſar cum Imperio, ſolus proſtitueretur diſcretioni Gallorum. Nam Angliæ Miniſter Comes Portlandus primum Inducias modicas, deindè perfectam planè pacem pro Anglo, Hiſpano, Batavis in ſecundo ſtatim congreſſu cum Galliæ Legatis, præſertim verò cum Mareſcallo de Boufleurs, Gallici exercitus Duce, confecit, eâ ratione, ut ſingulæ Potentiæ ſeparatim ſuos quæque pacis articulos ſubſcriberent.

40. Et primum quidem Anglia ita ſtabilivit cum Francia.

Primò : Ne Rex Ludovicus ex quocunque prætextu amplius infeſtet Regem Wilhelmum in poſſeſſione ſuorum Regnorum : nevè directè, vel indirectè hoſtibus Angliæ (qualis erat tunc Jacobus Rex, exul apud Gallos,) opituletur.

Secundò : Fiat plena utrinque reſtitutio eorum omnium, quæ Inſulis & Coloniis invicem occupata fuêre: vertente autem qualicunque controverſiâ, Commiſſarii ponantur, qui decidant ex æquâ lance controverſiam.

Tertiò : Principatus Auriſonienſis redeat ad Dominum ſuum, Regem nimirum Wilhelmum, eo pacto, quo Anno 1678. Neomagi effatum fuit, cum refuſione ex dicto Principatu perceptorum, ante declarationem hujus ultimi belli.

41. Deindè cum Coronâ Hiſpaniæ transactum in ſequentem modum.

Primò : Cuncta hoc bello parta reſtituunto Galli Hiſpanis : præſertim in Catalonia Gironne, Roſes, Beluer, & Barcellonam. In Belgio Luxenburgum cum ejusdem nominis Ducatu : pariter Comitatum Chimay, Charleroy, Montes, Ath cum ſuo territorio, exceptis aliquot oppidis & Courtray.

Secundò : In ſuſpenſo manento octoginta & duæ Urbes & oppida, donec per aliquem congreſſum clarum fiat, an illa ad Gallo- vel Hiſpano-Belgium pertineant?

Tertiò : Dinant ad Epiſcopatum Leodienſem poſthac pertinento.

Quar-

Quartò : Insula Pontia in Mari Mediterraneo sita, Duci Parmensi ab Hispanis redduntor.

42. Hollandia verò, cum ex hoc bello parùm, præter securitatem, perciperet ; plurimum verò penderet, paucis cum coronâ Franciæ transegit : confirmatâ tantummodo posthac ultrò citròque amicitiâ & propter fisco Regio addictum, Comtatum Bergensem Comiti d' Auvergne restituendum stipulatione factâ.

43. Unus jam supererat paci sanciendæ Cæsar cum Imperio ; magis eò coactus, quam ductus ; plus invitus, quam liber. Aut enim oportebat totam belli molem in se suscipere nullâ auxiliorum spe, aut cum Gallo transigere non sine evidenti discrimine ; aut denique periclitari de toto, aut partem ejus ammittere. Obversabatur animo pondus & gravitas totius belli, & ex alterâ parte ignominia pacis ; eoque recidisse spes, conatus & amplitudinem, qualis erat, tanti fœderis : eo tot exercitus, tàm immensam pecuniam ; eò sua & fœderatorum primitus incensa studia collapsa, ut nunc exponeretur publico gentium ludibrio, vel repetendæ, quam jam tot annis ab immanissimo hoste pateretur Germania, ineluctabili calamitati. In tantis ideò angustiis Cæsari satius visum, leges ferre necessitatis, & in melius tempus remittere vindictam tantæ insolentiæ, quam totum Imperium, resque suas aleæ committere funesti exitus. Igitur inter Cæsarem etiam Imperiumque conventum cum coronâ Franciæ.

Primò : Retineatur à Franciæ Rege Argentina vetus S. Imperii, & libera Urbs cum tota Alsatiâ, demolitis tamen extra hanc munimentis omnibus, inter quæ Mont-Royal.

Secundò : In compensationem hujus habeat Cæsar Brisacum & Freyburgum : Imperium verò Philippsburgum & Kôlium cum suis fortificationibus & munimentis.

Tertiò : Renovetur & restabiliatur utrinque Pax Westphalica & Neomagensis in quibuscunque, ubi non obstat præsens pacificatio.

Quar-

Quartò: Reddantur Lotharingo omnes ſuæ ditiones, exceptis Saar-Louis & Longui, quæ Franciæ manebunt, ſolo autem æquatis Homburgo & Pitsh, munimentis etiam propugnaculisque, tàm veteris quam novæ Urbis Nancii; ac permiſſo ſemper Regi Franciæ libero per Ducatum armorum tranſitu.

Quintò: Palatinus Elector reponatur in amiſſa omnia: controverſia autem cum Aurelianenſi Duciſſâ, Cæſaris & Regis ſimul, vel ſecùs, ſolius Pontificis ſententiæ ſubjiciatur; intereà in ſingulos annos Duciſſæ à Palatino centum millia florenorum pendantur.

45. Sic per membra fœderis ſigillatim transactâ hâc pacificatione, non tàm pacem, quam diviſionem fœderatorum intendens Gallia, extra diſcrimen manifeſtum, quanto prius à primis incunabilis usque hæc tempora nunquam laboravit, tutò ſe poſuit: Ubi videlicet eam primæ in Europâ Potentiæ Germania, Hiſpania, Anglia, Batavia, Sabaudia, conjunctis viribus, unoque tractu temporis, nullo penitus omiſſo Martis aſtu, & conatu impetière; & eo quidem ſucceſſu, ut illa, niſi diviſo hoc fœdere jam titubaſſe, nec in longum amplius ſubſiſtere poſſe palàm videretur. Et hinc iſtâ pacis transactione omnia obtinuit, quæ optare valebat Francia, *ſalvata* nimirum *ditionum ſuarum integritate, ac nunc & olim partorum ſecuritate.* Plus hâc pace, quam tot prius belli & victoriis confecit. Magnum, victoriâ uti noſſe; ſed majus pace, dixerim. Vix ulla victoria tantum fructum tam brevi collegit, quam Pax Riswicenſis. Quantum fortunæ victoriarumque curſum jam in Belgio habuerat Rex Wilhelmus; & hunc totum ſtitit unicum à Franciâ oblatæ pacis vocabulum. Licet quidem decennali hoc bello multum attriverit vires ſuas Rex Galliæ, multoque ſuorum ſanguine mercatus ſit hanc ultimam pacem: interea tamen *ſe monſtravit vix imparem toti Europæ.* Vetus calliditas Franciæ eſt *magis pace vincere, quam bello,* non tam cum ſuâ gloria, quam cum noſtro immortali rubore (ne dicam,) pudore. Experta id olim fuit Anglia, ut teſtatur Cominæus, quæ in campo ſemper

per vincebat Gallos, ſed his plerumque ſuccumbebat in conclavi pacis. Id ipſum hoc ævo, ſed noſtrâ magis culpâ accidit: nimirum, quod ita debiles in fide, inconſtantes in periculis, ad oblata quævis commoda fœdifragi, optimarum occaſionum temporumque indigni æſtimatores comperiamur. Jam ridet ad noſtram incuriam Francia, & exultat extra diſcrimen ultimum poſita: jam nova rurſus molitur Ludovicus, cui metam figere volebant, cum poſſent, tam potentes fœderati. Jam veſtrâ diviſione in immenſum ſe unit, creſcitque Galliæ potentia. Privata veſtra compendia, diſpendia ſunt ſalutis in Europâ publicæ. O dent Superi, ut priſtinum rurſus redeat aliquando in conſtantiorem unionem fœdus! redibit: Ominor. Vaticinium effectus probat. Grates ſint Superis! reſtabilitum eſt fœdus. Jam rurſus & feliciori omine

Scutum hæret ſcuto, galeæ galea, atque viro vir. Sic mihi ſtate uniti, ô mei vos Principes! Pacis Syrenes non audite, aliàs vix abortâ causâ tam glorioſum fœdus ſoluturas. Inſolentem omnibus hoſtem calcare oportet, eòque calamitatis adigere, ut tueri parta non poſſit, ut aliena reddat, ut cum ſuorum ſtatuum clade ambitionis ſuæ ſortem perpetuò lugeat. Sic viciſſe, pacem dabit duraturam in ſæculum.

CAP. VII.

De Pacificationibus Galliæ & Angliæ.

I.

QUos prætermiſimus ſuperiùs; Lubet etiam breviter attingere Pacificationes Franciæ cum Anglia, aliisque Principibus Europæ. Ac primo quidem memoratu dignum eſt, quod poſt Pictavienſem pugnam, ubi Joannes Rex Franciæ cum Philippo filio (ut ſub initium recenſitum eſt) ab Eduardo Angliæ Rege captus, cæſoque Exercitu Galliæ, in Angliam abduceretur, cala-

mitoſus planè fuerit Franciæ Status, tam Navarro Rege Regnum affectante, quam Anglo ſusque deque diripiente omnia, Comitabatur hanc Calamitatem ipſius Gallici populi, & præcipuè Pariſienſium Volubilitas, novarum rerum deſiderium, cæcum quaſi ad Navarri ſive preces, ſive Juſſa obſequium: Ruſtici in Nobilitatem ſublevati: Delphinus vix non Navarri inſidiis toxico extinctus: ac centum aliæ ærumnæ, quibus divexebatur Regni Solium perdurante in captivitate Rege. Eduardus ſe Regem jam Franciæ dixerat, & exigebat à captivo Joanne ceſſionem ſummi in Gallias Imperii, permiſſâ tantundem Joanni Clientelarum adminiſtratione Regni. Verum Joannes ſupra ſortis iniquitatem elatiori animo reſpondit flagitanti: Non eſſe tanti libertatem Regis, ut Regni Servitus ejus pretium foret; paratumque ſe mori in vinculis, ut in libertate Francia ageret.

2. Interea tamen vel ex deſiderio libertatis, vel ex neceſſitate rerum deſperatarum eò convenit cum Angliæ Rege, ut Franciam nec totam in Clientelam Anglo cederet, nec in totam, armis forte ſuperandam, dominium prætendere poſſet. Igitur pleno dominio Anglo dati Normani, Cænomoni, Andegavenſes, Pictones, Santones, Aquitani & Vaſcones. Hujus pacis leges à Delphino, qui interea Regens erat Regni, in Comitiis perlectæ, ſed reprobatæ ab omnibus, ac præ pacis commodo ultrò belli ærumnæ acceptatæ.

3. Quæ res Anglos à Galliâ non pepulit, ſed ſuccenſo irâ Rege centum induxit millia militum non ad unam Galliam, ſed univerſam prope, Europam domandam ſufficiens. Inde profectò evidens toti Galliæ imminebat excidium niſi, Superi rebus Franciæ propitii avertiſſent plagam, immiſſo in Anglorum exercitum tantâ reboantis, fulgurantisque cœli tempeſtate, ut propè dies videretur Mundi extremus. Motus in ſolito, ac ſubitaneo prodigio Eduardus, Carnutenſem Deiparam invocavit, ut tempeſtatem ſedaret, ſedaturus ille Galliæ calamitates, pace ex voto victis promiſſâ, ſi preces audiret. Cum deinde illicò immanis tempeſtas in Sereniſſimum refulſiſſet diem, refulſit quoque deſperatæ

tæ Franciæ pax inſperata Anno 1360. dicto ad eam ſanciendam loco haud procul ab opitulatrice Carnutenſi Virgine diſcito, ac vulgò Bretiniacum dicto.

4. Conditiones hujus erant non fermè multum à prioribus diverſæ: Nempe Regi Angliæ perpetuum & ſummum Imperium cedant Galli in Aquitanos, Santones, Pictones, Enculismenſes, Petrocorios, Cadunos, & Lemovices.

Secundò: Eodem jure omnimodæ Poteſtatis Caletum, Pontinium & Guinam cum adjunctis ditionibus Anglus poſſidet.

Tertiò: Ad Regis redemptionem tres Milliones aureorum Delphinus pendat, in præſentiâ ſexcenta millia, reſiduum ſtatis temporibus.

Quartò: Obſides dentur Primum poſt Delphinum Galliæ Principes Dux Aurelianenſis, Bituricenſis & Borbonius; Comites Andegavenſis & Alenſonius.

5. Duriores quamvis fuerant hæ leges, quam in transactione Madritanâ poſteà promiſerat Rex Franciſcus Carolo V. Cæſari; candidius tamen obſervatæ à Joanne, quàm à Franciſco aliisque poſteris Regibus. Et licet populi illi, per hanc pacificationem ſubjiciendi Anglo, proteſtabantur deſuper, ſe à Carolo Magno privilegiis proviſos, ne unquam à Regno Francico ſejungi poſſint: Verum Rege contra obnitente prævaluit utilitati privatæ fides publica. Erat enim Joanni præter alias dotes Regias, ſingularis fidei Religio, pactorumque conſtantia; ac dicere ſolebat; quando fides & Promiſſi ſecuritas ab orbe exularent, ab ore & mente Principum nunquam ablegandas. Tranſeat hoc in antiquâ Galliâ, nova & moderna non capit verbum hoc.

6. Et hæc erat Gallis Bretiniaca cum Anglis Pacificatio, quæ in nonum vix Annum perduravit. Nam Joanne demortuo Primogenitus ipſius, Carolus V. dictus cognomento Sapiens, in Regno ſucceſſit, & quidem ille ipſe, qui dictæ Bretiniacæ pacis tabulas, ut Delphinus, & Inter-Regni Regens, captivo adhuc Patre cum Eduardo Angliæ Rege confecerat. Is à Vaſconibus cæterisque in nuperâ pace Angliæ Regi, & ab hoc, filio ſuo Prin-

cipi Walliæ ſubjectis populis appellatus, ut reuniret Coronæ gentem antiquam Galliæ, quam Joannes alienare in Exteros nullo jure potuit, neque debuit: Se eſſe populos Franciæ antiquæ, à quâ abſcindi ſine aſſenſu ſuo nequiviſſe: ſe non ulterius perpeſſuros Anglorum Tyrannidem, qui ſe gentem, olim ſub Galliæ Regibus, nullis aſſuetam vectigalibus, pendendo à quâvis familiâ dimidio nummo facultatum, ſuper omnes vires divexant: ſe planè Regis Arragonii Protectionem precaturos, ſi in Galliâ Repulſam ferrent. &c.

7. Ejusmodi erant queſtus & lamenta eorum populorum, quos nupera pax avulſit à Franciâ, Angliæque addixit. Carolus adhæc Proceres Regni convocat, reque à Proceribus ad Comitia delatâ, concluſum fuit, ut Rex tutò appellationem, ſive provocationem populorum Galliæ, antiquo more & jure ſuſcipiat, ac Parlamento Regio cauſæ cognitionem committat. Obſiſtebat quidem hoc tentamen Pacificationi Bretiniacæ, ſed vicit fidem Ratio Status & Utilitas Regni. Miſſi proinde à Parlamento ad Eduardum Umaliæ Ducem Pelotus & Caponellus, qui citarent illum, diemque dicerent, ut ſe Regi Galliæ, Domino ſuo, & Judici, ad quem jure Galliæ populi provocant, ſiſteret. Excanduit ad hæc Britto, ſeque Pariſios venturum armatum enſe & galeâ, & comitatum exercitu, qualis Galliæ expugnandæ ſufficiet.

8. Sic pax illa Bretiniaca intra novennium deſiit ab Anno videlicet 1360. cœpitque inter Anglos & Gallos ferox bellum Anno 1369. ſub Carolo V. Galliæ Rege cognominato Sapiente, idque variâ fortunâ ſub duobus Carolis V. & VI. geſtum, aliquando induciis brevibus interruptum, duravit pace memoratâ longiùs, nimirum ſeptem & Viginti Annis; donec Anno 1396. rurſus pax evaluit ingenti Franciæ gaudio, cui tandem licebat ab Angliæ bello reſpirare.

9. Pacis maxima conditio fuit, Richardi ex Angliâ, cum Iſabella Regis Galliæ Caroli VI. filia connubium (tametſi illibatum, nam ſponſa octennis erat Virgo) Caleti in Procerum utriusque

Regni

Regni frequentiâ celebratum. Felices hymenæi vices primitùs, in luctum amariſſimum deſiêre ultimatim, dejecto ex Angliæ ſolio Rege Richardo, Lancaſtrii enim filius Henricus IV. Regis patruus, ab exilio redux Richardum vicit, cepit, & morti addixit.

10. Demortuo Henrico IV. Angliæ coronam obtinuit Henricus V. filius quarti. Is conſtantem cum Gallis ſtabilire intendens pacem, binâ legatione Catharinam Regis filiam in ſponſam, & cum illâ easdem ditiones Galliæ cum ſummo Imperio, quas olim per pacem Bretiniacam poſſidebat Eduardus Rex ejusque filius Princeps Walliæ, in dotem expetiit. Aſt repulſam tulit, non ſolum quod Henrici IV. Regicidæ filius, ideoque tantis Nuptiis indignus eſſet, verum etiam, quod Franciæ avita Dominia, Coronæ inſeparabiliter innexa, Exteris in dotem dari nequeant.

11. Quam ob rem Henricus, non tam ſponſam, quam deperditas ſub Eduardo Provincias repeticturus, ingenti, ac inſtructiſſimâ claſſe mare Francicum intravit capto ex primo impetu Arifloro. Ay poſt autem terreſtre bellum aggreſſus tam feliciter & ex voto illud geſſit, ut in primo prælio ad Azincurtium totam fermè Galliæ Nobilitatem deleverit, ac fugato hoſtili Exercitu tantos captivos fecerit, qui, ne vel reſtauratâ pugnâ vel alio modo negotium ſuis faceſſerent, necari debuerint. Memorabilis hæc Francorum clades accidit Anno 1415. quam excepit diſcordia inteſtina, excluſo Pariſiis Burgundo, Reginâ ex aulâ pulsâ, Armaniacis, qui plus æquo incumbebant publico, dirè cæſis Lutetiæ, ut exinde Anglus occaſionem nanciſceretur commodam per turbas domeſticas rem ſuam agendi, immiſſo in viſcera Regni ovante Exercitu, occupatâ Normanniâ, Chereburgo, proditione Eugenii, capto; Cadomo expugnato, Rothomago evicto: Regni tandem Francici clavo militari virtute adepto, ſe Regem Galliæ Pariſiis nominari curavit.

12. Poſt Regis Henrici obitum, qui ex febri lentâ fatalis fuit, inſtitêre nihilominus Angli cœptis, ac jam per tot annos continuatis victoriis; Cæſis non ſemel ſed iterum ad Crevantum, ad

Vernolium Francis; totâ ſubactâ Campaniâ, immo Regno ipſo, ut jam Rex Carolus, non amplius Galliæ ſed Biturigam Rex per contemptum appellaretur.

13. Decurrebat hoc inter Angliæ & Galliæ Reges bellum, vel Anglorum potius in Gallicâ terrâ triumphus ab Anno 1414. usque ad Annum 1435. Cum Legati à Concilio Baſileenſi ad ſuadendam Gallo & Anglo pacem ſubmiſſi, egregiam utrimque navabant operam, ut deſolatæ Galliæ non ſolum daretur reſpirium, ſed etiam tantæ profuſioni Chriſtiani ſanguinis poneretur modus; aliò in Infideles videlicet & Saracenos deportandis victricibus armis: Obtinuêre congreſſum Atrebati, & pax in ſequentes leges conſtituebatur. Nimirum Franci offerebant, Anglo Normaniam dimittere, reſervato Gallis Regibus ſupremo dominio, è contra prætendebant ab Anglis vel exautorationem, vel reductionem militis. Item reſtitutionem Regionum & Urbium oppidorumque & Arcium in eo ſtatu, ut tunc tempore hujus transactionis eſſent, & alia non tam moleſta Anglis, quam his undique victoribus, indecora. Hinc Angli, nomine Pupilli Regis ad projecta pacis ex parte Galliæ ridebant, tanquam ſecuri de fortunâ, quæ Gallos deſeruerat. Obtendebant igitur faſtuosè, ſe victores eſſe in Regno, deberique victricibus occupata, ideò ſe Franciam jure repoſcere, non illius partem, ſed univerſam. Victores victis leges præſcribere eſſe de jure gentium, nihilominus tamen, ne videantur obeſſe publicæ tranquillitati, ſe paſſuros ex æquo Regni diviſionem, datâ Autoritate illius faciendæ Pontificio, Cæſareo, ac cæterorum Principum præſentibus Legatis, eâ tamen conditione, ut Gallus ſe Clientem Angliæ profiteretur.

14. Faſtus iſte Angelorum à plerisque cum cachinno exceptus fuit. Unde pax neutiquam concluſa, in novum exarſit bellum, cujus exitus malè ceſſit Anglis, ob reconciliatos nimirum Regi Galliæ Regni Proceres, reunitos Principes Regios, & avulſum ab Angliæ partibus Burgundum, placatumque hunc à Rege per pacificationem ſpecialem, de quâ jam alibi diximus. Adeò facilè domeſticæ turbæ, invehunt externa mala. Nec fruſtra effato

divino

divino pronuntiatum. Diviſum in ſe Regnum deſolabitur. Sic deſolatam vidimus, Galliam, quia diviſam, ſic rurſus reſtauratam, coalitis in unum Rege, Principibus, Proceribus & vaſallis omnibus. Ex tunc enim depulſis omni Galliâ Anglis rurſus refloruêre lilia recuperatis omnibus, quæ externus hoſtis tueri non valebat.

15. Porrò Anno 1475. rurſus Eduardus Angliæ Rex, ut vetera jura Angliæ in Franciam inſtauraret, magno exercitu Caletum appulit, miſſo ad Ludovicum XI. qui Carolo Patri ſucceſſerat, fæciali, ut Regnum Franciæ avitum ſuum patrimonium repeteret, vel bellum, omnemque hoſtilitatem, neganti indiceret; neque compellaret Regem, ſed Ludovicum Franciæ. Fæcialem amicè excepit Ludovicus, multisque inſtruxit, quæ Anglo referret, iramque ejus mitigaret, oblato etiam colloquio ad differentias inter utramque coronam amicè ſedandas. Quod etiam impetravit, & uterque Rex ad Ambianum utroque ſpectante exercitu comparuêre de pace acturi. Artes non deerant Ludovico circumveniendi Eduardum, ejusque faſtum & arrogantiam longanimitate & diſſimulatione, quarum apprimè peritus erat, ferendi. Et licet Anglus ſub initium totam Franciam repeteret, tandem in fine, unicâ Normaniâ contentus. Quam denuo Ludovico pro magnâ pecuniâ ceſſit, Leve tamen hoc pretium exiſtimandum, quo exiſtimabatur Gallia graviſſimis periculis, direptionibus & cladibus à bellicoſiſſima Anglorum gente jamjam imminentibus. Pax verò hæc ſolummodo in novem annos induciarum titulo contracta, remigrantibus in Patriam Anglis, qui, niſi Ludovicus Rex eos velut amicos hoſpites multis honoribus proſecutus fuiſſet, multove auro, argento, gemmis ac phaleratis equis ad prodigalitatem usque donaſſet, rejectâ pace adverſus Regis ſui voluntatem, hoſtilia quæque minabantur. Adeò prodigalitas interdum Reipublicæ utilis eſt, & ſceleris nomen amittit, ſi per illam pax redimatur, quam apprimè novit Ludovicus rarum regnantium artem.

16. Præ-

16. Præfatæ induciæ paulò plus, quam Novennium duravêre. Anglia enim à domeſticis diſſidiis Carolo VII. ex ærumnis magnis in thronum evecto, quieta domi, foris bellum quæſivit, memor prædæ, quantam Majores ſui ex Francia rapuiſſent, nullamque etiam expeditionem honeſtiorem rata, quam in Galliam, videlicet propter vicinam Britanniam, quam dolebant demortuo Duce illius, per Annæ Britannæ in Carolum octavum matrimonium, Coronæ Franciæ indiſſolubiliter innexam eſſe. Anna ſiquidem unica Britanniæ hæres eam propter Regias nuptias, ſi decederet improlis, Regi donaverat, ſicque Principatus à Francia diviſus acceſſit illius Potentiæ. Et hæc erat cauſa, prætextus verò alii, rurſum in Franciam maximè exſpiratis novennalibus induciis movendi belli.

17. Verum Carolo VII. Angliæ Regi alienus ab hoc animus erat propter beneficia in calamitate ſuâ multoties, antequam Regium ſolium occupaſſet, à Coronâ Galliæ liberaliter accepta. Ideò, licet & Bononiam obſediſſet, pacem tamen, quam Franciæ Rex per Legatos offerebat, non ſolum non rejecit, ſed perpetuam planè, ſolutâ in belli ſumptus magnâ à Franco pecuniâ Anno 1491. confecit. Sic magno fœnore rependuntur beneficia in homines gratos collata.

18. Henricus VIII. Angliæ Rex reaſſumpſit bellum in Ludovicum XII. tunc ſacris interdictum ob Pſeudo-Concilium Piſanum ab illo adverſus Pontificem protectum. Geſſit ex voto pleraque cum Franciæ clade non exiguâ; Vetus illius dominium prætendens; Milite vero in prædas & direptiones jam olim Anglis aſſuetas, anhelante. Prætereo velitationes minores, & etiam majora prælia & expugnationes, (quia noſtri calami opus non ſunt) tam in Oceano, quam ad Novariam, Tervonam, Tornacum Monſtrelium &c. hoc certum eſt, Franciam jam toties cedere debuiſſe Anglorum aviditati, immo ſub ipſum ultimi exterminii ictum poſitam fuiſſe, niſi ſæpe Cœlites ſe interpoſuiſſent. Et cum jam tunc Anglicis gravata Armis perire inciperet, ſurrexit rediviva; Pace rurſus inter utrumque Regem Anno 1514. ſancitâ.

Ludo-

Ludovicus enim ex morte Annæ Reginæ viduus, Henrici ſororem Mariam Regio thoro adjungens, non ſolum affinitatem contraxit Angliæ, ſed etiam amicitiam ſtabilivit, pactâ inter Reges, ſibi mutuò ferendâ, in omnes hoſtes, ope.

19. Hæc attamen ſubitanea, uti erupit omnibus improviſa, ita ſubito evanuit Pax. Nam Anno 1522. Idem Carolus VIII. Angliæ Rex valido exercitu Suffolcium Ducem contra Franciſcum primum in Piccardiam miſerat, ubi ille quidem præter obſidionem Hosdini nihil memorabile egit, transvecto rurſus in hyberna milite. Huic altero vere Nordfolcius ſucceſſit, qui planè in agrum Pariſienſem excurrit, metu undique ex improviſâ invaſione incuſſo.

20. Bellum iſtud perſtitit fermè ad Annum 1525. Deindè inter Carolum V. cujus confœderatus erat Anglus, pendebatque in bellum illud ſingulis menſibus centum nummorum millia, & Franciſcum I. Pax confecta, de quâ ſupra dictum. Interea Franciſcus miſſo in Angliam Langæo Regis amicitiam & fœdus quærebat: tantumque obtinuerat, ut uterque Rex ad limites utriusque Regni Anglus Caletum, Gallus Bononiam venirent: ubi tamen præter Aulicam humanitatem vix aliud, quam ut ad mutuam defenſionem ſibi invicem prompti adeſſent, concluſum fuit.

21. Verum, uti quemque ſua trahit Statûs Ratio & utilitas; ita Henricum ex amiciſſimo Franciſci reddidit infenſiſſimum, eò quod ille mortuo Rege Scotiæ Jacobo Lenocenſem Comitem in Scotiam miſiſſet, qui Viduam in Anglorum molitiones protegeret, datis etiam ad vim repellendam ſubſidiis. Ideò mutato conſilio & abdicatâ Galli amicitiâ, Cæſaris in Galliæ partes in perniciem Franciſci tueri cœpit: atque Anno 1544. præteritâ Normaniâ in Piccardiam arma valida invexit. Expugnatâ deindè Bononiâ, ejecit indè Cives Gallos, quibus ſuffecit Anglorum Coloniam, cæſo ibidem à Somerſetto Duce, Delphini exercitu, & in fugam acto.

22. Et quantumvis Gallus jam cum Cæſare ſtrinxiſſet pa-

cem Crepinenſem, de quâ jam memini ; Nihilominus pertinacius inſiſtebat Anglus bello, qui duobus poſt pacem illam annis hærebat in Galliâ, usque dum Anno 1546. Dudlæo Angliæ ſtrenuè cooperante ſanciretur inter utrumque Regem Pax jurata. Cujus puncta fuêre. Primò : Solutio & diſceſſus Anglicæ militiæ. Secundò : Reſtitutio occupatorum. Tertiò : Penſio nonaginta quinque millium aureorum, quæ in Annos ſingulos Henrico, quoad viveret, ex Galliâ pendi deberent. Sic Francia ab Anglis ſemper pacem emebat auro. Sic Anglia per tot victorias, nihil unquam à Francis retinuit, niſi Caletum.

23. Conſequentes Reges Franciſcus II. Carolus IX. Henricus III. inteſtino Franciæ, vel Principum & Procerum contra Reges, vel Regum contra illos Catholicorum contra Hugonotos, vel horum in Catholicos, bello diſtracti ; nihil cum Anglo habebant, neque Pacis, neque belli aperti ; niſi quod Angli præſertim Hugonotis in Reges ære & milite ſubminiſtrarent, ſeque Pacificationibus, quaſi ſectæ Patroni & ſectatores ab Hugonotorum latere immiſcerent. Ab Angliâ quippè Hugonotiſmi Gallici fomenta omnia, & ſub prætextu illius Patrocinium ſeditionis, nondum obliteratâ memoriâ antiquæ ſuorum Patriæ, quam ſibi in Galliâ ſub prioribus Francis Regibus felici Marte procuraverant Angli, cujus amiſſæ adhuc titillabat deſiderium, & ex Gallorum mutuo diſſidio ſpe obtinendæ.

24. Sub Henrico autem IV. planè Galli cum Anglis convenêre in fœdus ; maximè cum Rex inviſus Catholicis, & alienus à fide Romanâ Apoſtolicâ, exiſteret ; Deinceps verò paulò intermiſſum, & Regi, relictâ ſectâ, ad fidem Catholicam converſo, graviter ab Anglis improperatum & planè negatum : Tandem rurſus cum Eliſabethâ Reginâ Angliæ, licet illa ſub initium multa objiceret, & hæreret anceps ; ſed ſuâ fortè opinione & ſpe, quod Regi non ſincerus eſſet animus in Catholicos, & potius ad coronam Franciæ prætextus, deluſa, reſtauratum : eâ tamen lege, ut fœderatorum neuter pacem absque conſenſu alterius cum Hiſpano faceret. Quod ipſum etiam Batavi inîêre.

25. Hu-

25. Hujus fœderis gemina erat cauſa : una tangebat Hiſpanum, alia Cæſarem : hæc nulla, illa exigua. Prima fuit ſeceſſus vel fuga potius Condei Principis cum uxore fœmina formoſiſſima ad Gubernatorem Hiſpanum in Belgium. Zelo enim ille ductus, quod Henricus Rex amore deperiret uxorem ſuam, nuper ductam, Conneſtabilis Momoranci filiam, quam ideò Pariſiis olim ereptam celerrimis equis Bruxellas ad Hiſpanos deportavit, ibique aſylum obtinuit. Utrumque repetiit Rex à Gubernatore Archi-Duce, ſed irritis precibus, & promulgato inſuper famoſo ſcripto, quo Regis morum lubricitas ignominiosè carpebatur.

26. Altera cauſa planè injuſta, & Pacificationibus præteritis planè contraveniens. Poſt obitum ſiquidem ſine maſculis liberis Wilhelmi V. Ducis Clivenſis, Juliacenſis & Bergenſis, vacabant hi tres Principatus & feuda Imperii, prætenſa ab aliquot proximè junctis, Brandenburgico, Neuburgico, Bipontino & aliis : Undè Imperio & Cæſari juſtus erat armorum metus, ne Pax publica turbaretur. Ideò æquiſſimum Cæſari Rudolpho viſum, veluti legitimo Judici & arbitro rerum Imperii ac pacis publicæ conſervatori, usque dum litigium jure decideretur, hoſtilitates prætendentium Principum prævertere, immiſſo in eas Regiones militari ſequeſtro. Hæc opportunitas Henrico, veluti jactato ab Heterodoxis libertatis Germaniæ Vindici cauſam dedit minimè juſtam, ſed prioribus pactis planè adverſam, bello movendo in Cæſarem, ſuſpicione vanâ multos corripiente; quaſi Cæſar militari illo Sequeſtro inveſtiviſſet Leopoldum Archi-Ducem in præfatos Ducatus, quod non erat. Verum morte violentâ infauſtâque præventus Rex, nec Anglico fœdere opus habuit, neque deſtinati belli finem, neque procraſtinatæ diù litis exitum, amplius vidit.

27. At Ludovicus XIII. Henrici IV. filius & Galliæ hæres, Anglos nullo ſibi fœdere ſociavit, utpote, qui undequoque in ſuo Regno Hugonotos & Sectarios veluti ſeditioſos, non minus acerrimè perſequebatur, quam olim Henricus Pater clementius

tolerabat. Neque deſtiterant Angli in Sectariorum opem geminâ claſſe transacto oceano, litus Gallicum infeſtare : Immiſſo primùm in Inſulam Rheam exercitu, unde à Mareſcallo Schombergo & Toiraſio Inſulæ Gubernatore fortiter depulſi. Secundo ad Rupellam, ubi præter perpeſſum prioris ignominiæ pudorem, non tam certatum, quam ſpectatum venerant, contumaciſſimæ Urbis, & unà Sectæ ultimum excidium, expugnatâ illâ plusquam Martiâ virtute & induſtriâ Cardinalis Richelii. Ut Europa tota obſtupuerit Urbem, quam tot Reges, & exercitus fatigavit impune, & pro quâ tot annis contumaciſſimè ſtetit Heterodoxa Germania & Anglia, intervallo paucorum menſium conſumptis fame, igne & ferro, tredecim millibus Civium Rupellenſium, Regiis ab adverſo militibus vix centum deſideratis, in conſpectu potentiſſimæ claſſi Anglicæ, tandem concidiſſe, & in momento quaſi in Urbe totâ reſtitutam fuiſſe fidem Catholicam, Sacerdotes, Jeſuitas, Proceſſiones, ſacras Imagines, Sacrificia Euchariſtica & ejusmodi veneranda veræ Religionis Myſteria, quæ prius Rupellenſes veluti Tartari ſpectra abhorruêre. Ita nimirum omnia proſpera cedunt zelo veræ Religionis. Neque etiam ulla deſuper pacis conditio transacta, quia clementiæ, & diſpoſitioni Regis ſe dediderant, qui priùs inſultabant. Opus fuiſſet, ut pacis loco in pervicaciſſimos cives, ac nefariæ ſectæ Duces & Præcones Rex, quæ unquam olim Tyranni, ſtatuiſſet tormenta; parcitum tamen omnibus, & ſævitum in Sectæ externa munimenta Urbis, qualia ſibi fecerat hæreſis in fortiſſimum perpetuæ adverſus Regem ſeditionis propugnaculum.

)o(

CAP.

CAP. VIII.

De Pacificationibus inter Sacerdotium & Imperium.

I.

A Sacra pacificatione Henrici V. cum Paſchali Pontifice de Anno 1111. incipimus. Diſſidii cauſa erat : quod jam per trecentos & amplius annos, Imperatores Occidentales, ſive ex indultu ſedis Apoſtolicæ, ſive ex privilegio & Majeſtate Imperii, ſive ex immemoriali conſuetudine concedebant Epiſcopatus & Abbatias per annulum & virgam. Id Carolus Magnus exercuit, id Ludovicus : & horum ſucceſſores transmiſerunt in poſteros usque ad præſentis Henrici V. tempora. Sed hoc ſenſim diſplicere cœperat Pontifici & Cardinalibus tantam dignitatem indigne ferentibus, quod Eccleſiaſticæ inveſtituræ ſeculari manu concederentur. Undè, qui per Imperatorem deinceps Epiſcopatum vel Eccleſiaſticam inveſtituram accipiebat, Canonica cenſura mulctabatur, & pro Simoniaco habebatur. Propter hanc cauſam Henricus V. ſub ſpecie quaſi Coronam Imperii à Pontifice petiturus, reipsâ, ut provideret antiquis juribus Majeſtatis Imperialis, gemino armatus exercitu, & validâ comitivâ Principum, præſertim Eccleſiaſticorum, eorum maximè, qui Regalia alti Dominii, ſicut & ampliſſima territoria ex inveſtiturâ Imperatoris poſſidebant, inſtructus : rebus prius per Longobardiam atque Tuſciam proſpere diſpoſitis, Romam tetendit ; ſed quia à Pontifice & Romanis indigenis non facilè admittendus videbatur, ad arma fermè decretoria utrinque ventum fuiſſet ; niſi pacem amantium virorum autoritate, diſſidium in has leges compoſitum fuiſſet.

Primò : Cautum, ne faciat aut dicat quidpiam Rex Henricus contra Pontificem, ut vel indè Pontificatum amittat ; aut quidpiam patiatur in vitâ, in membris, vel capiatur mala captio-

ne, aut per ſe, aut per ſuſpectam perſonam, nec ipſe, nec fideles ejus.

Secundò : Ut Imperator die Coronationis ſuæ omne male uſurpatum Eccleſiaſticum jus in manibus Pontificis, adſtante Clero & populo per Scriptum deponat : Cum hoc ipſum Papa de negotiis Regalibus fecerit, idque Sacramento firmet:

Tertiò : Dimittat Eccleſiaſticas terras cum oblationibus & poſſeſſionibus ſuis, quas ad Regni non pertinere jus, conſtare poteſt.

Quartò : Patrimonia poſſeſſionesque D. Petri reſtituat, ſicut à Carolo, Ludovico & Henrico aliisque felicis recordationis Imperatoribus, conceſſa ſunt libera, ſervaretque ea D. Petro pro viribus.

Quintò : Pro ſecuritate Pontificis deſignet Rex obſides, quas proxima V. feria ad Inſulam Tyberinam mittat in Poteſtatem Papæ.

Sextò : Obſides reciprocè datos reddat die coronationis ſuæ ponte transmiſſo. Et ſi fortè Coronatus non fuiſſet, aut non tranſiiſſet, ſimiliter reddat apud Caſtellum S. Angli.

Septimò : Legatos & Nuntios, quos ad eum Papa forſan diriget, dum ibunt & redibunt, ſecuros, ſalvosque ſuſcipiat & remittat, & paſſos quidpiam per injuriam, indemnes habeat.

Octavò : Quæ omnia, poſtquam impleverit Rex, Papa jubeat Epiſcopis adſtantibus in die Coronationis, ut Regalia Imperatoris dimittant, quæ à temporibus Caroli Ludovici, Henrici aliorumque prædeceſſorum ad Regnum pertinebant.

Nonò : Scripto firmet ſub Anathematis pœnâ, ne quis eorum, vel præſentium, vel abſentium, vel ſucceſſores eorum, Regni ſe intromittant juribus, neque invadant civitates, Ducatus, Comitatus, monetas, vectigalia, mercata, advocationes Imperii, centurionumque jura. Curtesque eſſent Imperii cum pertinentiis ſuis militiam & caſtra Regni. Quod ipſum extenditur ad feuda Imperii Eccleſiaſtica, quæ merum & mixtum habent Imperium, hujusque Rationis plurima exiſtunt & inveniuntur in

Im-

Imperio & ſeptentrionalibus Regnis, quibus gaudent Eccleſiaſtici ex beneficio Imperii, & qua tales ſunt Vaſalli Imperii & Imperatores.

Decimò : Nec ipſe Pontifex Imperatorem, nec Romanum Imperium ſuper his ampliùs aut ulterius inquietet: & privilegio ſub Anathemate iſta confirmet, ne poſteri ſui ultrà inquietare præſumant.

Undecimò : Imperatorem benignè, & cum honore ſuſcipiat ; & more prædeceſſorum ipſius, Catholicorum Imperatorum ſcienter, & non ſub tecto coronet, & ad tenendum Imperium, officii ſui juvet auxilio.

2. Conventis hiſce pactis (de quibus ipſe Petrus Damianus Cardinalis, & Abbas Uſpergenſis ſcripſêre,) Chryſolaus Mediolanenſis Antiſtes Henricum electum Romanorum Regem Pontifici coronandum obtulit. Poſteaquam verò Pontifex, qui tunc Paſchalis erat, proximius ad functionem coronationis acceſſiſſet, ſciſcitatus eſt à Rege ; an, quam ſuperioribus pactis promiſerat, uſurpatam usque huc, Eccleſiarum collationem in manus Pontificis renuntiaret? ſe promptum viciſſim Regi & Regno dimittere ea omnia, quæ ad Regnum pertinebant tempore Ludovici, Henrici & aliorum prædeceſſorum ejus. Chron. Coſſin.

3. At poſtulata Pontificia interrupit quiſpiam à partibus Auguſti, reponens Papæ : Eccur tàm multis verbis opus? cave: exiſtimes, Cæſarem noſtrum aliter Imperii coronam accepturum, atque Carolus & Ludovicus aſſumpsêre. Deſuper autem renuente Pontifice, & reclamantibus purpuratis Eccleſiæ, tàm ille, quam hi arctæ cuſtodiæ traditi à Rege.

Quam rem propè indignam, atque ſacrilegam, Romani cives, iterato cum Germanis prælio ſtrenuè dimicantes, cum magna Cæſarianorum clade egregiè ulti, ad extrema redegerant Henricum : qui ſine mœrore, ſine deſperatione (utrumque fermè aderat,) percitus ; Papam, ejusque doloris Comites Cardinales, ignominioſe vinculatos, in conſpectum ſuum, ad necem, produci juſſit ; & jamjam feralis ſententia incumbebat omnium

cer-

cervicibus, ſi Papa coronam Imperii negare pergeret; vel ſacrorum inveſtituras & collationes, ex veteri more, Imperatoribus ſolitas, repeteret. Conventum itaque denuò in pacem, quam graviſſimum metus utrinque extorſit. Pontifici ſiquidem, & ejusdem purpuratis ac familiaribus Cataſta imminebat: Cæſar verò Prædeceſſoris ſui facta, ac infamem ſceleſtæ machinationis exitum ſollicitè metuebat. Percellebat ſiquidem ejus animum Patris Henrici IV. tragicus exceſſus, is enim anathemate perculſus, Imperio degradatus, mœrore indè confectus, panem oſtiatim rogitans, ab omnibus deſertus, vivere miſerrimam vitam deſierat, cadavere ejus per quinquennium inſepulto. Hujus exemplo tragico, commotus Cæſar, ne eandem pœnam lueret, promptiùs iniit pacis articulos; Nimirum:

Ut primò Papa omnem injuriam à Rege & ſuis, Regisque juſſu illatam ſibi ac ſuis purpuratis, aliisque in captivitate detentis, plenè remittat, à cenſuris, quas Sacrilegus incurrerat, abſolvat, & æternâ oblivione teterrimum facinus conſepeliat.

Secundò: Quæ Papalis remiſſio extendatur in futurum, & in omnes Regi adhærentes, adeò, ut ob hanc cauſam, neque Regem unquam, neque ſuos anathemati ſubdat.

Tertiò: Ut Imperatori publicè privilegio provideatur, & autoritas vi illius concedatur impoſterum, ſicut prius, confirmandi Imperii & Regni ſui Epiſcopos, Abbates, aliosque, liberè præter violentiam & Simoniam electos; eisque inveſtituram virgæ & annuli conferendi.

Quartò: Epiſcopi & Abbates, & alii ſic inveſtiti liberè conſecrationem, ſine recurſu ad Urbem, à ſuis Archi-Epiſcopis, ad quos pertinuerint, ſumant.

Quintò: Si quis à Clero, vel à populo præter aſſenſum Cæſaris electus, nec ab hoc inveſtitus fuerit, à nemine conſecrantor; exceptis attamen illis, qui vel in Archi-Epiſcoporum, vel in Romani Pontificis ſolent diſpoſitione conſiſtere.

Sextò: Hoc Privilegium Dominus Papa Paſchalis extradat Domino Henrico Regi ex ſuâ in hujus manum.

Septi-

Septimo : His ex pacto ſolemni præſtitis, Cæſar demùm liberos dimittat Papam, Cardinales & alios captivitate detentos, eosque una cum obſidibus ſecuros, ac ſalvos intra portas Transtyberinæ civitatis deponat, neque ulterius capiat, aut capi permittat.

Octavò : Pacem det Romanis, eamque ex fide ſervet, tàm per ſe, quàm per ſuos.

Nonò : Pontifici aſſiſtat pro viribus : ablata Eccleſiæ Romanæ reſtituat, Pontifici fideliter obediat, ſalvo honore Imperii & Regni, ſicuti Catholici Imperatores, ſolent Catholicis & Romanis Pontificibus.

Acta hæc in agro juxta pontem Mamæum Anno verbi incarnati 1111. ut refert Paulus Diaconus. Pacem hanc confirmatam tradunt quidam, ipsâ ſumptioni ſacræ Synaxeos, ſumptâ nimirum à Pontifice unâ particulâ hoſtiæ conſecratæ, & alterâ Cæſari porrectâ, eodem conteſtante Pontifice : *Sicut pars iſta vivifici corporis diviſa eſt, ita diviſus ſit à Regno Chriſti & Domini, qui pactum iſtud rumpere ac violare tentaverit.* Maſſonius in notis ad Epiſtolas Juonis.

4. Exclamarunt contra Paſchalem cæteri Epiſcopi, & Clerus ; damnantes cuncta, ac nullius roboris declarantes, quæ Papa Paſchalis contra majorum inſtituta non minus ſacrilegè, quam in ſacrilegum Regem contuliſſet.

Papa è contra ineluctabili neceſſitate, inter duo mala minus eligens, avertiſſe ſe, dicebat, ab Eccleſiâ ſanctâ ſchiſmata & ſcandala, à patriâ belli incommoda, ab Urbe incendia, à purpuratis cædes, à populo ſtrages, & infinita alia mala, quæ negatâ Henrico ſive coronâ Imperii, ſive inveſtiturâ, ſolitâ prioribus Imperatoribus ; jam Eccleſiæ, Italiæ, Urbi, toti ſacro & Laico populo imminebant. Quo tamen vix obſtante Concilium Lateranenſe eodem fermè convocatum Anno, damnavit Henricum, ſententiam pronuntiante *Gerardo quodam* Engoliſmenſi Epiſcopo.

5. *Privilegium pro liberatione captivorum Eccleſiæ, à Paſchali Pontifice vi extortum per Henricum Regem : omnes in hoc*

ſacro Concilio congregati legitimâ cenſurâ, & autoritate Eccleſiaſticâ, judicio S. Spiritus condemnamus & irritum eſſe judicamus, eo nomine ; quod in eo ſcriptum eſt, jure lectum à nemine conſecrandum, niſi prius à Rege inveſtiatur, quod eſt contra Spiritum Sanctum, & juſtam inſtitutionem. Ita quidem Concilium, ſed contra voluntatem Papæ Paſchalis, à quo tamen tota autoritas Concilii eſſe debuit. Undè ſolemni proteſtatione invectus in Patres Concilii dicebat: Ego tamen eum nunquam anathemiſabo, & nunquam de inveſtituris inquietabo: ſed quoniam jam noſtræ commonitionis inſtantiam repulerunt, habebunt Judicem DEUM. Graviſſima profectò verba; nec animo languido à Pontifice dicta : quia ſciebat is non ſolum præſtiti reciprocè jurisjurandi divinique vim, & in divinorum Principe Papâ, ejus ſervandi, ſicut & pacis in Eccleſiâ, jam pridem deficientis, neceſſitatem: Verum etiam id, quod hactenus Cæſaribus liberum fuit, non facilè ab Apoſtolicâ Sede tollendum : conſultumque Imperatoribus eſſe tueri jura ſui Imperii, & in obſtantes arma, quæ Eccleſiæ nec emolumento, neque Pecori unquam fuerunt, monere. Eccleſiamque creviſſe liberalitate Principum Laicorum, quam ſi non recognoſceret, ingratam fore. Operoſa apud illos monita, ac pacem difficilem eſſe, quibus in manu arma, armisque omnia expedire valent.

Aragenius in vitâ Paſchalis.

6. Interea Henricus poſt promulgatas cenſuras, & trans montes in Germaniam delatas, multis conflictabatur anguſtiis, ſed Victor quaſi ubique in obſtantes. Bononienſes, qui præſidium Imperiale ejecerant, ac Arcem illis à Rege impoſitam diruerant, ſupplices audivit, ac gratiæ reſtituit. Coloniam Agrippinam & Trans-Rhenanos Weſtphalosque ſibi adjunxit. Lotharium Saxoniæ Ducem ſibi ſubjecit ; ſicut & Rudolphum Marchionem, Fridericum Comitem Palatinum aliosque. Parmam & Mantuam veluti feuda Imperii occupavit. Ducatu Orientalis Franciæ ſpoliavit Wurtzburgenſem Epiſcopum: ac multa alia in ſpeciem glorioſa hinc indè in Lombardiâ & tota Latio geſſit, ut ipſi planè Conſules, Senatus, plebs populusque Romanus

trium-

triumphum inſtituerint. Interea cum Romam Imperator ingreditur, ſeceſſit vel aufugit potius ex urbe in Apuliam Paſchalis Papa, qui tandem ob multoties & repetitò temeratam ab Henrico Eccleſiam, dirâ Concilio Lateranenſi in eum fulminata, palàm approbaverat, adlaborante in hoc Brunone Epiſcopo Signino, & Ivone Carnotenſi, utroque rerum Juris expertiſſimo. Fugæ cauſa, ne à Rege armato vel opprimeretur, vel ne ipſe, ſi cum excommunicato tractaret, à Patribus ſuſpectus haberetur, vel potius illa fuit, Memoria nimirum antiquæ captivitatis ſuæ: talis, qualis, profecto magna erat.

7. At verò Rex cum videret, abeſſe illum, qui omnium primus intereſſe debuiſſet, non diu anceps hæſit, ſed vocato ad hoc munus Mauritio quodam Epiſcopo Bracarenſi rurſus diadema Imperii poſtulavit; quove ante corpus S. Gregorii accepto in Lombardiam abiit. Paſchalis autem Romam redux ex modico intervallo vivere deſiit.

8. Hoc audito Cæſar denuò Romam properavit, & omnem modeſtiam præ ſe ferens Electioni novi Pontificis interfuit, aſſenſumque præbuit, ut Cathedram D. Petri Cardinalis Joannes (forte Cajetanus) qui Gelaſius II. dictus fuit, tutò conſcenderet. Poſtea vero eodem Gelaſio Papâ ſe à Cæſaris communione ſubtrahente, non ſine quorundam Romanorum favore & ſuggeſtione, inter quos Frangepanni erant, alterum quendam Burdinum nomine, & gente Hiſpanum, Apoſtolicæ ſedi ſuperinvexit; ſicque Schisma, quod jam ſperabatur emortuum, crudeliter revixit. Nam eodem ſcilicet Antipapâ Romanæ Cathedræ liberè potito, Gelaſius cum his, qui ſecum abierant Cardinalibus, cæterisque Catholicis, quos congregare poterat, apud Capuam (quod literæ ab ipſo transmiſſæ circumquaque luculenter teſtantur) Cæſarem una cum Idolo damnavit. Iſte vero confictis literis in Germaniâ omni ſparſit; Gelaſium ſe abdicaſſe Papatu, & ut tutò viveret, aufugiſſe, ſuffecto in ejus locum, alio Pontifice, (qui dictus Burdinus Antipapa fuit) à quo Cæſar Eccleſiæ reconciliatus fortiùs impoſterum in refractarios ſibi Imperii Principes incumberet.

Ufperg. in Chron.

Idem.

beret. Sed fabula, quocunque delata, cum ludibrio excepta fuit.

9. Exinde jam toties relapſo, & excommunicato; totque rapinis cædibus & ſacrilegiis obnoxio Henrico, Principes Imperii maximè Eccleſiaſtici, & illi etiam, qui hucusque in fide Cæſaris perſtiterant, niſi pacem cum Apoſtolico Principe faceret, Vaſallagium abſolutè negandum, monendum tamen de unanimi omnium conſenſu, Regem, prudenter exiſtimarunt. Operati in hoc Epiſcopus Catalaudenſis & Abbas Cluniacenſis: ſed inducias Cæſar quæſivit propter generale colloquium cum Principibus habendum pro Inveſtituris ſcilicet Eccleſiaſticis, quas tantopere à Papâ cogebatur amittere; nullo tamen jure aut æquitate amittendos, quas hactenus Cæſares nullo obſtante poſſedêre. Id eſſet ridere Cæſares, ac Germaniæ vires, ut in Italiâ minores, negligere.

10. Aſt Moguntinus Archiepiſcopus nullas Henrico inducias pollicitus, gravi ſermone perſtrinxit Cæſarem, ſic inter alia compellans, bellorum exitus incertos eſſe, & finem rerum à Deo in occulto ſervari. Cogitandum ſecundam fortunam, per ſcelus & ſacrilegium, haud diuturnam eſſe. Eam ſtabilem firmamque toto ævo videri, quæ favore Numinis, & rectè factorum conſcientiâ paratur. Ipſe ego communi cauſæ medius accedam precibus, auctoritate, amicitiis. Sine, Cæſar Auguſte, proſequamur honeſtiſſimo titulo, quod nobis facilem quietem, veterum oblivione facinorum, tibi gloriam & Imperium confirmet. Tacuit ad hæc Imperator, ait Urſpergenſis: & quem vis ac minæ non flexerant, mollis oratio, viri prudentia, & exiſtimatio mutavere; totumque negotium amico permiſit, de cujus Charitate non ambigebat.

11. Moguntiæ tunc morabantur Legati Apoſtolici, in hunc finem à Sanctiſſimo Patre in Germaniam ſubmiſſi, qui indicto concilio hinc inde diù diſceptarunt, donec tandem ſuperveniente cœli lumine, (quod nemo ſperabat, neque unquam ſe facturum jam prius Henricus juratò edixerat) Inveſtituras Eccleſiaſticas, ſicuti

ſicuti & alia, quæ propriè tantum Eccleſiæ deberi videntur, in manus Epiſcopi Oſtienſis, qui primarius legatus inter duos Cardinales fuit, depoſuiſſet, & Vicario in ſede D. Petri liberè & plenè reſignaſſet. Quod vere magnum erat, tantum Imperii decus, tantamque Autoritatem, quæ apud Germanos Imperatores tot centenis Annis fuerat, abdicaſſe. Pacis hujus conventa fuêre.

Primò: Dabit, atque inibit Dominus Henricus pacem veram & ſinceram cum Domino Papâ Calixto, ſanctaque Romanâ Eccleſiâ & omnibus, qui in partibus ejus ſunt, & fuerunt.

Secundò: Præſtabit in omnibus auxilium, in quibus ſancta Romana Eccleſia illud poſtulaverit, fideliter, & de quibus fecerit querimoniam, debitam reddet juſtitiam.

Tertiò: Reſignabit Pontifici & Eccleſiæ omnes inveſtituras Eccleſiaſticas per annulum & Baculum, & concedat in omnibus Eccleſiis, quæ ſub ſuo Imperio ſunt, canonicam fieri electionem & liberam conſecrationem.

Quartò: Poſſeſſiones & Regalia D. Petri, quæ à principio hujus diſcordiæ, usque ad hodiernam diem, ſive Prædeceſſoris ſui, ſive ſuo tempore, ablata ſunt, quæ habet, eidem S. Romanæ Eccleſiæ reſtituet: quæ autem non habet, ut reſtituantur, fideliter curabit.

Quintò: Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum, & Principum, & omnium aliorum tam Clericorum, quam Laicorum, qui bello iſto amiſſæ ſunt, conſilio Principum & Juſtitia, quas habet, reddet, quas non habet, fideliter, ut reddantur, curabit.

Sextò: Sanctiſſimus Pater Papa recipiet viciſſim in gremium S. Matris Eccleſiæ Auguſtum Dominum Henricum, cum toto ſuo exercitu, & adhærentibus; abſolvendo ipſum Cæſarem & omnes ipſius fideles, milites & miniſtros, ac omnes adhærentes, qui excommunicationis notam incurrerunt, ab omni cenſurâ & pœna Eccleſiaſticâ.

Septimò: Concedet Electiones Epiſcoporum, Abbatum, Teutonici Regni, qui ad Regnum pertinent, ut in præſentiâ Cæſa-

ris fiant, absque Simoniâ, violentiâ, ut si quæ inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio, saniori parti assensum & auxilium præbeat. Electus autem Regalia per sceptrum ab Imperatore recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur; & quæ ex his jure Cæsari debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperii consecratus, infra sex menses regalia per sceptrum à Cæsare recipiat.

Octavò: Mutuum auxilium atque amicitiam secundùm Apostolici Officii sui rationem præstabit Pontifex Imperatori veram sinceramque pacem atque benedictionem Apostolicam impertiendo. Acta & subscripta reciprocè Anno 1122. IX. Kalend. Octobris. Sic post tot Christi tunicæ scissuras, post tot Christianorum intestina bella, tempus miserendi Sion, id est, Ecclesiæ, licet serò, cum totius tamen Christianitatis solatio, ex inopinato, & rebus quasi desperatis, feliciter advenerat.

12. Post hanc partem non diu vixit Henricus, & moriens elegit non filium, utpote minorennem, sed ex Agnete sorore nepotem Conradum Sueciæ Ducem in successionem Imperii; atque in hunc finem ipsi filium Fridericum in tutelam; & Imperii Insignia in Successionis confirmationem consignavit. Is citra moram præsente Theoduino Legato Apostolico, qui totius Romani populi, urbiumque Italiæ electioni intererat, in Imperatorem electus, & Aquisgrani in Regem unctus. Primo omnium, quæ gessit, proscripsit Herbipoli Anno 1139. Imperii Æmulum Henricum superbum, ejusque bifarium Ducatum Saxoniæ & Bavariæ in alios Principes, illum in Albertum, hunc in Leopoldum divisit: Ut mirum haberi debeat Henricum Principem alias potentissimum, cujus Potestas à Dania in Siciliam, id est, à mari uno, ad aliud mare extendebatur, in tantam brevi egestatem venisse, ut Amicis & Vasallis ab omnibus desertus, clam è Bavariâ quatuor tantum comitatus sociis emigraverit.

Otto Frisinus in hist. lib. 7.

13 Accepit deinde Conradus per Legatos Senatus-Consultum Romanum, de recuperandis Romani Imperii Juribus adversus Pontificem: quo monebatur, ut Cæsar Romæ resideret, Orbemque regeret, ut fecit Justinianus. *Cæsaris*

Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua Præſul
Ut Chriſtus juſſit Petro ſolvente tributum.

Ita nimirum excutere ſatagebant Patricii & Cives Romani Pontificium jugum, & ſuggerebant Neo-Cæſari varia blandientes, & ſugillantes acta Innocentii Papæ; quaſi iſte in præjudicium Cæſaris & Imperii, acceptâ magnâ pecuniâ Rogerio Siculo Regis nomen, virgam & annulum conceſſiſſet, dato inſuper privilegio, ne ſedi Apoſtolicæ fas ſit, ullum deinceps mittere Legatum, niſi quem ipſe vellet, in terras Rogerii. Nihil tamen hoc perculſus Imperator, benigne ſuſcepit Legatum Pontificium, contentumque dimiſit; & adverſus Romanos Patricios atque optimates, qui apertam ſeditionem jam moverant adverſus ſedem Apoſtolicam, eamque volebant more veterum, ſacerdotum tantum decimis, & oblationibus ſuſtentari, cæteris Regalibus tam in Urbe quam extra Urbem ſæculari Poteſtati adjectis: Innocentium Papam & Eccleſiæ Jura egregiè protexit.

14. Demortuo Innocentio, Cœleſtinus vix menſes quinque; poſt hunc Lucius exiguo ſpatio; ſed Eugenius deinceps longius rexit Eccleſiam, ac adeò Romanos ſibi, ſacræque ſedi refractarios preſſit, ut abrogatâ novæ Reipublicæ formâ libertateque, ipſe Principem illius ſe dixerit. Quod ipſum erat finis diſſidii & ſubſtantia pacis. Præterire, videbatur multis, hanc opportuniſſimam occaſionem pius Cæſar, reaſſumendi veteres Romæ faſces, ac Regalia Urbis; toto videlicet animo converſus in Expeditionem ſacram, recuperandæ Terræ ſanctæ, cujus eſſe voluit ipſe Ductor, ſubſtituto ſibi interim cum Imperii clavum filio Henrico.

Cruciatam indixerat Papa Eugenius, ad quam D. Bernardus in Germaniâ exhortabatur populum eo concurſu, ut niſi in Ulnas ſanctum virum ſuſcepiſſet Conradus, ſuffocatus fuiſſet præ multitudine concurrentis populi, neque minori fructu munus hoc Apoſtolicum exercuit mellifluus Abbas, ut ſola Germania ducenta peditum & ſeptuaginta Equitum millia dederit, tamque potentem Cruciatam nunquam viderit Orbis. Suffeciſſet Orbi doman-

domando, non uni Syriæ, ſi cœlum annuiſſet. Hujus Ductor Conradus bellum ibi geſſit magno zelo, ſed minus fortunâ propriâ. Victor fermè interiit, oppreſſus non ſpoliis hoſtium, ſed ex penuriâ panis: Id fecit Græcorum livor, in Germanos nimis credulos, Græca fides non duxit, ut debuit; ſed ſeduxit æmulam externamque gentem per arida, inculta & deſerta Cappadociæ loca. Hìc fame & ſiti confectus miles, quam animo & theſſerâ gerebat, reverâ in carne ſentiebat Crucem. Præliabatur cum calamitate magis, quam cum hoſte; illa ita enervavit exercitum Chriſtianum, ut deficientem hunc præ fame viris & viribus facile deleverit Barbarus. Sic in limine expeditionis male exceptus Imperator cladem tulit ingentem & poſt ſæcula memorandam. Redux virtute clarior, quam palmis; mortem, quam glorioſam quæſierat apud Barbaros, invenit apud Domeſticos; Autore Rogerio Siculo; porrigente toxicum familiari Medico, quem ille auro emerat in necem Conradi Cæſaris; virtute, pietate & juſtitiâ Magni.

15. Cum Conrado, donec imperaret, multum interceſſit cum Eccleſiâ diſſidium, ſed perpetua Pax. Ante Imperium adolevit ut Tyrannus, quia ſub Lothario ſecundo uſurpavit Imperium, ac ideo à ſede Apoſtolicâ diris devotus. Poſtquam autem ſibi imperavit, conſenuit Imperator, & devixit fidus Eccleſiæ filius.

16. Fridericus, quem à Barbâ Ænobarbum dixerunt Satyrici, ſucceſſit Conrado, verus Regalium ac Imperatoriæ Majeſtatis non minùs Zelotes, quam vindex acerrimus. Magna geſſit in vitâ ſuâ, & cum Autoritate maximâ, ſemper, etiam in extremis, conſervatâ Majeſtate. An omnia rectè, & ex virtutis dictamine variant hiſtorici, ut illi nimirum partium ſunt aſſentatores. Germani de illo quæque glorioſa; Itali ignominioſa (erat enim flagellum Italiæ) perhibent. Interim nobis ambiguum de eo judicium eſt in ſedem Apoſtolicam, cui ille nec totus paruit, nec totus imperare voluit. Optavit dividere ſacerdotium ab Imperio, gladium à clavibus, ſacra à profanis, ſi illa ſine his ſubſiſtere

sistere possent. Plurima adulatores Aulici insufflabant fomenta, quibus sibi gratiam à Principe excelsi animi captabant. Interim cum primum Imperiale nomen ab Electoribus accepit, Legationem insignem ad Papam Eugenium destinavit, & cum eo fœdus amicitiamque perpetuam sanxit, promisitque, Romanos Cives, qui tunc à Papâ dissidebant, sedi Apostolicæ subjicere, eâ subjectionis devotione, ut retro à centum Annis erant, reciprocè promittente Eugenio Coronam Imperialem, ac omnem assistentiam canonicam in ejus hostes, benedictionemque de Cœlo opimam. Eandem concordiam continuavit cum Papâ Anastasio, ac hujus successore Adriano, cui Arnoldum Brixiensem hæresiarcham ad primas preces extradidit. Is igne crematus sensit Pontificiæ potestatis vim, cui Regalia & dominium sæculare, in quo tota culpa hæreseos latuit, inperterritè negabat.

17. Cum eodem Pontifice fœdus & pacem juratam iniit, antequam Romam intraret coronandus: Stratoris tamen officium illi, sicut iste præbere negavit, ita ille pacis osculum ab hoc recipere noluit. Sed in se reverso Cæsare, informatoque de veterum exemplis tam longo usu firmatis; suppedaneum ephippii Pontificii arripuit, tenuitque, donec equum conscenderet summus Sacerdos.

18. Interea ad Urbis mœnia in castris commorante Friderico solemnia coronationis parabantur in Basilicâ D. Petri intra Romam: Verum repugnantibus Civibus Romanis, qui superba & insolita postulabant, ac consensum populi ad coronationem Imperialem, quasi hæc à fœce hominum penderet, exigendum volebant. Sed meritò à Cæsare non justa injuste petentibus, cuncta justè negata. Successit attamen Coronatio cum splendore plus quam Regio. Nam summo diluculo Leoninâ Urbe, & vestibulo Ecclesiæ S. Petri à Cæsaris Prætorianis occupato; nec furenti populo patuit accessus, nec vis valuit: sicque tutò cum benedictione debitâ & celebratis ab ipso Papâ Missarum solemnibus Coronam accepit Imperii. Peractis quibus Imperator equo sublimis, ac coronâ tectus, cæteris detectis ac pedes euntibus, R. denicus lib. 1. c. 8.

bus, per eandem, quâ introierat, portam, ad caſtra revertitur: Romano Pontifice in ſuo Palatio remanente.

10. Evacuatâ vero urbe Leoninâ Cæſareo milite, irrupêre Romani Cives in neo-coronati Imperatoris caſtra. Prælium ingens cruentumque commiſſum, quod fermè 12. perduravit horas cæſis, ſauciatis, in Tyberim demerſis, quaſi innumeris ex gente Romanâ. Prælio inſiſtebat ipſe Cæſar & jamjam urbem Prædæ, flammis, & excidio committebat militibus, niſi Adrianus ſupplex pro prævaricatoribus iram extremè offenſi Principis leniiſſet. Regreſſus in Germaniam Imperator, inaudierat, à nonnullis Romanorum temerè æſtimari; Imperium Urbis & Regnum Italicum donatione Pontificum Imperatores hactenus poſſediſſe, idque non ſolum dictis, ſed quoque ſcriptis atque picturis repræſentare, & ad poſteros transmittere. Undè de Imperatore Lothario in palatio Lateranenſi ſuper hujusmodi picturam ſcriptum fuit.

Rex venit ante fores, jurans prius Urbis honores:
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam?

Hæc quidem pictura & Poëſis ſupra modum accenderat Friderici animum, qui dedignabatur eſſe Beneficiarius, vel fiduciarius Papæ, quod procul dubio nec Papa intendebat; præſertim quod Pictoribus & Poëtis uſurpatione antiquâ magnum ſit licentiæ Jus, ſicque mitigari potuiſſet Cæſar; niſi aliud pabulum, idque majus priore, aliundè igneo Principi datum fuiſſet, cum nimirum Legati Pontificii (inter quos Rolandus Cardinalis & Papæ Cancellarius, ex tunc deinceps ſemper infenſus Cæſari) data illis, ut ſolet, publicâ audientiâ, ſalutationem proferrent obviam, & planè indignam: Videlicet, ſalutat vos Beatiſſimus Pater & Cardinales: ille ut Pater, iſti ut Fratres; ac porrectis literis, quæ quidpiam acerbitatis continebant, Legationi finem imponerent. Adſtantes Principes æque tulerunt incivilitatem Legatorum Romanorum, & actum fuiſſet cum Legatis, niſi compreſſiſſet Imperator animum, & avertiſſet ictum cujusdam Principis ex ſua Aulâ, qui admotâ jam capulo manu ſtringebat in

unum

unum ex Legatis ferrum, cum audiret ex illo abſona planè verba: *à quo ergo habes, ſi à Papâ non habes, Imperium.* Quaſi Poteſtates Mundi non Ordinatione divinâ, ſed Papali factæ fuiſſent.

20. Commotior inde Cæſar, altero primo mane dimiſit Legatos non minus inglorios quam impunes; ea tamen cautelâ: ut rectâ viâ, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram declinantes reverterentur in Urbem. Communicato deſuper cum Germaniæ Proceribus Conſilio, ac Theologorum trutinâ, præſertim Epiſcopi cujusdam Brixienſis, Religionis & doctrinæ famâ conſpicui, expenſis belli cauſis, ne dignitas maxima Mundi proſtituatur, bellum decrevit. Et hinc malorum montes, quæ Eccleſia DEI poſtmodum paſſa.

Hæc quidem aut incuriæ, aut zelo modicæ diſcretionis, aut Ambitioni (quod abſit à nobis dicere) attribuêre quidam. Certum tamen eſt Pontificem opinioni ſuæ inhæſiſſe, cum (licet in hoc diſcordantibus inter ſe Cardinalium ſuffragiis) circulares ſcriberet Archi-& Epiſcopis Germaniæ, ut ſe opponant murum pro Eccleſiâ contra Imperatorem; quaſi vero errorem Pontificis privatum expiare deberet tota Eccleſia, maximè, ubi de tanto Jure tantæ Majeſtatis agitur; quod ſibi citra ambitionem Eccleſia DEI non arrogat, nec prius arrogavit unquam. Ideò, ut Radevicus hiſtoricus diffusè memorat, reſcripſit Papæ Clerus Principalis Germaniæ, inter cætera (utique dictante Cæſare hoc:) In capite Orbis DEUS per Imperium exaltavit Eccleſiam; in capite Orbis Eccleſia (non per DEUM ut credimus) nunc demoletur Imperium, à picturâ cœpit, ad ſcripturam in Auctoritatem prodire conatur (præter enim allatam picturam, ſcripſerat etiam quaſi objiciendo Papa Imperatori, *Inſigne videlicet coronæ beneficium tibi contulimus.*) Undè proſequitur in Epiſtolâ: Picturæ deleantur, ſcripturæ retractentur, ut inter Regnum & ſacerdotium æterna inimicitiarum monumenta non remaneant. Debitam Patri noſtro reverentiam libenter exhibemus, liberam Imperii noſtri Coronam divino tantum beneficio adſcribimus.

21. Prætera significabant Pontifici Episcopi Germaniæ, commotam esse universam Rempublicam Imperii : nec Imperator ejusmodi audire, nec aures Principum sustinere potuerunt: Ut nos, salvâ gratiâ vestræ sanctissimæ paternitatis, ea tueri, propter siniſtram ambiguitatis interpretationem, vel consensu aliquo approbare, nec audemus, nec possumus : eo quod insolita & inaudita quærunt usque in hæc tempora.

22. Resipuit ad hæc Pontifex, & per novos Ablegatos à Sede Apostolicâ, viros Civiles ac instructos, uti etiam per literas, quæ priorem ambiguitatem declarabant, malumque indè sen-
Rodevicus c. 23. sum tollebant. Videlicet per *beneficium* non intelligi *feudum* sed *bonum factum* : ita mitigavit, ut Fridericus ultrò pacem & amicitiam tàm summo Pontifici, quàm omni Clero Romano reddiderit ; eamque signo pacis & oscula absentibus per præsentes destinaverit. Eximium hoc est summi Sacerdotis & maximi Orbis Principis exemplum ! sed antiquum : quod nostri Principes sequi male erubescunt. Non flagraret tantis Europa bellis, neque tot colluctaretur cladibus, si Principes nostri suas simultates sibi invicem candidè exponerent, neque vellent errores suos semper sanguine humano expiare.

23. Porrò quæ pace istâ indignationis Cæsaræque flamma sopitâ ; denuò ex modico intervallo resuscitata fuit alio vento : videlicet per literas quasdam, quas Papa ex Suggestione amarorum hominum direxerat ad Imperatorem in certâ quæstione, quæ vertebatur inter Brixienses & Bergamenses de contentione duorum Castrorum, & eas vilis quidam homo, Pontificis nomine obtruserat Imperatori, non expectato responso neque comparente amplius præfato Nuntio. Litteræ autem istæ continebant, ne Fridericus litis causam dijudicandam assumeret, & quasi sub alicujus interdicti comminatione.

24. Ad has graviter & congruenter respondit Fridericus, sed in titulo litterarum nomen suum studiosè Pontifici præposuit. Ajebat enim ad amanuensem suum : aut Papam debere servare suorum antecessorum ad personam Imperialem scribendi con-

consuetudinem : aut seipsum antiquorum morem Cæsarum in suis Epistolis oportere observare. Erat enim vetus scribendi modus communis; Nomen scribentis præferre, & dictionibus singularis numeri illum alloqui, cui scribebatur. Qui mos deinceps ob reverentiam & honorem certarum personarum fuit intermissus.

25. Undè in quadam Epistolâ Pontifici Adriano protestanti de postpositione sui nominis respondit liberaliter Imperator: Cum Romano Pontifici scribimus jure antiquo & nomen præponimus ; & ad justitiæ normam idem eidem nobis scribenti concedimus. Revolvite Annales (prosequitur ille,) & lectum neglexistis, quod asserimus, illic invenitur. Provideat itaque Paternitas vestra, ne dum talia movet, quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui velut ad Imbrem serotinum ori vestro aures suas arrigere festinant. Non enim non possumus respondere auditis, cum superbiæ detestabilem Bestiam, usque ad Sedem Petri reptasse videmus. Ita Fridericus.

26. Hæc itaque & similium acerba ultrò citróque scribendi ratio, majorem indies inter prima mundi capita simultatum fomitem concivit , in tantum, ut quædam literæ, ait Radevicus, deprehensæ dicerentur à Sede Apostolicâ directæ, quæ Mediolanenses & quasdam alias Civitates rursus ad defectionem à Friderico exhortarentur. Quod eas carò constitit, nam pluries propterea, Mediolanense solum vastatum , Crema expugnata, aliæque Urbes occupatæ, & ipsum tandem Mediolanum post multoties receptas clades obsessum, expugnatum, & omni negatâ pace, funditùs dirutum, & terræ æquatum fuit Anno 1160. Adeò ex modicis simultatibus non solum ingentia terrarum & urbium excidia : sed etiam (quod deplorandum magis,) in hâc sanctâ Ecclesiâ non manu factâ; minores vix ruinæ & schismata penè execranda, quæ non corpus tantum, sed animas occidebant, exorta fuêre. Lib. 2. c. 100.

27. Mortuo siquidem Pontifice Adriano Electores novi Papæ Cardinales inter se divisi suffragiis diviserunt Ecclesiam (si tamen

men dividi, quæ una ſemper eſt, valeat (eligentibus quibusdam Octavianum tituli S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, cui nomen dederunt Victor IV. aliis Rolandum tituli S. Marci Presbyterum ſimiliter Cardinalem, & S. Romanæ Eccleſiæ Cancellarium, cui nomen impoſuerunt Alexander III.

28. Et hinc ſchiſma tanto atrocius & infeſtius Reipublicæ Chriſtianæ, quanto ardentius protegeretur ab Imperatore ipſo. Is enim Rolandum ſive Alexandrum III. nequaquam pati voluit aut potuit; quippe, ut ſupra inſinuavimus, infenſum ſibi & contemptorem Imperatoriæ Majeſtatis, dum adhuc Cardinalem ageret. Octavianum verò, ſub Victoris IV. nomine ex Fuſculanorum Comitum gente Urbis antiquiſſima & nobiliſſimâ oriundum, qui jam unà cum Rolando, licet diverſis & paucioribus ſuffragiis electus fuiſſet, ferebat non invitus. Accedebat autem ratio Statûs, quæ præcipuè avertebat Friderici animum ab Electione Alexandri III. utpote, ut primâ fronte apparebat, indignè expracticatâ, ac conſectario jure, planè irritâ.

29. Rem ab ovo repeto: Ab eo tempore, quo Cæſaris victricia undique arma pervadebant Italiam, inter Papam Adrianum & Imperatorem graves ſimultates cœptæ ex ſuggeſtione quorundam rebus Siculi Regis plus æquo adhærentium. Et quantò arctior amicitia inter Papam & Siculum intercedebat, tanto majus in Fridericum odium, & in Collegio Cardinalium diſſidium, quorum potior pars promovebat fœdus inter Papam & Wilhelmum Siculum ad Beneventam contra Fridericum Imperatorem contractum; Alia, licet minor repugnabat, ſtabatque pro Imperio & Eccleſiâ, cujus jura tàm Eccleſiaſtica, quam temporalia uſurpabat Siculus, connivente nimiùm Papâ, & Cardinalibus quibusdam, acceptâ ab ipſo pecuniâ, aliisque ſpecioſis promiſſionibus obcæcati. Fœderis (vel conſpirationis potiùs,) ſumma fuit: Imperatorem, cujus Potentiam & ſagacitatem verebantur, excommunicare, ut ſic communione Principum & auxiliatorum privaretur, ac minùs potens, immò abominabilis in conſpectu hominum redderetur. Alterum ubique & undique

illi

illi reſiſtere cum aliis Italiæ potentiis & civitatibus ſenſim : & jam re maturâ , non anteà , ne præoccupare Cæſar valeret in fœdus accipiendis.

Tertiò, ſi interea contingeret Papam naturæ debitum ſolvere, neminem alium, quam de illis Cardinalibus aliquem, qui huic Siculo fœderi innexi ſunt, ad Papalem dignitatem evehere : quæ tria fœderis pacta ſibi invicem jurejurando politici fuerunt. Quorum omnium gnarus Imperator Victoris cauſam fovebat adverſus Alexandrum ſibi, rebusque Imperii jam olim & nunc infenſum.

30. Neque præter hoc deerant alia Cæſari, quibus Electionem Alexandri pulſabat. Videlicet : ex jurato illo fœdere non plenè fuiſſe libera ſuffragia omnium Cardinalium : Simoniaca potiùs quam Canonica, quæ in Alexandrum cecidêre : Quæ verò in victorem, libera. Quippe ipſius ſuffragatoribus nec auro Siculo emptis, neque nefandi juramenti, quo libertas tollebatur eligendi Papam quemcunque & ex cujuscunque animi ſenſu, complicibus. Deindè Victorem prius fuiſſe immandatum pontificaliter, priùs inthroniſatum, priùs publicatum, priùs à Clero, Senatu, populoque Romano acceptatum cum plauſu & acclamatione omnium, & pro ſummo Pontifice habitum; quam Alexandrum, qui Româ voluntariè cum ſuis aſſeclis profugiens XII. poſteà die in caſtro nomine Ciſternâ, quod à ſæculo non eſt auditum, immandatus & conſecratus fuit.

31. Ejusmodi cauſas Cardinales illi, qui partes victoris tuebantur, non ſolum Cæſaris ſuggerebant, eumque in illius protectionem perſuadebant, ſed etiam omnibus Chriſti fidelibus, Clero univerſo, & populo partium & terrarum diſſitarum publico manifeſto luculenter, remque, qualiter facta eſt, exhibebant, teſtemque DEUM, qui falli non poteſt, invocantes, proteſtantesque, *ſi Angelus de Cœlo aliud evangelizaret, à veritate penitus aberraret.* Dicta conſtant ex quadam Epiſtolâ aliquorum Cardinalium, quam Radevicus refert. lib. 2. c. 52.

32. Ni-

32. Nihilominus tamen Imperator Fridericus, ne in tantum Ecclesia DEI dilaceraretur & manifesta sciſſura credentium repararet, ex quinque Regnis Catholicis Archi- Episcopos, Episcopos, Abbates, viros Religiosos, Theologos, DEUMque timentes Papam ad Concilium Anno 1160. per circulares invitavit, quatenus remoto omni sæculari judicio, hoc tàm magnum Ecclesiæ negotium Ecclesiasticarum tantum personarum sententiâ definiretur, & priſtinæ integritati unitatique suæ diviſa, nunc ex hoc schiſmate Ecclesia, redderetur. Ac licet de dignitate & officio Imperii non ſit convocare concilia, attamen eâ Ecclesiæ bicipitis tempestate, ubi de capite illius, quia unum tantum esse debuit, quale illud ex duobus electis legitimum ſit, contravertebatur; quis alius præter Imperatorem, (præcipuè ubi diviſum fuit Cardinalium Collegium,) ausus fuisset ? aut cui alteri parendum ? Hoc enim verò fecêre Conſtantinus & Theodoſius; hoc Carolus & Otto Imperatores omnes magni. Providi hoc Imperatoris fuit Ecclesiæ procurare unitatem, eamque quærere & juvare, licet judicare & definire, aut confirmare non ejus muneris ſit, ſed eorum, qui ad ejusmodi concilia vocantur ſacrorum nimirum virorum & patrum. Verum quid actum in hoc Concilio (quod deindè damnatum fuit,) lubet ipſum generale Concilii reſcriptum in omnes mundi Chriſtiani partes transmiſſum intelligere. Ejus Tenor eſt:

Quia Sedis Apoſtolicæ turbatio, Chriſtianorum animos admodum ſauciavit, nos, qui ad reſecanda ſchiſmata & pacem Ecclesiæ reformandam Papiæ fuimus congregati, qualitatem cauſæ, modumque negotii & ſacri Concilii diſpenſationem univerſitati veſtræ plenariè duximus intimandum: quatenus per ſcripta præſentia mera veritate monſtrata, auditorum animi falſitatem, quam forte conceperant, vehementer expellant, & à modo per ſcripta ſchiſmatica non ſeducantur. Cum igitur orthodoxorum Papiæ congregatorum univerſitas in nomine Domini conſediſſet, cauſa per VII. dies continuos, omni remoto ſeculari judicio, legitime & canonice agitata, ac diligenter inſpecta, ſufficien-

cienter & canonice in conſpectu Concilii per teſtes idoneos eſt comprobatum, dominum Papam Victorem, & nullum alium in baſilica beati Petri à ſaniori parte Cardinalium, petitione populi & conſenſu ac deſiderio Cleri fuiſſe electum, & ſolemniter immantatum, quod præſente & non contradicente Rolando, quondam Concellario in Cathedra beati Petri, fuerit collocatus, & quod ibi ei à Cardinalibus, & Clero Romano *Te DEUM Laudamus* gloriosè decantatum, & indè ad Palatium cum Bandis & aliis Papalibus inſignibus eſt deductus, & Clerus & populus ſecundum conſuetudinem interrogatus per ſcriniarium, ſi placeret? tribus vicibus, clara voce reſpondet: *Placet.* Probatum eſt etiam, quod Rolandus XII. die poſt Domini Victoris promotionem ab Urbe egreſſus, apud Ciſternam, in quâ Nero Imperator, quondam ab Urbe profugus, latitavit, primò eſt immantatus. Probatum eſt, quod in ſecundò die promotionem Domini Victoris Rolandus interrogatus à Rectoribus & Clero Romano, ac Clericis de ſua Cardinalia, ſi Domino Victori eſſet obediendum, expreſsè confeſſus, eſt: ſe nunquam fuiſſe immantatum, & expreſſe dixit: Ite, & obedite ei, quem immantatum eſſe videtis. Super his Capitulis fuerunt teſtes, & ſub ſtola tactis Sacroſanctis Evangeliis juraverunt. Dominus Petrus Chriſtianus, Decanus Baſilicæ Beati Petri, & in perſona ſua, & omnium fratrum ſuorum.

Juraverunt etiam venerabiles Archi-Presbyteri, & Rectores Clerici Romani, Blaſius & Manerius, Presbyteri, Joannes Presbyter gentilis, Atmeradus Archi-Presbyter, Bernardus Archi-Presbyter, Joannes Archi-Presbyter, Benedictus Diaconus, Magiſter Ptolomæus Archi-Presbyter, Magiſter Gerardus & Nicolaus, & alii honeſti Clerici Romani. Præterea Petrus illuſtris urbis præfectus, Stephanus de Thebaldo, Stephanus Normannus, Gimundus de domo Petri-Leonis, Joannes de Stephano & alii Principes & Nobiles Romani, qui ad vocationem Sereniſſimi Imperatoris venerant, in conſpectu Concilii ſuper jam dictis Capitulis ex maxima parte teſtimonium ſimiliter perhibuerunt.

& jurare voluerunt. Sed quia nos Religioſorum Presbyterorum multorum teſtimonium ſufficiens & abundantiſſimum habebamus, duximus laicis in hac parte parcendum. Deindè venerabiles Epiſcopi Hermannus Verdenſis, Daniel Pragenſis, & Otto Palatinus Comes, & Magiſter Heribertus Præpoſitus, quos Dominus Imperator ex Conſilio XXII. Epiſcoporum, & Ciſtercienſis, & Claravallenſis Abbatum, aliorumque religioſorum tunc præſentium, Romam delegaverat, ut partes ante Concilii præſentiam Papiam evocarent, in conſpectu Concilii teſtimonium præhibuerunt, quod Rolandum Cancellarium, & partem ejus trinis edictis per intervalla peremptorie & ſolemniter ad præſentiam Eccleſiæ Papiæ congregandæ remoto omni ſeculari judicio, vocaverunt, & quod Rolandus Cancellarius, & ſui Cardinales viva voce, & ore proprio judicium & examen aliquod Eccleſiæ ſe nolle recipere, manifeſte dixerunt. Vidimus etiam ſcripta Henrici Piſani Cardinalis ad Dominum Imperatorem directa, in quibus expreſſe continebatur, quod nullum vellent Eccleſiæ ſubire judicium vel examen. Super hæc omnia idem Henricus & Otto Cardinalis S. Nicolai de Carcere Tulliano, qui tempore Concilii, & ante apud januam morabantur, & Joannes Anagninus Cardinalis, & Joannes Riozutus S. Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi, qui tunc apud placentiam erant per octo dies, à Concilio toto ſunt expectati, ex per literas & nuntios Concilii ſunt vocati, & contempſerunt venire. Ex his igitur omnibus ſufficienter inſtructi & veritate hinc indè plenarie declarata, placuit reverendo Concilio, ut electio Domini Victoris, qui tanquam agnus manſuetus & innocens venerat, Eccleſiæ Judicium humiliter ſuſcepturus, approbaretur & confirmaretur, & electio Rolandi penitus caſſaretur. Et factum eſt ita. Electione itaque Domini Victoris, remoto omni ſeculari judicio, Sancti Spiritus gratia, invocata, confirmata, atque recepta, Chriſtianiſſimus Imperator, poſt omnes Epiſcopos & poſt omnem Clerum, ultimus Conſilio & petitione Concilii electionem Domini Victoris recepit, & approbavit : & poſt eum omnes Principes,

&

& innumerabilis hominum multitudo, quæ præsens erat, tribus vicibus interrogata, si eis placeret, respondit cum gaudio magna voce: *Placet.*

Sequenti die proxima prima sexta feria quadragesimæ, Dominus Victor cum processione ab Ecclesia S. Salvatoris extra civitatem, in qua fuerat ejus Hospitium, ad Catholicam Ecclesiam glorioſe deductus est. Ibi Religiosissimus Imperator ante Januas Ecclesiæ eum susceptt, & descendenti de equo strepam humiliter tenuit, & apprehensum per manum usque ad altare conduxit, & pedes ejus est osculatus: & nos omnes Patriarchæ, Archi-Episcopi, Episcopi, & Abbates, & omnes Principes cum universa multitudine, quæ præsens erat, pedes Apostolicas sumus osculati. Proxima autem die sequenti, id est, Sabbato, habito generali Concilio, Dominus Papa & nos cum illo, Rolandum Cancellarium schismaticum, & ejus Principales fautores accensis candelis anathematizavimus & tradidimus eum Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Illud etiam discretionis vestræ prudentiam volumus non latere, manifeste esse deprehensum, quod Rolandus Cancellarius, & ejus sequaces quidem Cardinales, vivente adhuc Papa Adriano conjurarunt, fuit autem tenor conjurationis, quod si eis viventibus Papam Adrianum mori contigeret, Cardinalem unum de illis eligerent, qui in eadem conjuratione esset adstrictus. De cætero ex parte DEI omnipotentis, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli & omnium Sanctorum & virorum orthodoxorum, qui divino intuitu ad rescindenda schismata convenerunt, universitatem vestram humiliter imploramus & monemus in Christo, ut ea, quæ Ecclesia DEI Papiæ congregata, ad honorem Creatoris, & sponsæ suæ Matris vestræ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tranquillitatem & ad salutem omnium Christianorum fideliter ordinavit, vos omni dubio & ambiguitate remota, irrefragabiliter rata & firma teneatis: Orantes, ut redemptor noster Christus JESUS universalem Pontificem & Papam nostrum victorem, de cujus sanctitate & Religione omnino confidimus, ut tempora

longa conſervet, & præſtet ei omnimodam tranquillitatem & pacem, ita quod per eum DEUS omnipotens honoretur, & Eccleſia Romana, omnisque Chriſtiana Religio gratum Domino accipiat incrementum. Ut autem omnis actio plenius legentibus eluceſcat, dignum duximus, ut omnium noſtrum conſenſus & nomina ſcribantur.

Ego peregrinus Aquilejenſis Patriarcha cum meis Suffraganeis interfui & conſenſi.

Ego Arnaldus Archi-Epiſcopus Moguntinus cum XIII. Suffraganeis interfui & conſenſi.

Ego Artuicus Bremenſis Archi-Epiſcopus cum Suffraganeis meis interfui & conſenſi.

Ego Hellinus Treverenſis Archi-Epiſcopus cum meis Suffraganeis interfui & conſenſi.

Ego Reinaldus Colonienſis Archi-Epiſcopus interfui & conſenſi.

Ego Wickmannus Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus cum meis Suffraganeis conſenſi.

Byzantinus Archi-Epiſcopus per Legatum & Epiſcopum Baſileenſem conſenſit.

Arelatenſis Archi-Epiſcopus conſenſit.

Lugdunenſis Archi-Epiſcopus cum ſuis Suffraganeis conſenſit.

Viennenſis Archi-Epiſcopus cum ſuis Suffraganeis conſenſit.

Henricus Rex Anglorum per literas & Legatos ſuos conſenſit.

Rex Ungarorum per literas & Legatos ſuos conſenſit.

Rex Bohœmorum conſenſit.

Rex Danorum conſenſit.

Guido electus Ravennas conſenſit.

Epiſcopus Firminus conſenſit.

Epiſcopus Ferentinus conſenſit.

Mantuanus conſenſit.

Faventinus conſenſit.

Ab-

Abbatum verò & Archi-Presbyterorum multitudo innumerabilis multorum Regnorum interfuit & consensit.

Longobardorum inæstimabilis multitudo interfuit & consensit.

Universi fere Principes Romani Imperii, tàm Teutonici, quàm Italici, tàm in Urbe, quàm extra Urbem interfuerunt, & assensum cum ingenti desiderio præbuerunt.

33. Hoc Concilium tota exoptavit Europa; fuitque illud refertissimum omnis Statûs viris clarissimis & eximiis: Et quorum intererat tàm autoritate Imperatoris, Regum, Principumque, quâ pollebant; quam doctrinâ & sacrorum Canonum peritiâ tot Archi-Episcoporum, Episcoporum, Abbatum, Theologorum, Religiosorum; qui legitimum à legitimo Pastore Ecclesia discernebant; unire dilaceratam in schismata Ecclesiam DEI. Nihilominus tamen per fatorum & descripti hujus viri nondum redierat serenitas Ecclesiæ perturbatæ: neque quievit schisma, sed velut à lapsu fortius evasit. Nam eodem ferme Anno aliud Concilium Tholosæ celebratum constitit centum patribus, Franciæ & Angliæ Regibus, quorum protectioni se commendaverat Alexander, illud procurantibus. Ibi auditis per Legatos partibus conclusum fuit in Alexandrum, utpote ante Octavianum ac pluribus suffragiis electum Pontificem, rejecto Anti-Papâ Victore, qui in eodem Concilio, unà cum suis fautoribus planè censurâ Ecclesiasticâ percussus, ac Concilium Papiense velut conciliabulum iniquitatis condamnatum fuit.

34. Miserandum profectò erat videre altare, in altare insurgere; ac tunicam Christi tantopere discindi, dividique, cui olim veluti figuræ nostræ Ecclesiæ, ipsi Judæi, quia in consultis erat, parcebant. Cogitavit proindè Augustus, ut aliàs alii Cæsares de Concilio œcumenico generali totius Ecclesiæ: denique illo cum Franciæ Rege ad Byzantium celebrando convenit. Sed hoc in opus (propter absentiam scilicet Alexandri, qui ut Papa humanum subire judicium renuit,) non deducto; DEUS interposuit vices suas, sublato è vivis Victore Anti-Papâ. Sic enim no-

minare cum debuimus, quia Alexandrum deinceps, ſine ulteriore vel novâ electione totus Mundus adoravit; licet Cardinales ſchismatici, rurſus alium in Victoris locum ſuffecerint, Paſchalem nimirum III. priùs dictum Guidonem Cremenſem, Cardinalem S. Calixti; quem ipſe Imperator, Aulicorum dolo deceptus, fovit, & protexit adverſus Alexandrum. Immo juramentum pro Antipapâ à quadraginta Epiſcopis Germaniæ in Comitiis Würtzburgenſibus Anno 1163. excepit. Expeditionem deindè, ulturus ſuam & Antipapæ injuriam, in Italiam ſuſcepit, eamque undique populatus, terrore concuſſit, præſertim cum Romanorum civium exercitum adverſus Antipapam monentem, in tempore occurrens tantâ ſtrage fudiſſet Cæſar, quâ majorem nec vetus olim Roma ſenſit, cum ad Cannas Annibal viciſſet. Poſt hæc Romam obſedit, ſeque dedentem occupavit, & fugato Pontifice Alexandro, Paſchalem in S. Sedem D. Petri intruſit acceptâ ab ipſo rurſus Imperii Coronâ. Verum exinde Imperator cui poſt Carolum & Ottonem utrumque Magnum, parem Occidens non habuit, cuique Arma usque ad fines mundi claruêre, & dexteram ipſius Dominus apprehendiſſe credebatur, minùs propitiam ſortem ſenſim expertus, vel manu potius juſtiſſimi vindicis Dei tactus, immani lue, quæ nullam Medicinam ferebat, contaminatum quaſi, totum exercitum amiſit, extinctis ſimul præcipuis belli Ductoribus, viris Principibus, & maximè Epiſcopis Germanis; ut palam videretur, Cœlum aſſumpſiſſe deſolatæ Eccleſiæ cauſam. Inde exterritus, nec tamen contritus animo Cæſar, Germaniam cogitavit; auroque tranſitum per Montferratenſem agrum emit: Premebatur enim undique, conjuratâ in caput ejus omni Italiâ.

35. Suſæ in Subalpinâ terrâ commorantem monuit hoſpes, ut ſine morâ profugeret in Sequannos, petendus aliàs certe ex inſidiis ab hoſte jamjam imminente. Ipſe intereà vario aſtu perſequentes eluſit, ſervo ſæpe ſimilior, quam Domino: ut ipſi erat, jam latitabat, mox fugiebat, parùm diverſabatur inſequentibus ſemper fœderatis, qui extinctum volebant communem hoſtem. Sic neceſſitati ceſſit Cæſar, ut ſeceſſu potius, quam cum periculo

lo insidias declinaret Italiæ; rediturus mox restauratis viribus in necem ipsius.

36. Neque destitit â proposito longiùs; rursus acquietatâ Germaniâ, ac gemino instructus exercitu, comitatus præter alios Principes ab Ottone filio nuper Rege Romanorum, Imperiique Romani successore electo, Italiam populabundus ingressus, & ex præsentiâ tanti Cæsaris sensim imminuto fœdere Lombardico Romam contendit. Cui jam proximus, fugam inde cepisse Papam Alexandrum, & ad Venetos confugisse cognovit. Eò igitur â Friderico armatura omnis directa: & jam Otto classe ingenti septuaginta quinque Triremium Adriaticum littus pulsabat, magno Veneti populi terrore. At jacens quorundam animos Papa erexit, cœleste apprecans Venetis auxilium, dirisque devovens sacrilegam Cæsaris classem. Vota exaudivit Cœlum summi Sacerdotis. Pauci, contra multos præliati: imparati contra instructissimam classem: Urbs unica contra tot Principum & Regnorum Dominum. At non in multitudine, sed in bonâ causâ repositæ sunt victoriæ. Hinc profligatâ fastuosâ illa Germanorum & Italorum classe, mersis triremibus, capto Ottone Classis Archithalasso & primogenito Cæsaris, cum multis aliis Principibus; ovantes redière Veneti in dominantem deinceps, Adriatico mari Urbem ex Alexandri concessione in grati animi contestationem, tanti in se & Ecclesiam totam à Venetis præstiti beneficii. Veneti reciprocè demisse actis gratiis, & Victoriam justæ tantum causæ ac Apostolicæ benedictioni deferentes, obtulerunt Pontifici captivum Ottonem Cæsaris filium. Tum Otto adorato Papâ obtulit sua officia æquè Alexandro ac Venetis Patribus, pollicitusque est victoribus, si eum ex custodiâ dimittent, se procuraturum, ut Cæsar Pater bello finem poneret, indemnisque haberetur Pontifex & Respublica, indeque fore pacem certam Urbi & Italiæ: Quod si verò Pater rejectâ pace in armis perseverare vellet, vel deinceps contraveniret, se, in verbo regio, præstitoque solemni juramento, rursus in custodiam ad Venetos rediturum, spopondit. Adhæc dimissus Otto, Patrem convenit,

&

& recensitâ clade navali, classeque validâ à paucis & imparatis profligatâ, totum hoc malæ & injustæ causæ Patris, quam ordinariè divina solet persequi Nemesis, attribuit. Orare se proinde ipsius Clementiam, ut à persequendo Pontifice desisteret, Pacemque orbi daret, tempus adhuc esse, ubi cum gloriâ finis bello, & cum Romano Pontifice reconciliatio inivi valet. Dubiâ futuri belli aleâ, quis certum eventum sibi polliceatur? Qui si minus prosperè (ut verendum erat ex recessu pristinæ, quam Cæsar habebat) obtingat, actum fore de honoratâ pace, & spe reconciliandi Pontificis. Dicendas cœlitibus gratias, quod in tam diuturno Ecclesiæ Schismate digitus Dei monstraverit in Alexandri personâ suum vicarium, quia tamdiu illum conservavit, & omnium suorum hostium conatus confudit. Æternam Imperatori fore gloriam, si successorem D. Petri in Apostolicum reduceret solium; Hoc uno omnes priores culpas obliteraturus. Valuit filii plurimum apud Patrem oratio, continuoque Fridericus ab armorum studio ad Pacem conversus, reconciliatione ac concordiâ redintegrandâ cum Alexandro & Venetis per suos Legatos egit: nec ita multo post, publicâ fide acceptâ, Fridericus cum Ottone filio, ac frequenti Germanorum Italorumque Procerum comitatu Venetias accessit. Et Alexandrum Pontificem ad D. Marci fores in throno considentem, stipatumque purpuratis Ecclesiæ, & Venetis Patribus supplex convenit, quem manu allevatum Pontifex ad osculum admisit, aggratulante populo omni, redditisque Deo precibus pro tanto Christianæ Reipublicæ beneficio. Hæc etenim per 20. annos continuo schismate turbata, vel prostrata magis, jam non se noverat, cujus esset. Ultimus fuit Calixtus Anti-Papa, qui odoratâ hâc pace mox in ordinem se redegit, renuntiato Papatu, factus Beneventanus Episcopus. Hæc Pax præter Pontificem & Cæsarem alios adhuc Principes comprehendit, & fuit in sequentes articulos digesta Anno 1176. vel ut alii volunt 77.

Justinianus in hist. Verul.

Fridericus Imperator Alexandrum Pontificem in Catholicum & Universalem Pontificem recipiet, ac debitam ei reverentiam adhi-

adhibebit, perinde ac Catholici ipsius anteceſſores Catholicis ejus anteceſſoribus præſtiterunt, eademque Succeſſoribus ejus Catholice viventibus exhibebit.

Reddet veram pacem Alexandro & omnibus Succeſſoribus ejus, & univerſæ Romanæ Eccleſiæ.

Quæcunque poſſidet, aut tenet ſive præfecturam, ſive rem aliam, quam Romana Eccleſia habuit, & ipſe vel per alios abſtulit, bona fide reſtituet, ſalvo omni Jure Romanæ Eccleſiæ, & quasque Poſſeſſiones reſtituet, ad eas etiam retinendas auxilio erit.

Imperator & Pontifex ad honorem & Jura Eccleſiæ atque Imperii conſervanda ſe invicem adjuvabunt. Pontifex ut benignus Pater devotum & cariſſimum filium & Imperatorem Chriſtianiſſimum; Imperator, ut devotus filius & Chriſtianiſſimus Imperator dilectum reverendum Patrem & Beati Petri Vicarium.

Quæ à tempore ſchismatis, vel occaſione ipſius, aut ſine ordine judiciario Eccleſiaſticis ab Imperatore, vel ſuis erepta ſunt, eis reſtituentur.

Beatrix Imperatrix recipiet Alexandrum Pontificem in Catholicum & Venerabilem Pontificem, Henricus Rex filius eorum ſimiliter recipiet eum, atque ei & Catholicis Succeſſoribus ejus debitam reverentiam adhibebit, & Sacramento eodem ſe obſtringet, quo ſe Imperator obſtrinxerit.

Fridericus Imperator & Henricus Rex filius ejus, pacem veram reddent Guilielmo Regi Siciliæ ad annos quindecim, ſicut per ſequeſtres pacis eſt conſtitutum.

Imperatori Conſtantinopolitano, & adjutoribus Eccleſiæ Romanæ, pacem reddent, nec mali quidquam referent per ſe vel per ſuos pro opera Eccleſiæ Romanæ impensâ.

De Controverſiis, quæ ante tempora Hadriani Pontificis inter Eccleſiam & Imperium verſabantur, ſequeſtres ex parte Pontificis & Imperatoris conſtituent, quibus mandabitur, & eas pro arbitrio tranſigant. Quod ſi illi non conſenſerint; judicio ſtabitur Pontificis & Imperatoris, vel eorum, quos illi delegaverint.

Chriſtiano Cancellario Moguntinus Archiepiſcopatus, Philippo Colonienſis concederetur & pleniſſimo jure firmabitur.

Primus Archiepiſcopus, qui in Teutonico Regno vacaverit Conrado Auctoritate Pontificis & Auxilio Imperatoris deferetur, qui idoneus videatur.

Ei, qui ſe Caliſtum appellat, Abbatia tribuetur. Illi, qui dicuntur ejus Cardinales, loca repetent, quæ primum habuerunt, niſi ea ſponte & judicio dimiſerant, & in ordinibus, quos ante ſchisma habuerant, relinquentur.

Gero nunc dictus Alberſtatenſis deponetur, & Ulricus reſtituetur.

Alienationes à Gerone factæ & beneficia data ſimiliter, & ab omnibus intruſis, auctoritate Pontificis & Imperatoris delebuntur & ſuis Eccleſiis reſtituentur.

De electione Brandeburgenſis Epiſcopi, qui in Bremenſem Archiepiſcopatum lectus fuerat, cognoſcetur: & ſi ritè factum fuerit, ad eam Eccleſiam traducetur. Et quæcunque ab Aldevino, qui nunc præeſt Bremenſi Eccleſiæ alienata ſunt, prout rite factum viſum fuerit, eidem Eccleſiæ reſtituentur.

Quæ Salisburgenſi Eccleſiæ tempore ſchismatis adempta ſunt ei plene reddentur.

Omnes Clerici ex Italia, aut aliis regionibus, quæ ſunt extra Teutonicum Regnum diſpoſitionis & judicio Alexandri Pontificis & ſucceſſorum ejus relinquentur. Si vero Imperator rogarit pro Ordinibus aliquorum usque ad decem vel duodecim exaudietur.

Graſſidonius Mantuanus Epiſcopatui quondam ſuo reſtituetur, ita, ut ille, qui nunc eſt Epiſcopus Mantuanus, ad Epiſcopatum Tridentinum traducatur, niſi forte inter Pontificem & Imperatorem convenerit, ut alius ei Epiſcopatus indulgeatur.

Archiepiſcopus de Savo in Archipresbyteratum quondam ſuum, & alia beneficia, quæ ante ſchisma habuit, reſtituetur.

Omnes ordinati à quondam Catholicis in Teutonico Regno reſtituentur ordinibus ſuis ita perceptis.

De

De Argentinenſi & Baſilienſi dictis Epiſcopis, qui ordinati fuerunt à Vidone Gremenſi, in eodem Regno prædicti ſequeſtres, rem committent decem vel octo hominibus, quos ipſi elegerint, qui jurejurando affirmabunt, ſe illud Conſilium Pontifici atque Imperatori daturas, quod ſe juſte dare poſſe, ſine animæ ſuæ, atque ipſorum detrimento ſtatuerint, & Pontifex atque Imperator eorum Conſilio obtemperabit.

Pontifex aut Legatus ejus coronabit Imperatorem Friderícum & Beatricem Impatricem, ac Henricum filium eorum in Catholicum & Romanum Regem.

Pontifex & Cardinales pacem reddent Friderico Imperatori, & Beatrici Imperatrici, & Henrico Regi, filio eorum, & omnibus adjutoribus eorum; Pontifex & omnes Cardinales promittent, ſe obſervaturos hanc pacem in verbo veritatis, & privilegium condent ſigillis ſuis appoſitis.

Pontifex ſubito advocato Concilio, prout ſubito advocari potuerit cum Cardinalibus Epiſcopis, & aliis religioſis hominibus, qui interfuerint, excommunicationem ſtatuet in omnes, qui hanc pacem violare voluerint, deinde in generali Concilio

Plerique Nobilium Romanorum, & Capitaneorum Campaniæ hanc firmabunt.

Imperator pacem cum Eccleſia & pacem cum Rege Siciliæ ad quindecim annos, & inducias cum Lombardis à proximis Calendis Auguſti usque ad ſex annos, firmabit jurejurando ſuo, Principumque ſuorum, mandabitque Lombardos, qui in parte ſua ſunt, prout in tabulis induciarum communibus eſt deſcriptum, eas inducias confirmare, ſi quis vero ex parte Imperatoris has inducias jurare noluerint, Imperator præcipiet omnibus, qui in parte ſua ſunt, pro officio fidelitatis, & gratiæ ſuæ, ut nullum præſtent auxilium, & volentibus offendere, ne Impedimento ſint. Si quis offenderit, culpa vacuus ſit. Nec Mandatum hoc revocabit Imperator, donec induciæ ſtabunt.

Henricus Rex filius ejus pacem cum Eccleſia & cum Rege Siciliæ ad quindecim annos & inducias cum Lombardis ad ſex-

ennium ſcripto confirmabit, ac ſui Principumque ſuorum ſubſcriptione.

Si vero, quod abſit, Pontifex præmoriatur, Fridericus Imperator & Henricus Rex filius ejus hanc formam pacis & compoſitionis firmiter obſervabunt Succeſſoribus ejus, & univerſis Cardinalibus & toti R. E. & Regi Siciliæ & Lombardis, & cæteris qui ſecum ſentiunt. Et ſi, quod abſit, Imperator præmoriatur, Pontifex, & Cardinales, & Eccleſia Romana prædictam pacem firmiter obſervabunt Succeſſori ejus, & Beatrici uxori, & Henrico filio ejus, & omnibus ex Teutonico Regno, & cæteris adjutoribus eorum, & Succeſſores Pontificis ſimiliter obſervabunt.

37. Quarto ab hac pace Anno id eſt 1181. fatis ceſſit Alexander tertius, dubium poſteris reliquit, an immoderatius ille inimicitias cum Friderico exercuiſſet, an fortius illas viciſſet. Sanè & Cæſar à Papâ, & Papa à Cæſare uterque varie petitus, plurima paſſus. Alexandro ſucceſſit Lucius; Lucio Urbanus; cui nulla cum Friderico interceſſit urbanitas. Jamque, ut primum Papa creatus Bononiam, ob Mechtildis D. Petro in patrimonium ceſſa bona, neque eò usque extradita; citaverat Cæſare, & non comparentem excommunicare decreverat; deprecantibus tamen Bononienſibus civibus, ne id in Urbe tentaret, ubi ſervi, Amici, & fidelitatis vinculo tenerentur Friderico. Ideo propoſitum in aliud tempus, locumque tranſtulit, ac Ferrariam abiit Papa. Verum præmortuo ante maledictionis jaculum Urbano, liber evaſit Fridericus; & ſub Urbani ſucceſſore Gregorio VIII. militaturus potius pro Eccleſiâ, locò maledictionis Benedictionem, & ſubinde vitam obeunte Gregorio VIII. planè Crucem ad Aſiaticam expeditionem à Clemente Pontifice, qui ſe plenè reconciliaverat, gloriosè accepit. Adeò manſuetudine magis Apoſtolicâ, quam rigore triumphant Pontifices in Principum animos generoſos.

38. Expeditionem aggreſſus Anno 1189. glorioſius illum geſſit, quam Anteceſſor Conradus. Majore ſiquidem cautelâ ut in primâ

primâ expeditione; Germanorum nimia ſive credulitas, ſive integritas fecit, Græcorum inſidias declinavit, nullâ Græcis habitâ fide. Bis in Helleſponto pugnavit & vicit. Philomelium expugnavit, ibidemque, cum à Saracenis tranſitus negaretur, acriter conflixit, cæſis ſupra ſex Millia hoſtibus, caſtrisque & omnia apparatu bellico à victoribus direpto. Altera ab hâc major, ac propè incredibilis victoria acceſſit gloriæ Friderici. Huic quippe Melichius Saladinus Soldani gener trecenta objecerat millia militum. Cælites obſtupuêre deſuper, miſſo in auxilium Chriſtianis D. Gregorio cum Legione candidâ, quæ exercitui Chriſtiano ex aëre aſſiſtere palam videbatur. In vota proinde vocatis Superis pugnam ſuſcepit decretoriam Fridericus; & Germanorum præcipue virtute, Cæſarisque filio, qui unà cum Patre Crucem ſuſceperat in fronte pugnante, à tergo ipſo Cæſare, totus Barbarorum exercitus internecione confectus, vix cladis inauditæ nuntium habuit, qui tantum victoriæ decus Barbaris referret. Tum ad Iconium per difficillimas vias ac inhoſpita loca ſpoliis onuſtum exercitum traduxit; ibi tertio cum Saracenis congreſſus, vicit: partim cæſo, captivoque hoſte, ac Iconio in victoriæ mercedem accepto. Felix cui militat æther.

39. Demùm Seleuciæ, pondus & æſtum nimium ferens diei & laboris, gravis jam ætate, ſeptuageſimum fermè agens, cum fluminis Cydni vadum probaret, ſeque in ipſo plus æquo detineret & ab æſtu reficeret, planè obriguit, atque ſic mortem oppetiit luctuoſam Chriſtianis, exoptatam Barbaris, Religioni, pro quâ certabat, præmaturam, Europæ inexpectatam, Germaniæ, ſuisque Regnis & Provinciis, ut Petrus Bleſenſis memorat, inconſolabiliter deflendam: Beatam attamen ſibi, quia moriens benedixit Deo, à quo per aquam regeneratus, & per aquam de Mundo vocatus. Sic quem alia fata nequiêre, rapuit unda. Abluit in hâc nævos, quos fragilitate humanâ contraxit. In æſtûs refrigerio deſtitutus eſt calore naturali. Mortis ſortem habuit, quam Alexander Magnus, cui ille animo non inferior fuit, neque Mi-

nora geſſit in vitâ, niſi alterius Alexandri, Papæ nimirum tertii, vaſa in ſe ſemper parata mortis & dirorum, pertimuiſſet.

40. Succeſſores habuit Henricum IV. Philippum I. Ottonem IV. Fridericum II. Conradum IV. quemadmodum Imperii, ita cenſurarum Apoſtolicarum hæredes ob continua videlicet inter Sacerdotium & Imperium diſſidia. Quonam hæc fato? varii in hoc, ut affectus, ita ſenſus ſunt hiſtoricorum. Interceſſit tamen utrimque & nimius Pontificum zelus cum exiguâ, aut propè nullâ Eccleſiæ utilitate: & contumax Imperatorum Animus cum calamitate extremâ Regnorum & Provinciarum, præſertim Italiæ & Germaniæ. Inter præfatos Cæſares, ac Pontifices nulla unquam memorabilis Pacificatio contracta fuit, niſi quorum in ultimo vitæ termino, cereus luſtralis, commovit ſyndereſim ad condignam pœnitentiam ante oſtium æternitatis. Utinam illa tantum ſeria, ſi ſera fuit.

41. Fridericus attamen ſecundus egregiam Bullam de libertate Eccleſiaſticâ ſanxit ſub Innocentio, eamque rurſus poſt ſexennium confirmavit, omnium prædeceſſorum, reverentiæ in Eccleſiam, exempla. Ejus tenor ſequitur:

Regnum noſtrum tunc ſtabiliri confidimus, cum altiſſimum, de cujus manu ea, quæ poſſidemus, bona recepimus, honoramus. Tanto enim domino, qui bona tribuit nobis, ad offerendas hoſtias operis & devotionis adſtringimur, quanto ipſum miſericordem in nobis & mirabilem experimur. Cognoſcentes igitur gratiam, quæ data eſt nobis ab ipſo: habentes quoque præ oculis immenſa & innumera beneficia veſtra, Domine & reverendiſſime Pater, Protector & benefactor noſter Domine, Innocenti, Dei gratia ſumme Pontifex venerande, per cujus beneficium, operam, & tutelam aliti ſumus, protecti pariter & promoti, poſtquam in ſollicitudinem noſtram mater noſtra, felicis memoriæ, Conſtantia Imperatrix & Siciliæ Regina ex ipſo quaſi utero nos jactavit vobis, beatiſſime Pater & omnibus Succeſſoribus veſtris Catholicis, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ ſpeciali matri noſtræ, omnem obedientiam, honorificentiam, atque reverentiam ſemper

per humili corde ac devoto ſpiritu impendimus, quam prædeceſſores noſtri Reges & Imperatores Catholici veſtris anteceſſoribus impendiſſe noſcuntur, nihil exindè volentes diminui, ſed magis augeri, ut major devotio eniteſcat.

Illum igitur volentes abolere abuſum, quem quidam prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dignoſcuntur, decretum in electionibus Prælatorum: concedimus & ſancimus, ut electiones Prælatorum liberè & canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum vel major & ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil deſit ei de Canonicis inſtitutis.

Appellationes autem in negotiis & cauſis Eccleſiaſticis ad Sedem Apoſtolicam libere fiant; earum perſecutionem ſive proceſſum nullus impedire præſumat.

Illum quoque dimittimus & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium noſtri conſueverunt anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia nos ſpiritualia vobis & aliis Eccleſiarum Prælatis relinquimus, liberè diſponenda, ut quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ *DEI DEO*, recta diſtributione reddantur.

Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errores auxilium dabimus & operam efficacem.

Poſſeſſiones etiam, quas Eccleſia Romana recuperavit, ab anteceſſoribus noſtris, ſeu quibuslibet aliis detentas, liberas & quietas ſibi dimittimus, & ipſam ad eas obtinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas verò nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjutores: & quæcunque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate ac morâ eas reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicofano usque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Bertinoris, Exarchatus Ravennæ, Pentopolis, Maſſa Trebaria, cum adjacentibus terris,

ris, & omnibus aliis ad Romanam Eccleſiam pertinentibus, cum omni jurisdictione, diſtrictu, & honore ſuo.

Veruntamen, cum ad recipiendum coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ ab Apoſtolicâ Sede vocati venerimus, de mandato ſummi Pontificis recipiemus procurationes fodrum ab ipſis.

Omnia igitur ſupradicta, & quæcunque alia pertinent ad Romanam Eccleſiam, de voluntate & conſcientiâ, conſilio & conſenſu Principum Imperii libere illi dimittimus, renuntiamus, & reſtituimus, nec non ad omnem ſcrupulum removendum, prout melius valet & efficacius intelligi, concedimus, conferimus, donamus, ut ſublata omnis contentionis & deſſenſionis materiâ, firma pax & plena concordia in perpetuum inter Eccleſiam & Imperium perſeverent.

Adjutores etiam erimus ad retinendum, & ad defendendum Eccleſiæ Romanæ Regnum Siciliæ, cum omnibus ad ipſum ſpectantibus, tàm citra Pharum, quam ultra, nec non Corſicam & Sardiniam, ac cætera jura, quæ ad eam pertinere noſcuntur, tanquam devotus filius & Catholicus Princeps.

Ut autem hæc omnia memorato Sanctiſſimo Patri noſtro, Domino Innocentio, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici : ejusque ſucceſſoribus per nos & noſtras ſucceſſores Romanorum Reges & Imperatores obſervantur, firma & inconvulſa ſemper permaneant ; præſens privilegium conſcriptum Majeſtatis noſtræ aurea bullâ juſſimus communiri.

Acta ſunt hæc Anno Domini noſtri JESU CHRISTI milleſimo ducenteſimo decimo tertio indictione prima, regnante Domino Friderico ſecundo Romanorum Rege glorioſo & Rege Siciliæ anno Regni ejus Romani Primo, Regni verò ejus Siciliæ decimo ſexto.

42. Friderico exauctorato in Lugdunenſi Concilio Wilhelmus Hollandus in Antagoniſtam Imperii, à Pontifice Imperii Electoribus ſuggeſtus, Imperium quidem obtinuit, ſed usque dum Fridericus viveret, ſine obſequio.

43. Bel-

43. Belli Fortunâ, antequam regnaret felix, ſuſcepto Imperio infelix, nil memorabile, præter illud privatum bellum, ære Imperii & Eccleſiæ adverſus ſuos Friſones ſuſceptum geſſit. Verum à Friſiis, qui latebant in inſidiis, cum Cæſar in glacie caderet, cæſus, ſuccumbere debuit iis, quorum Victor ante fuit, mutato in tumulum triumpho, Anno videlicet 1248.

44. Poſt hunc tres extiterunt Candidati Imperialis ſolii. Conradinus Sueviæ Dux & Regnorum Siciliæ & Neapolis Hæres legitimus. Richardus ex Principibus Angliæ Cornubiæ Comes. Alphonſus Sapiens Caſtellæ & Legionis Rex. Conradino obſtitit Pontifex Alexander, qui Archi-Epiſcopo Moguntino ſub pœnâ excommunicationis, quam ex tunc in eum proferebat, diſtrictè præcepit, ne ullatenus Conradinum nominare, eligere vel in ejus electionem conſentire auderet. Eodemque excommunicationis laqueo cæteros quoque Electores, ſi ſecùs agerent, adſtrinxit: ut conſtat ex ejus Epiſtolâ, quâ excluſum volebat Conradinum, nullâ alterius delicti culpâ reum, quam quod nobiliſſimus iſte ſurculus, ex Imperatorio Suevorum Principum ſanguine oriundus eſſet. Hæc illi erat macula originalis, prognatum fuiſſe ex ſtirpe Pontificibus invisâ.

45. Richardus auro Angelico corruptis Moguntini, Colonienſis, & Ludovici Severi ſuffragiis, coronatus eſt Anno 1257. at contra hunc elegerunt cæteri Electores Principes, cum Trevirenſi Antiſtite Alphonſum Caſtellæ & Legionis Regem, qui genus maternum à Germanis derivabat. Verum non multo poſt Richardo in bello contra Gallos ſagittâ læthaliter icto, ac Alphonſo, ut à capeſſendo Imperio deſiſteret, à Papâ ſive perſuaſo, ſive excommunicatione territo, vacabat exindè 20. & ſupra Annos Imperium Romano-Germanicum diviſum in ſe, Anarchicum magis, quam Politicum, latrociniis paſſim intutum, Tyrannide potentiorum Principum oppreſſum; usque dum Rudolphus Habſpurgicus competentibus duobus æmulis Bernardo Carinthiano Duce & Alberto Seniore Comite ab Electoribus Imperii etiam abſens in Imperatorem, & quidem, præter Bohemum,

unanimi Principum ac Ordinum Imperii conſenſu electus, illud iterum ingenti curâ & applicatione priſtino decori reſtitueret.

46. Primum adortus latrones, quos partim Imperii ſolo expulit, innumeros verò furca mulctavit : tum eos, qui inter Regni tempore pacem publicam turbabant, ac debiliores tyrannicè opprimebant, quales erant Eberhardus rixoſus, Marchiones Badenſes, Henricus Bavarus, Fryburgenſes & Neoburgenſes Comites, præcipuè Ottocarus Rex Bohemus, armis devicit, ſibique ſupplices, ut pacem precarentur, adegit.

47. Sub hoc Imperatore primùm cœperunt reſpirare Pontifices, immo creſcere. Ille enim Prædeceſſorum ſuorum veſtigiis territus, maluit res Italicas per Vicarios componere, quam ipſe adire, reſtituendæ magis Germaniæ, quam ſubigendæ Italiæ intentus. Immò dicebat : Multos Alemanorum Reges Italia conſumpſit : non ibo Romam. Rex ſum ; Imperator ſum : nec minus pro utilitate Reipublicæ acturum me confido, quam ſi fuiſſem Romæ coronatus.

48. Exarchatum proindè Ravennæ renuntiavit Eccleſiæ, & quæ olim Pontifices ab Imperatoribus ſibi donata in Italiæ partibus jactabant, diſſimulavit Rudolphus, ratamque habuit donationem eorum, quæ armis revindicare neque retinere valebat.

Et cum ejusmodi citra Ordinum Imperii conſenſum haud fieri queant, impetravit ab Electoribus diploma, quo ratificatur donatio Pontifici Romano à Rudolpho Imperatore renovata, hujus ferme tenoris :

Ludovicus DEI gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ ; Joannes & Adalbertus Duces Saxoniæ ; Otto Marchio Brandenburgenſis, univerſis præſentem paginam inſpecturis ſalutem in auctore ſalutis.

Ut igitur omnis materia diſſenſionis & ſcandali, ſeu etiam rancoris occaſio inter ipſam Eccleſiam & Imperium auferantur, & duo gladii in domo Domini conſtitui, debito fœdere copulati ſeipſos exerceant, ut utilem reformationem regiminis univerſi, & nos in actu voluntatis, & operis inveniamur filii devotionis

&

& pacis, qui tàm Ecclesiam, quam Imperium conservare tenemur : quidquid per Dominum nostrum Rudolphum, DEI gratia Romanorum Regem, semper Augustum, sanctissimo Patri & Domino nostro Nicolao Papæ III. ejusdemque successoribus, & ipsi Romanæ Ecclesiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innovatum, denuo donatum, declaratum sivè concessum, juratum & actum, seu factum est per privilegia, vel quæcunque alia privilegia quorumcunque tenorum super recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innovationibus, confirmationibus, donationibus, concessionibus & factis seu gestis tàm aliorum Imperatorum & Regum Romanorum, prædecessorum Regis ejusdem, quam ipsius Regis super felicitate obedientia, honorificentia per Romanos Imperatores & Reges Romanis Pontificibus, & ipsi Ecclesiæ impendendis, ac possessionibus, honoribus & juribus ejusdem Ecclesiæ & nominatim super totam terram, quæ est à Radicofano usque Ceperarum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, terra comitissæ Mathildis, civitate Ravennæ & Æmilia, Bobio, Cesena, Foropopuli, Forolivii, Faventia, Imola, Bononia, Ferraria, Comachio, Adrianis, atque Gabello, Arimino, Urbino, Monteferetro, Territorio Balnensi, Comitatu Brectonorii, Exarchatu Ravennæ, Pentapoli, Massa Trabaria cum adjicientibus terris suis, & omnibus aliis ad prædictam Ecclesiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis, atque Insulis in terra marique, Provinciis, Civitatibus, territoriis ad prædicta quoquo modo spectantibus, nec non super Civitate Romana, & Regno Siciliæ, cum omnibus ad eam spectantibus tàm citra Pharum, quam ultra Corsica quoque atque Sardinia & cæteris terris ac juribus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus nos nostri nomine principatus in omnibus, & per omnia approbamus & ratificamus, ac iisdem omnibus & singulis, & quibuscunque aliis super iisdem per eundem Regem quomodo factis & imposterum facientibus voluntatem nostram, assensum, atque consensum, unanimiter atque concorditer exhibemus, & promittimus, quod contra promissa, vel aliquod promissorum nullo

unquam tempore veniemus, sed ea omnia & singula pro posse nostro procurabimus inviolabiliter observari. Et ut hæc nostra voluntas, approbatio, ratificatio, assensus, consensus, atque promissio à nobis eisdem Romanis Pontificibus & Ecclesiæ in perpetuum observentur, hoc præsens scriptum indè fieri fecimus, nostrorumque sigillorum munimine roboratum.

Actum & datum anno Domini millesimo ducentesimo, septuagesimo nono, decimo quarto Kalend. Aprilis, indictione septima regnante, prædicto Domino nostro Rudolpho Romanorum Rege glorioso, Regni ejus anno sexto.

49. Anno 1291. successit Rudolpho Habspurgico, Adolphus Nassovius in Occidentis Imperio. Hunc acie vicit, & confecit Albertus I. Austriacus Rudolphi Habspurgici filius. Solium in Victoriæ mercedem occupavit Anno 1298. Electus legitimè, & coronatus à Principibus Electoribus. Patris exemplo nihil hostile in Italiam movit, neque Romæ Coronam quæsivit, quam nemine refragante pleno jure domi habuit. Sed missis eò Legatis, loco benedictionis Apostolicæ, Anathema maledictionis obtinuit protestante nimirum Bonifacio VIII. Pontifice contra Albertum veluti Parricidam, & per sanguinem Adolphi evectum ad purpuram, adeò indignum, & incapacem fascium Imperalium. Ideò Electores, qui Cæsaris potentiam suspectam habebant, comitia cogunt, aguntque contra Albertum Apostolicis diris obnoxium. E contra Cæsar comitiorum loco aggreditur terras Electorum, populatur, occupat, sibique, longè inferiores viribus, vincit, subjicit, & in pristinum obsequium redigit: non amplius reclamante Pontifice; qui indignationem in Albertum, necessitate Gallicæ persecutionis compulsus, exuerat, & ultrò Imperatorem declaraverat, spe fretus, quod iste contra Regem Franciæ Philippum pulchrum excommunicatum sibi auxilia laturus esset, oblato planè in mercedem Galliæ Regno. Posteaquam enim Bonifacius VIII. Philippum pulchrum Regem Franciæ (ut scribit Ciaconius in vitis Pontificum,) irritatus ab hoc diversis injuriis & contumaciâ delicti, in publico consistorio maximâ hominum fre-

frequentiâ excommunicatum Regno privaſſet, ſciſcitatus eſt, an cum Francorum Rege Cæſar Albertus confœderationem haberet aliquam: cum nullam eſſe Legatus aſſeruiſſet, Papa abſolutionem illi imperiit, & ei Francorum Regnum donavit. Adeò in utramque partem dirorum juſtitia ſe flectebat, ut excommunicatus in excommunicatum agere juberetur. Verum Albertus, nec Pontificia illa autoritas exauctorandi Regnis Reges in exemplum abiret, negavit Bonifacio arma in Galliam ſibi amicam, nolens alienâ ruinâ, ſuum vel firmare, vel augere ſolium. Cauſa autem converſionis inter Philippum Regem & Bonifacium Papam bellum fecit Flandricum, & ex hoc diſſidium inter Pontificem & Regem. Arbiter enim erat Bonifacius inter Flandrum & Anglum ex unâ, & Philippum ex alterâ parte; ſed ex Arbitro in judicem ordinarium deflectens, miſit in Galliam Legatos, qui Regi imperarent protractionem Induciarum, quæ intereà expiraverant; donec de jure utriusque partis cognoſceret.

50. At Philippus Regiâ primùm manſuetudine reſpondit Legato, ſe promptum Apoſtolicæ Sedi obtemperare in iis, quæ ad animam pertinent; at quantum ad Regni ſui adminiſtrationem, neminem eſſe mortalium, quem ſuperiorem agnoſceret. Unum eſſe DEUM, cui ſubjectus foret, ab eo uno Regnum ſibi commiſſum; illi uni Regni benè aut ſecùs geſti rationem conſtare. Ideò Pontificis juſſa detrectans, bellum in Flandros acriùs renovat, vincit; immò ſpe veniæ ad genua provolutos filios cum patre, Flandriæ Comite, carceri mancipat, occupatis fermè omnibus Nobiliſſimæ Flandriæ ditionibus. Sic Rex Papam Arbitrum pacis voluit: ſic judicem renuit: ſic negavit Bonifacio temporale Dominum, quod uſurpare ille in Regnum, Regemque ſuo judicio mancipare tentabat: ſic denique Regum Majeſtatem, dominiumque ſæculi facto ipſo, libertati aſſeruit.

51. Quantum hoc faſtidii tulerit Bonifacio, eventus proximè docebit. Regni ſiquidem per Nuntium ſuum Apamienſem Epiſcopum Bernardum imperat bellum ſacrum, vetat decimas, abdicandumque ſecùs Regem, comminatur. Exhorruit ad inſue-

ta Rex, & Nuntium Papæ, velut captivum in vinculis detinuit. Desuper autem Bonifacius novis & asperioribus literis Regem & Magnates in acerbissimam iracundiam impulit, nullo prætermisso exterminandi Regem modo. Nam præter Flandros & Anglos, ipsum Cæsarem Albertum in Philippum incendit. Deindè totam planè Galliam interdixit sacris, Regem Regno exauctoravit, & illud primo occupanti consignavit. Res Gallis inaudita, neque toleranda videbatur. Abusum hunc exclamabant sacræ potestatis : ad concilium futurum provocabant, & vindictam comminabantur in Papam ambitione & avaritiâ plenum, ac per fraudem in solium evectum. Agebat tunc Bonifacius Anagniæ in patrio solo, ibi à Guilielmo Nograto Regis tribuno, quem Scarra Columnensis & Gibellini occultè adjuvabant circumventus, capitur, dilapsis Cardinalibus, direpto palatio, in quod congesta multa gaza & luculenta pecunia. Romam postea ductus non multis post diebus ob animi æstum ac dolorem febri contabuit. Hujus Successor Benedictus XI. & Regnum & Regem absolvit ab Anathemate, ac omnia in integrum restituit, Apostolicam mansuetudinem longè plus appretians, quam dirorum auctoritatem.

Bufierès lib. 9.

Idem ibidem.

52. Anno 1308. demortuo Alberto Henricus VI. Lucelburgicus in Imperatorem electus, adivit Italiam pro coronâ Imperii, quam in Basilicâ D. Petri ob factiones Romanorum nequiit, accepit in Laterano, non à Papâ, sed hujus nomine à Cardinalibus. Cum verò hi fidelitatis juramentum, ut præstaret Cæsar Pontifici, exigerent ; animo verè Regio respondit : Nova exemplì res est, nec usurpata antecessorum meorum temporibus, Principem Principum, ac orbis terrarum Dominum servo Papæ servorum fidelitatis juramento obstringi. Renuit itaque hoc, hujusque loco juravit defensionem Romanæ Ecclesiæ.

Palatius lib. 22. cap. 11.

53. Anno 1314. divisum in duos Cæsares, Fridericum Austriacum, & Ludovicum Bavarum occidentale Imperium, coaluit tunc, cum infelix Fridericus ab æmulo prælio victus, caperetur ; interea administrante Victore Ludovico, unâ, solâ, & plenâ potesta-

testate Imperium. An ad sui ? ad Pontificum ruinam ? difficile quidem judicium est, hoc attamen Orbi manifestum, interdictum sacris mortuum, pœnitentem, nec tamen compotem veniæ : Exauctoratum, ad suggestiones magis Galliæ & Siciliæ Regum, quam ex voluntate Papæ & Procerum Imperii : ruinâ tandem obrutum suâ, quam parabat Vicario Christi : insepultum, cui usque ad Inferos non pepercêre claves Apostolicæ.

Quid porrò in Ecclesiæ caput attentavit Ludovicus ? cur pœnitens non absolutus ? in substantiâ non dissident historici. Rem scitu dignam paucis aperio.

54. Mortuo Friderico collegâ Imperii, ejusque Fratre Leopoldo, hoste Bavari ad extremum usque vitæ pertinacissimo; & tertio Fratre Ottone viginti aureorum millibus pacificato, cum jam neminem haberet Ludovicus, quam metueret; bellum movit in Pontificem occupandæ Italiæ ob disturbia, tunc inter duos litigantes Cæsares, intentum. Vocatus ab Italiæ Præfectis: quales erant apud Romanos Scarra Columna : apud Insubres & Ligures Vice-Comes Matthæus : apud Pisanos Uguzius Fagiolanus : apud Veronenses Magnur Canis : apud Lucenses Castrucius aliique apud Gibellinos factionis Duces, qui invicem fœderati aliunde contra Guelphos Imperatoris partes sequebantur. Hi, licet multi tamen vix sufficiebant Pontificis factioni in Italiâ reprimendæ. Ubi verò Ludovici miles Italiæ terram pulsavit, alia quamprimum scena sese aperuit invisa Pontifici, Joanni XII. qui ab excessu Clementis, vacante per biennium Ecclesiâ, (teste Gallico scriptore Bussieres,) dicebatur, per fraudem irrepsisse in solium, persuasâ Cœlestino Pontifici abdicatione; reverâ ope Caroli Neapolis Regis, spe factâ recuperandæ Siciliæ tiaram sacram induerat. Expavêre tunc Pontifex, ejusque fœderati, Guelphorum item factio ad Germaniæ sonitum armorum. Cum autem se impares agnoscerent, sepositis illicò armis ad dira remedia recurrêre : vicariatu, nimirum Imperii in Italiâ, sublato, per Pontificem prætendentem, vacante Imperio (sicut tunc ille æstimabat fuisse per obitum Henrici Lucemburgici, nec in id

lib. 9. hist. Franç.

id tempus confirmatam Ludovici electionem,) judicium omne, Regimenque Imperii ad Pontificem devolvi. Quapropter omnes, qui vel antiquo jure vicarii, & terrarum Imperii nomine in Italiâ Præfecti ; vel novo eò deſtinati, vel deſtinandi fuerant, anathemate ſacro damnavit. Deindè monitorium in ipſum Cæſarem Ludovicum graviſſimis verbis intonuit, &, ut reſipiſceret, Imperiique habenas, donec de alio conſtaret Imperatore, ſibi extraderet, ſpatium trium menſium conceſſit.

55. Super his anguſtiatus Cæſar Legatos Avenionem ad Pontificem ablegat, rationem certiorem de omnibus reddituros. At Romæ præter exclamationes aliud nihil audiêre, neque reduces domum quidpiam retulêre; quam novum, acriusque monitorium cum dilatione duorum menſium, & proceſſum in Germaniam miſſum, quo exigebat Papa Joannes caſſationem electionis Ludovici ; & Inter-Regni tempore Imperii jurisdictionem ac Regimen liberum. Elapſo tandem ſpatio duorum menſium *in Chamo & fræno* (verba ſunt ipſius Pontificis,) *maxillas illius*, id eſt Ludovici, *conſtringens* ; ferale dirorum fulmen, veluti in ſibi contumacem Ludovicum, renuentemque extradere ſibi jura Imperii, non ſolum ejaculatus eſt, ſed etiam, ipſo Imperio, ac Statibus ſuis privavit ; atque ab omni fidelium communione ſegregavit.

56. Quod quantum totam Europam perculerit, alii acerbè exclamant hiſtorici. Alii autem, ut Nauclerus, ſcribunt: proceſſus iſtos à multis invalidos fuiſſe reputatos, & famam fuiſſe, eosdem examinatos à Doctoribus utriusque juris, qui judicabant eos penitùs non valere. Academia quoque Lutetiana proceſſum illum nullius roboris & Heteroclitum pronuntiavit.

57. Ideò appellavit Ludovicus contra Papam ad Concilium generale, quod etiam alii Imperatores, Reges & Principes ſæpe feciſſe quidem compertum eſt, ſed plerumque malâ ſorte. In hoc tamen, ſi perſtitiſſet Ludovicus, favorem habuiſſet probabilis ſententiæ. Verum irâ præceps, ac conſiliis peſſimis innitens, edictum inſolitum, in quo non agnoſcebat Papam, ſed Lupum

pum in ovili Christi, Satanam, qui tentaret fideles; Pharisæum, Profanatorem juris gentium & naturæ, belluam multorum capitum, monstrum biceps, Osorem Christianæ caritatis, & Antiambulonem Anti-Christi compellabat, ad omnium Christianitatis locorum valvas affigi jussit.

58. Deinceps cum Romam veniisset Cæsar, à Romanis, nimirum vocatus, ut orbatæ Pontificatu Romanæ Ecclesiæ (nam continuò Avenione degebat Papa) splendorem restitueret; indignam planè sententiam contra Joannem XXII. tulit; & præter millenas in eum exscreatas calumnias; Sede & Cathedrâ Apostolicâ, substituto in ejus locum Petro Corbario, privavit. Res vix unquam auditi exempli!

59. Româ in Germaniam redux Imperator mitiora meditabatur, vel tot infectationibus lassus, vel divino lumine perfusus & ad meliorem vitæ frugem commotus. Cum primum enim ille patrium solum deoscularetur, magnificum illicò Deiparæ templum erexit, ut vel ad aram illius, quæ refugium est peccatorum, pœnitere disceret. Insuper ut Eleemosynis redimeret perpetrata multoties, præsertim in Vicarium Christi, crimina; Monasterium Etalense fundavit largissimis ab eo proventibus provisum: Undè viginti viri DEO sacrati sub regulâ D. Benedicti; & tredecim torquati equites, post emerita stipendia, cum suis uxoribus DEO commodè, sibique quietè, remoti à curis sæculi, vivere possent.

60. Deindè placando Pontifici omnibus viribus incubuit, & mediatorem in Joanne Bohemiæ Rege quæsivit. Invenit quidem hunc sub initium fidelem, propitiumque suis rebus apud Papam; nisi posteà candorem Regiæ fidei in Bohemo corrupisset ambitus Imperii. Ubi enim iste, ut Ludovici vicarium ageret, descendisset in Italiam magis vel rem suam, vel Filii Caroli egit, affectans alienum Imperium, quod cum bonâ fide quærere aut assequi nequibat. Hoc quippè certum, quod tractu temporis filius Joannis Bohemi Carolus cum Papâ in Ludovicum conspiraverit, pactis cum eo initis, ac emptis Electorum suffragiis.

61. Verum ad Ludovicum redeo. Is primâ Pontificis repulsâ, quam iſte Mediatori Bohemo dederat, non territus; novâ rurſus tentat Legatione expugnare indignationem Papæ. Miſerat igitur Cancellarium ſuum Udalricum, & Canonicum Eychſtatenſem Arnoldum cum plenâ potentiâ; nullam, nimirum, defugiendi Pacis occaſionem, quæ ſalvo Imperio & honore admitti poſſet. Hæc cum ſine fructu rurſus abiret, exigente nimirum Pontifice, ut Imperium priùs abdicaret, quod planè jam meditabatur Ludovicus, dummodo illud Henrico Nepoti reſignare valeret.

62. Igitur jam tertiam Legationem repetiit per Comitem Oetingenſem, qui Ottonem & Archiduces Auſtriæ ſequeſtres Pacis Pontifici offerret. Hi cum omnia, quæ vellet, Cæſaris nomine pollicerentur Joanni; Supplicanti Ludovico nullum tamen invenêre Clementiæ locum.

63. Intereà animo coquebat Papa de ſubſtituendo novo Imperatore Germaniæ: Sed veſpere prævio, quam dies illuceſceret deſtinatus Cardinalium conſiſtorio tractandi ex Arcano hoc cum Papâ negotium, malè ſentiens, maturiùs ſolito lectum ingreſſus, ex quo non egreſſus, usque dum vita cum ventris profluvio, effluxiſſet. Anno videlicet ſalutis 1334. Iram duntaxat tunc ſedavit, cum amplius Ludovico nocere non valuit. Dotibus animi plurimis, aliis Pontificibus ſuperior, Ambitionis tamen ob affectatum Imperium rerumque ſæcularium arbitrium; & avaritiæ ob relictum viginti quinque millionum aurum rude, inſimulabatur. Acrior, quam parfuit, Autoritatis Eccleſiaſticæ Zelotes, ac dirorum fulminator continuus. Adeò, ut etiam ſub hoc Pontifice Galliæ Principes & Judices queri coram Rege ſuo auderent: Eccleſiaſticos in alienam Jurisdictionem invadere, nullam eſſe litem, quam non occuparent, immiſceere ſe omnium cauſis, ſontes etiam, immò inſontes in forum ſuum vocare, & ſpecie ſacri fulminis, quod vibrarent, perturbare ſingulorum res, atque familias: & telum, quod commiſſum in ſacrarum rerum tutelam foret, in profanas impendi, uſu juſtitiæ ſusque deque con-

conceſſo. Optima, me Caſtor, rerum Harmonia foret; Si nec Cæſar Sacerdotii, nec Pontifex Imperii jura invaderet.

64. Ad rem regredior. Videbatur Ludovicus defuncto Joanne nonnihil reſpiraſſe in ſpem meliorem veniæ toties ſuſpiratæ, ſemper procraſtinatæ. Novus ſiquidem Pontifex Benedictus XII. Ludovicum, jam & alias ad omnia promptum humilemque non ſolum ad novam pœnitentiam invitabat, ſed ejus planè cauſam, quam Cæſaris Legati luculentâ humilitate exponebant, in Conſiſtorio coram Cardinalibus, & in præſentia Legatorum Franciæ & Siciliæ veluti Advocatus, ex Indice factus, ſtrenuè agebat, eâ animi conſtantiâ, ut adverſa ſentientibus palâm objiceret: *Quidquid Ludovicus fecit, quaſi provocatus fecit. Ipſe cum baculo veniſſet ad pedes Prædeceſſoris noſtri, ſi voluiſſet, ſed ipſe noluit eum recipere.* Hinc abſolutio Cæſaris proximè ſperabatur. At veluti fulgetrum, quod majores tempeſtates præſagit, evanuit omnis ſpes veniæ. Ratio nimirum Statûs intervenerat peſſumdans Apoſtolicam manſuetudinem. Franciæ ſiquidem Rex, & Robertus Siciliæ miſſis ad Papam Benedictum Legatis proteſtabantur contra Ludovicum, & impetebant Pontificem: Erroneum eſſe tantum hæreſiarcham, qualis Ludovicus erat, præficere Imperio Romano, ubi ſedes eſt veræ fidei. Papam cavere debere, ne fautor Hæreticorum dicatur, & plura ejusmodi.

Bzovius apud Palatium i. 34.

Albert. Argent. & Bzovius.

Albertus Argent. in Chron.

Quantumcunque autem Benedictus aſſereret, *ſe meliora pacta ab ipſo Ludovico, pro prædictis Regibus, eorum Regnis & poſteris extracturum, quam ſi eum in turri tenerent:* Nihil attamen profecit bonus paſtor & Advocatus errabundæ Ovis, ubique prævalente ratione Statûs, quam adverſæ partis fautores Cardinales continuò ſuggerebant Pontifici: *Inconſultum* videlicet *eſſe ſedi, ſi propter impotentem & inopem, tot Principes offenſaret.* Sic Cardinales Papam pro tunc ab abſolutione Ludovici retraxerunt. Sic dato alio termino deliberationis Legati Cæſaris infecto negotio ſunt reverſi.

65. Ad extremum extrema arripuit Ludovicus, ſeque in prolixâ, quam Pzovius refert, Epiſtolâ Pontifici ad pedes calcandum abjecit,

abjecit, totumque negatum contrito animo dispositioni Apostolicæ resignavit, omnia subiturus, quæ à Sacrâ sede imperarentur. Neque erubuit quævis sivè occulta, sivè patula, quæ contra Pontifices, aliosque perperam, vel machinatus fuerat, vel facto ipso perpetraverat, ultrò confiteri, revocanda revocare, restituenda reddere, eaque agere, quæ maximi pœnitentes vix fecêre. Adeò non erat, quod in Ludovico amplius desiderari posset. Hæc proinde omnia Ludovicus quinta Martii Anno 1336. digessit in Epistolam, eamque commisit viris gravissimis & sapientissimis Benedicto Papæ extradendam cum plenâ potestate concludendi, omniaque, quæ summus sacerdos juberet humillimè subeundi, amplectendi, promittendi. Ad hæc aliud tamen responsi non retulêre, quam quod Papa nullum se è Labyrintho exitum videre dixerit.

66. Nova rursus Anno 1338. Legatio, Episcoporum & Cleri ex toto Imperio nomine, ad Papam instructa, quâ urgebant & obsecrabant absolutionem Ludovici quietemque desolatæ Germaniæ. Nihil tamen obtentum, obserrante ratione Statûs omnem pœnitentiæ januam. Quod ipse Pontifex testatus est, cum nuntios recipisset benigne, & in aurem unius ex illis lacrymabundus conquereretur, quod ad Ludovicum esset inclinatus: sed Rex Franciæ sibi scripserit certis literis, si Bavarum sine ejus voluntate absolveret, pejora sibi fierent, quam Papæ Bonifacio à suis Prædecessoribus essent facta.

67. Obstupuit tunc Europa omnis, præter Gallum Siculum, & Bohemum toties jacuisse ad pedes Pontificis Cæsarem, & nihil meruisse, quam Commiserationis innanes voces. Tantam humilitatem pœnitentis, tot preces Maximorum Principum & Episcoporum non exsuperare potuisse paucorum adversus Ludovicum suggestiones, ipsumque Pontificem, qui Pater deberet esse universorum, tantopere mancipari passionibus Gallorum semper affectantium res Imperii, ac procurantium dissidia Germaniæ.

68. De-

68. Desperata cum omnia vidisset Cæsar, ne se suis subditis suspectum vel hæreseos vel impœnitentiæ redderet: nevè lateret quempiam, cujus fidei aut Religionis esset Cæsar, publicè coram toto populo Francofurti distinctè oravit Pater noster, Ave Maria, & Credo, eâ animi Compunctione, ut auscultantium exprimeret lacrymas: tum professus est, se unicè Christi fidem, quam Sancta Mater Ecclesia sub visibili capite, Christi nimirum vicario in terris, Pontifice, colit, colendamque jubet. Ultro etiam confessus est, se diris Apostolicis obnoxium esse, nec se habere, quod opponeret præter unam innocentiam, quam sub patenti manu DEI custodiendam deponit. Lugubrè non solum erat audire hæc, sed etiam omnium animos commovebat indignitas rei: præ ordinum Imperii, qui se indè graviter offensos dicebant: Nevè hæc tanta Pontificum in res Imperii tentamina in Consequentiam posteris cederent, rescripto publico sanxerunt, quod Bzovius ex Alberico Rosate lib. tertio refert, & apud Palatium libro quarto, ubi hanc Ludovici tragœdiam longè latequè, innixus Bzovii & Alberti Argentinensis Autoritate luculenter describit, invenitur. Ejus tenor est:

69. Licet juris utriusque testimonia manifeste declarent, Imperialem dignitatem & potestatem immediate in filio DEI ab antiquo processisse, & DEUM per Imperatorem, & Reges Mundi jura humano generi aperte tribuisse: & quod Imperator ex sola electione eorum, ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicujus alterius eget Confirmatione seu approbatione: quoniam in terris quoad temporalia non habet superiorem, sed eidem gentes subsunt & nationes: & ipse Dominus Noster JESUS CHRISTUS mandavit, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO reddenda. Quia tamen nonnulli avaritiæ & ambitionis cæcitate ducti & nullius scripturæ intelligentiam habentes sed divertentes à tramite recti sensus in quædam iniqua & prava commenta, & in assertiones detestabiles prorumpunt contra potestatem & auctoritatem Imperialem, & jura Imperatorum, Electorum & aliorum Principum & Imperii fidelium committentes, fallaciter

citer asserentes: Quod Imperialis dignitas & potestas est à Papa, & quod electus in Imperatorem non est verus Imperator, nec Rex, nisi priùs per Papam sive sedem Apostolicam confirmetur, approbetur & coronetur: & per hujusmodi pravas assertiones, & pestifera dogmata hostis antiquus movet lites, jurgia suscitat, contentiones parit, & seditiones procurat. Ideò ad tantum malum evitandum de Consilio & Consensu Electorum, & aliorum Principum Imperii declaramus, quod imperialis dignitas & potestas pendet immediate solo à DEO: & quod de jure & Imperii Consuetudine antiquitus approbata, postquam aliquis eligitur in Imperatorem sive Regem ab Electoribus Imperii concorditer vel majori parte eorundem, statim ex solâ Electione est Rex verus, & Imperator Romanorum censendus & nominandus, & eidem debet ab omnibus Imperio subjectis obediri, & administrandi Jura Imperii, & cætera faciendi, quæ ad Imperatorem verum pertinent, plenariam habet potestatem, nec Papæ sive sedis Apostolicæ, aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, auctoritate indiget vel consensu. Et ea propter hæc in perpetuum valitura lege decernimus, ut electus in Imperatorem concorditer, vel à majori parte Electorum ex sola electione censeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus subjectis Imperio debent obediri, & administrationem & Jurisdictionem Imperialem & Imperialis potestatis plenitudinem habeat, & habere ac obtinere ab omnibus censeatur, & firmiter asseratur. Quicunque autem contra hæc declarata, decreta, vel definita, aut aliquid eorum asserere seu dicere, aut asserentibus seu dicentibus consentire, vel eorum mandatis vel literis, vel præceptis obedire præsumpserint, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratiis, jurisdictionibus, privilegiis & immunitatibus à nobis, vel prædecessoribus nostris eis concessis ex nunc privamus, & ipso jure & facto decernimus esse privatos. Insuper eos crimen læsæ Majestatis committentibus subjacere. Datum in oppido nostro de Frankenfurt, die 8. mensis Augusti, Anno Domini 1338.

70. Por-

70. Porrò Anno 1342. moritur Benedictus Papa, qui Benedictionem tam Ludovico impertiri, quam pacem in Eccleſiâ maxime inter Sacerdotium & Imperium ſtabilire ſatagebat, ſed Gallicis artibus ſive prohibitus, ſive rerum Imperii avidis hominibus intentus, nec illam dare, nec hanc aſſequi voluit unquam. Ejus locum occupavit Clemens ſextus, qui cum omnia dira in Ludovicum exaggeratius, quam antea unquam repetere geſtiret, rurſus pax inter Imperium & Eccleſiam, Cæſarem & Papam connitente in hunc finem omnium tunc proborum virorum ope, pax procurari cœpit, ſed eandem nacta eſt fatalitatem, quam olim referente Alberto Argentinenſi infauſti Conatus Seriem ad Annum 1343. ſciſcitante nimirum per Legatos ſuos Cæſare tam in curiâ Romanâ, quam Franciæ Regem cauſam impedimenti ſalutis ſuæ, cum ille hujus procurandæ tam ſolicitus quam paratus ad omnia eſſet, quæ ſibi vicarius Chriſti imponeret. At Legati utroque loco eandem, eamque veterem Cantilenam audiêre: nempè quod non peteret Ludovicus commodo reconciliari quo deberet. Nuntiisque (prout in mandatis habebant) dicentibus, quod daretur eis forma procuratorii, Papæ placens, ſecundum quam, qualiscunque eſſet, ſe petituros, dicebant. Conceptumque eſt procuratorium turpiſſimum & rigidiſſimum, quod non credebant Ludovicum ſigillaturum, etiamſi captus fuiſſet. Dabatur enim in eos poteſtas, Humberto Delphino, avunculo Principis, item Auguſtenſis & Pabenbergenſis Eccleſiarum præpoſitis, item M. Ulrico Cancellario ſuo, in ſolidum Confitendi omnes errores, & hæreſes, item reſignandi Imperium, nec reſumendi, niſi hoc fieret de gratia Papæ, & ſe ac filios ſuos ac bona, ac ſtatum ſuum in manus voluntatem Papæ ponendi, & multa inſolita faciendi. Verum Princeps mandatum hujusmodi non ſolum ſigillavit, ſed etiam coram tabellione miſſa per Papam, ſe ſervaturum, nec revocaturum juravit. De quo Papa ipſe & Collegium mirabantur, dicentes intra ſe: iſte homo diffidentiâ eſt perplexus. Illisque quatuor procuratoribus juxta formam mandati jurantibus, ac pro articulis injunctionis & pœnitentiæ

denuò

denuò inſtantibus, nec ſine articulis abire volentibus: tandem Papa Conſilio Collegii (ſuggeſtione utiquè Galli) alios articulos, quos Principem facere voluit, & qui non tangebant Perſonam ejus, ſed ſtatum Imperii, aſſignavit. Quibus articulis Principi præſentatis, ipſe eorum copiam univerſis Principibus, præſertim electoribus, & magnis Civitatibus deſtinavit, omnes Principes & Civitates, & oppida totius Alemaniæ ad Parlamentum publicum ſuper ejusmodi facto in Franckfurt convocando. Electores autem Principes, & inferiorum partium Magnates, octo diebus ante hujusmodi terminum Coloniæ convenerunt, hujusmodi articulis ſe opponere concorditer decernentes.

71. Interea Clemens Carolum Marchionem Moraviæ Regis Bohemiæ filium, in Regis Franciæ aula à teneris enutritum, Avenionem evocat. Imperatoremque nominat his inter ſe factis conditionibus: Non modo Ludovici, ſed etiam Avi ſui, Henrici VII. acta in Regem Apuliæ, & Guelphos reſciſſurum: arbitrium & Galliæ Regnum controverſis, Pontifici permiſſurum: Ludovico Bavaro hoſtem futurum: Italiæ populos à fide, Imperatori juratâ, abſoluturum, ut legibus viverent Pontificiis.

72. Verum Carolus nominetenus Imperator, imperium non tenuit, quoad Ludovicus viveret. Cæterum Imperii Principes Electores, poſtquam Anno 1348. miſerè exſpiraſſet animam Ludovicus Cæſar, Wormatiæ congregati palàm imperiali Reſcripto reprobarunt Carolum, veluti aliundè intruſum, eique ſubſtituerunt Eduardum Angliæ Regem. Is vero metu Pontificis illico abdicavit faſces, earumque ſpem fecit Friderico primum Marchioni Miſniæ; Deindè Ludovico Brandeburgico, neutri longam: tandem Günthero Schwarzenburgio, quem jam plenis ſuffragiis Cæſarem crearant Electores: Sed hic ipſe (adeò ex ſolio facilis in ſolum deſcenſus eſt) intra paucillum tempus toxico exſtinctus, ac Francofurti Regio ſplendore tumulatus eſt, ipſo ſpectante Carolo, qui aſtu omnes declinavit æmulorum inſidias, & patientiâ longanimi tandem obtinuit Anno 1349. Imperium novis Electorum ſuffragiis, quæ ille priùs emerat: indeque non

mirum

mirum, quod hac ratione facto venali Imperio, ejus non exiguam partem deinceps distraxerit Expilator magis, quam Augustus dicendus. Olim nihil præter modicum Orientis defuit Imperio, nunc (proh! dolor) nihil possidet præter modicum Occidentis. Etiamnum deflet sub hoc Cæsare aut ignaviter deperditam, aut turpiter divenditam avitam suam libertatem Germania. Deplumatam sub hoc Cæsare, ait Cranzius, aquilam fuisse Imperii, ut in reliquum cæteris animantibus fuerit contemptui, quod enim illa poterit sine pennis? Aliquanto melius actum fuisset cum Imperio, ait idem, si neque Pater neque filius in eo rexissent.

73. Enim vero Anno 1376. in Successorem sibi creari fecit Wenceslaum filium suum, vel monstrum magis triceps ex furore Venere & Baccho conflatum. Licebat tunc cum Ecclesiastico loqui: *Vidi sub sole malum: Vidi stultum positum in dignitate sublimi.* cap. 10. Inducti vel corrupti magis in Wenceslai Electionem Principes Electores, statutis à Carolo cuique in mercedem centum millibus. Quod cum exsolvere nequiret Bohemiæ, aggressus est Carolus Imperii Nervos, non solum oppignoratis optimis Imperii portoriis, sed etiam divenditis sexdecim in Sueviâ, libertate Majestatis gaudentibus, urbibus.

74. Quam Imperii decoctionem egregiè secutus Wenceslaus (non enim solum Genuam Imperii subjectione exsolvit, ac Mediolanum vendidit; sed hinc inde vel mutilavit Imperium, vel ejus jura ignaviter neglexit (occasionem Electoribus indè dedit solio deturbandi publicum Expilatorem, ac de novo providendi Cæsare. Quod & factum Anno 1400.

75. Is Jodocus erat, Moraviæ Marchio, nonagenarius, sexto, post inaugurationem, mense, extinctus. Huic successit Fridericus Brunsuicensis, Princeps summæ spei, sed cui cum vitâ ademit Imperium Moguntinus Antistes, structis insidiis per Waldekium Comitem, à quo in reditum à Comitiis trucidatus dicitur. Sors deinde propitior Germaniæ facta, in tertio constantior fuit Cæsare scilicet: in Ruperto è Bavariæ & Rheni Palatinis Ducibus

orto : Qui Anno eodem inauguratus Cæsar, Italiam subibat armatus, recuperaturus inibi deperdita Imperii jura : sed suorum sive incuriâ, sive seditione remigravit re infectâ. Tandem Anno 1410. ex subitaneo morbo vivere desiit optimus Princeps, qui bonum publicum semper in vitâ prætulit privato.

76. Anno 1414. coronatur Sigismundus Rex Hungariæ, filius Caroli IV. & Wenceslai Imperatorum Frater. Utroque major animo, & exantlatis pro Republicâ laboribus, nulli Antecessorum secundus. Cum primùm throno invectus, nihil æquè in votis habuit, quam ut in omnibus per Romanam Ecclesiam & Imperium nationibus, omnes dissidiorum causas tolleret. Misit Legatos ad Pontifices, ad Episcopos de Ecclesiæ rebus componendis, & de Pontificibus concordandis : nam pro singulari prudentia providebat, felicem Rempublicam Imperii sui esse non posse, nisi Religio esset in summo loco, quæ tum propter Pontificum dissidia, & aliarum Ecclesiasticarum personarum improbitatem, corruptamque vitam, contempta jacebat, multarum piarum conscientiarum pessimo scandalo. Triceps tunc extrinsecùs comparebat Ecclesia sub Joanne XII. & Benedicto XIII. quorum non tam de D. Piscatoris Sede, quam de Principatu, uter urbi imperaret, quæstio fuit.

Mutius lib. Hist.

77. Ad tollendum nefarium schisma Constantiense Concilium instructum. Ibi in fugâ deprehensus Joannes carceri apud Bavariæ Palatinum Ducem mancipatus : Gregorius, ut se ultrò Papali titulo abdicaret, persuasus : Benedictus verò in solio contumax, detrusus est à Patribus Concilii, in ejus locum suffecto Martino V. Romanò ex Columnensium stirpe orto, sic magno labore Cæsaris pax Ecclesiæ data & facta est.

78. Martino successit Eugenius IV. sub quo cœpit ex Decreto Prædecessoris Martini concilium Basileense, quod ægro ferebat animo Eugenius, eò quod totius orbis Christiani Principes, præsertim autem Imperator Sigismundus cum Germaniæ Principibus & Carolus VII. Rex Franciæ cum Gallicano Clero, eò concurrentes, reponerent universam Reipublicæ Christianæ causam

in

in ejus arbitrium. Mutare contendit id Bononiam, sed irrito conatu opponentibus se Imperatore Sigismundo & Patribus Concilii. Verum (ut refert Palatius, & insinuat Platina,) Patres obsecravêre Pontificem, ut à translatione discederet : alioqui jam esse in Constantiensi declaratum, sacrum Concilium in Spiritu Sancto congregatum, in casibus certis habere auctoritatem supra Pontificem. Hinc sibi invicem invehi cœpêre, ille in Concilium, hoc in Pontificem gravi scandalo & fidelium commotione. Non cessavit ideò Imperator apud Pontificem instare, ut sacro Concilio autoritatem impertiretur, revocans translationem. Quod factum, perfecitque, ut Papa, datis desuper literis, translationem revocaret, & Basileensi redderet autoritatem. Desiit posthæc optimus Imperator vivere Anno videlicet 1437. dierum, & pro utrâque Republicâ, Ecclesiasticâ & profanâ, egregiè factorum plenus, sibi in Regna sua & Imperium, suffecto Alberto Austriaco, à cujus posteris deinceps nunquam sublatum est Imperiale diadema: nec auferretur (quod bonis avibus speramus,) quia eadem semper Austriacorum gentis & DEI Ecclesiæ causa est. Albertus cum omnibus pacem coluit, præter Poloniæ Principem Casimirum, cum quo ipsi atrox fuit æmulatio ob Regnum Bohemiæ, quod ille affectabat Ptasconis Dynastæ Bohemi temeritate potiùs, quam ope. Poloni cum se impares Austriacis armis cognoscerent Pacem ab Alberto petiêre. Sed hâc non obtentâ, impetraverunt tamen pro illis Basileenses Legati Inducias, quæ cum vitâ Alberti expirarunt. Obiit enim is Anno salutis 1439. nondum exacto Regnorum suorum biennio, complanctus à tribus nationibus, Hungaris, Bohemis & Germanis. Vitam non longam vixit, sed honorificam : quia unius Anni tractu in tria inauguratus Regna, nomen meruit *Alberti Honorifici*. Albertus, quoad viveret, circa controversias Patrum concilii Basileensis & Pontificem Eugenium quartum (salvâ tamen in sacram sedem devotione,) se de reliquo cum Electoribus & Germaniæ Principibus Neutralem habuit : Ubi interea Carolus VII. Franciæ Rex, cui invisus erat Eugenius, maximo, quo potuit studio patrocinabatur Con-

Palatius lib. 40. &c. Platina in lib. Pontif. fol. 472.

cilio Basileensi ; & è contra Ferrariense, quod velut legitimum oppoſuerat Papa ſeditionis Basileenſibus, reprobabat ; vocato inſuper Burgos Parlamento Principum Epiſcoporum Eccleſiæ Gallicanæ, cum quibusdam Patribus Concilii Basileenſis, ubi conſtitutionem Pragmaticam circa bona vacantia Eccleſiæ (quam modò ajunt Regaliam Franciæ,) renovavit, excogitatam olim à Rege Philippo pulchro in opprobrium Bonifacii octavi, à quo diſſidebat ille, & à Patribus Basileenſibus, flagrante diſſidio, cum Eugenio Papa, confirmatum : ſed quamprimum ab eodem Papa contemnatam, poſtea à Doctoribus Theologis refutatam, recenter autem à Cardinali Sfondrato, Principe Abbate ad S. Gallum, eruditiſſimè impugnatam, quamque nos etiam in libro de Religione intactam non ſivimus.

79. Neque in hoc duntaxat Henrici in Eugenium conſtitit indignatio, verũ etiam appellationes omnes è Regno ſuo ad ipſam ſacram ſedem directas inhibuit, tanquam ſubterfugia iniquam cauſam habentium : collationem quoque beneficiorum, Abbatiarum, Commendarum, ſub prætextu, quod Romæ aut indignis aut inhabilibus, præſertim aut dexteris nec idioma Gallicum, nec morem patrium callentibus, conferrentur, ſibi arrogavit. Inſuper omnem operam apud Basileenſes Patres impendit, ut decreta Concilii ; præſertim verò illud, quo Annatæ Beneficiorum Eccleſiaſticorum, id eſt, reditus unius Anni ſolvi ſoliti Romanæ Curiæ pro bello contra infideles promovendo, negabantur, publicis tabulis evulgarentur. Præ omnibus autem hoc uno excruciabat Rex cor Eugenii, quod illi felicem Anti-Papam opponeret, foveret, neque in illum, jacto cenſuræ fulmine, quidpiam moveretur. Manſit hoc diſſidium inter Imperium Galliæ & Sacerdotium Romanæ Sedis, usque dum fatis fungeretur Eugenius, poſtea ſub Nicolao V. ex æquo & integro compoſitum.

80. Eâ ſiquidem temporum calamitate, ſingulari Numinis providentiâ, conſpirantibus Electorum omnium ſuffragiis, quantumvis abſens, ad ſacri Imperii faſces aſſumptus fuit Fridericus Auſtriacus, Princeps cognomento Pacificus, Erneſti Ferrei verè au-

aureus filius ; quibusdam hoc nomine tertius, aliis quintus dictus Occidentis Imperator.

81. Is pacem diù optatam tulit Ecclesiæ, datis quamprimùm non solum ad Regem Franciæ Henricum III. monitoriis literis, ut à schismate desisteret: sed etiam Amadæi Sabaudi Anti-Papæ Felicis dicti, olim Allobrogum Reguli oblatam filiam cum ampliſſima dote renuit potius, quam in legitimi Pontificis Eugenii exauctorationem in Concilio Basileensi factam, consensisset. Vocatus, rogatus semel & iterum in fœdus contra Papam iniqua quædam molientem, Oratoribus aliud non respondit, quam, se missurum Legatos ad Pontificem, ut meliora meditaretur, pacemque magis colendo, deviantes oves in Ovile reduceret, quam censuris & degradationibus exacerbaret. Abjurato igitur fœdere tanquam impio, & in caput Ecclesiæ perquam scandaloso, Æneam Sylvium ablegavit Romam, comitatum Epistolâ, non tàm credentiali, quam hortatoriâ Pontificem, ut à seditiosis hisce abstineret moliminibus. Quæ Imperatoris litteræ, Æneæque Sylvii, cognomento Picolominei, persuasiones tantum valuêre, ut Calixtus III. à bellorum machinationibus animum reflecteret, gliscentemque dissensionum favillam extingueret.

82. Sed ne tunc quidem Imperatori Friderico contigit diuturna pace frui. Nam quum modo dictus Æneas Sylvius, quondam apud præfatum Imperatorem Magister Epistolarum, cujus ope ab excessu Pontificis Calixti III. Pontificatum maximum sub nomine Pii Secundi adipiscereturr, confisus Imperatoris Friderici privata erga se benevolentia, & eximio erga Sedem Romanam studio, brevi post novi belli semina in Germania sparsit. Dejecto enim Moguntino Episcopo Dieterico Isburgico, in locum ejus Adolpho Nassaensem cooptarat.

83. Caussæ Depositionis Isburgii præcipuè fuerunt, quod acriter adversaretur injustis Pontificum exactionibus, quibus expilabantur Provinciæ prætextu belli Turcici, & quidem Pio, flagitanti juramento se ut obstringeret, quo successores etiam tenerentur, non se convocaturum Imperii septemviros ad com-

munem aliquam, de novo Imperatore eligendo, aut de aliis in Imperio rebus conſtituendis, deliberationem, vel ipſorum Imperatorum aut Septemvirûm mandato, niſi conſiliis prius communicatis cum Pontifice, & hujus voluntate explorata, quod ergo aſſentiri & parere recuſaret.

84. Iſeburgium in cauſa juſta atque ad ſtabiliendam in Imperio publicam concordiam, amoliendasque Pontificiorum machinationum occaſiones ſpectante, defendendum ſuſcepit Fridericus, cognomento Victorioſus, Comes Palatinus ad Rhenum, ea tempeſtate Elector Imperii pro impubere pupillo, Philippo Ludovico, fratris filio, nil veritus anathematis Pontificii terriculamenta. Huic ſeſe ad communem defenſionem conjunxit Ludovicus Bavarus, cognomento Dives. Oderat autem utrumque Imperator, & utrumque caſtigatum cupiebat, etſi, ut iisdem temporibus exiſtimabatur, cauſſam, cui patrocinabantur, tacite non improbaſſet. Cumque robur animi in Friderico, in Bavaro opes pertimeſceret, quem à pecunia ſciebat eſſe inſtructum, impellente à Pontifice aliquot potentes Germaniæ Principes per ſe Friderico infenſos, ipſe quoque iisdem calcaria occulte ſubdidit, ut non tam Iſeburgium, quam hujus defenſores peterent.

85. Conſociarunt ſeſe ergo pro Naſſaenſi Albertus Marchio Brandenburgenſis, Ludovicus Bavarus, cognomento Niger, Carolus Marchio Badenſis & frater hujus Joannes, Epiſcopus Metenſis, Ulricus Comes Würtebergenſis, quem anno proxime præcedente dotem Conjugis Margaretæ Sabaudæ, viduæ quondam Ludovici Palatini à privigno impubere Philippo armis nullo jure repetentem, ſtrenue compeſcuerat.

86. Sed adjuvit DEUS honeſtos & juſtos Friderici conatus in cauſſa meliore, ut quamquam longa inferior eſſet numero militum & apparatu bellico, tamen hoſtes contemtu quodam audacius irruentes fortiter exciperet ac funderet, captis una die, quæ fuit prima Menſis Julii 1461. Principibus tribus, Badenſi, Metenſi & Würtenbergenſi, quos redimentes ſeſe, aliquanto poſt ſub conditione dimiſit, victoriæ laude contentus.

87. In-

87. Interea Pius II. Pontifex Rom. etiam vitam' commutavit cum morte, cui ſucceſſit Paulus II. quem Imperator Fridericus Romæ inviſit. Tandem & pacificus Imperator poſt tot exantlatos ſeditionum motus in vivis eſſe deſiit, Auguſtaleque ſolium reliquit Matthiæ filio ſuo unico. Sub hujus imperio Venetum bellum cœpit, mirabili voluntatum converſione motum à Regibus totius Europæ ad deprimendum faſtum inſolentiæ, ac frenandam audaciam potentiæ Venetæ, inſtinctu Julii Pontificis, qui nuper Joannem Bentivolum ſenem ſeptuagenarium Bononia expulerat. Id bellum in hunc finem deſiit, ut Venetis, quantum ſatis videbatur multatis & compilatis Julius voluntate velut venti flatu ſubito inverſa, aliud indè pro Venetis detexuerit, Regibus ſua ſemper conſilia inſtituentibus ac temperantibus ex uſu ſuo & commodo, & ſanctitatem, veritatem, pietatem juſtitiam, fidem ac religionem fœderum, pactorum conſtantiam in his ſervandis, poſtponentibus ſuæ utilitati, qua metiuntur & æſtimant dignitatem, non curata mutatæ fidei labe, quantumvis indigno tanto ordine auſu.

88. Maximiliani quidem Imperatoris in hoc fœdere conditio eò fuit deterior & iniquior, quam reliquorum, quo æqui juſtique ipſe & fidei pactorumque fuit obſervantior. Nihil enim in eo fucatum, inſidioſum nihil aut ſuſpicax, nihil captioſum aut avarum fuit. Natura enim ad veritatem, candorum, juſtitiam & æqualitatem ferebatur, ac fraudulentas ſimulationes oderat, alienus erat ab injuſta ſævitia & moderationem amabat in omnibus rebus, conſilia dirigebat exquiſito gravique judicio, non ad diſtractiones voluntatum, non ad involvendas res, non ad alendas ſimultates & odia, non ad oppreſſionem & everſionem aliorum, ſed ad concordiam cum ſalute & dignitate Imperii conjunctam.

Cauſſa autem belli Veneti erat, quod illi ipſi Veneti, qui ut ex aliorum ruina & interitu tantum imperium initio condiderant, ita deinceps ex eventu alienæ fortunæ occaſiones amplificandi res ſuas captare atque arripere conſueverant, tunc etiam

im-

immodicam affectantes potentiam, vel potius jam tantam adepti, ut nisi retunderetur, in totam videretur sese Italiam extensum esse Regibus exterminatis. Quod illi ergo de singulorum Regum ditionibus aliquid decerpserant, id Julio Pontifici videbatur armis communibus repetendum esse, ea lege, ne ab armis prius decederetur, quam sua singuli recepissent.

89. Fœdus ergo inter Cæsarem Maximilianum, Julium Pontificem, Ludovicum Gallum, Ferdinandum Hispanum, Alphonsum Ferrariensem initum Camerarique ictum fuit. Ad hoc Maximilianus eo facilius accessit, quia occasionem quærebat ulciscendi illatam sibi priore bello à Venetis Hispanorum & Gallorum ope cladem ad Petram Castellum & ad Cadurium cum à Carnicis Alpibus & ad Tridentinas fauces copiis præmissis, ipse sequi & Romam solemnis renuntiationis causa proficisci constituisset. Qua de re priore anno septimo in conventu Constantiensi cum Principibus Imperii deliberarat. Sed Veneti consilio intellecto quod profectionis eventum metuerent, talem fore, qualis fuerat expeditionis Gallicæ paulo antè iter auxilio confœderatorum totis viribus intercluserunt ac prohibuerunt.

In hoc communi bello præcipuè apud exercitum Maximiliani partes fuerunt Rudolphi Principis Anhaltini ex nobilissima stirpe Ascania ante hoc bellum victoriis præclaris in Hungaria & Geldria partis incluti, ut qui Vincentiam, Veronam & Pataviam recepit, & non procul à Vincentia à Bartholomæo Liviano Venetorum Duce circumventus sit, ut elabi non posse videretur, hoc præmatura & nimis puerilis ferocia Venetos ad lanienam Germanorum spectandam, tanquam ad certam paratamque Victoriam evocante, ita pugnavit, ut Veneto exercitu provida irruptione, sed impetu vehementi dissipato, prostrito, conciso in Bachilionem omnem præceps acto, cum magna Spectatorum parte victoriam reportarit glorioſissimam, nonis Octobris 1513. Desiderata sunt in exercitu Veneto ad novem millia. Ludovicus Galliæ Rex pridie Idus Majas 1509. devictis ad Pandinum vicum Venetis, captoque Liviano, Cremonenses, Bergomates

&

& Brixianos in deditionem accepit. Alphonſus Ferrarienſis Peninſulam Radignam & Ateſte natale ſolum majorum ſuorum, Montagnanam & Montem Silicem ; Julius Arminium, Faventiam, Cerviam & Ravennam ; Ferdinandus Venetis pignori datas ab Arragoniis Apuliæ urbes recepit.

90. His cladibus Veneti affecti, inque difficultates rei numariæ ærario exhauſto terreſtrique Imperio omni perdito conjecti maximas, pacem à Julio Pontifice ſupplices petiverunt, qui cum ſibi abunde ſatisfactum eſſet, ut Gallos Germanosque nihil de ſua in Venetos acerbitate remittentes Italia exturbaret, conceſſa Venetis pace Alphonſo Ferrarienſi etiam, ut arma poneret, imperavit. Hoc perſiſtente in fide & amicitia Gallorum, & Gallis viciſſim defenſionem ei præſtantibus, novum bellum conſertum eſt, cujus ea fuerunt initia, ut Trivultius Gallorum Dux Bononiam reductis Bentivolis Pontifici adimeret. Ad hujus facti famam Pontifex ſtomachabundus mox rurſus totam pene ad arma concivit Europam, evibrato in Ludovicum Gallum anathemate, & aſſumto prætextu, Maximilianum Sfortiam in paternum Imperium, undè non juſte ſit pulſus, reduci oportere. Gallus contra contemtis diris Pontificiis, ut viciſſim omnem Pontificis auctoritatem retorto in eum anathemate infringeret, Concilium Piſis indixit, in quo in Julii molitiones recentibus Conſtantienſis & Baſileenſis Synodi exemplis inquireretur & ſtatueretur, annuentibus primo Florentinis, ſed mox ſententia mutata refragantibus, quo factum, ut pulſi ex urbe Cardinales cum præſidio Gallico tumultu plebis, Mediolanum conceſſerint. Pontifici in præſentia opem tulerunt Veneti, Helvetii & per Africanas cohortes Ferdinandus Hiſpanus abſens, qui ad Joannem Navarræ Regem Gallicis addictum partibus interea tota Cantabria expulit. A tergo vero Galliam invaſit Henricus Angliæ Rex, ut Ludovicum domi detineret.

Gallicum exercitum Germanicis Maximiliani copiis firmum ac validum duxit Gaſto Foſſeius ſorore Ludovici in Vaſconibus genitus, qui cum Venetas copias Balæono Duce ad Atheſin fu-

diſſet, & eodem victoriæ curſu per arcem in urbem Brixiam ingreſſus, præſidio Veneto cæſo urbem recepiſſet, Ravennam delatus, tota acie cum Pontificiis copiis conflixit, tanto pugnantium ardore, ut Galli victores Pontificii exercitus partem maximam trucidarint, reliquam, quum res deplorata eſſet, projectis armis ſeſe dedentem ceperint. Certatum eſt Anno 1512. tertio Idus Aprilis die feſto Paſchæ. Cecidiſſe in conflictu de Pontificis exercitu ad ſedecim hominum millia, referuntur. Occubuit & ipſe Foſſeius à globo hoſtium circumventus; dum Hiſpanos incautiùs perſequitur.

91. Ad hujus prælii famam Imperator Maximilianus reductis ſuis auxiliis à Gallo, initoque fœdere cum Hiſpano & Anglo, Gallum domi novo bello implicuit, in quo, quum retractæ ex Italia Gallorum copiæ regrederentur, excitæ à Pontifice in auxilium novæ Helvetiorum cohortes, illas ab Atheſi repulſas intra Ticinum urbem compulerunt, & Venetis copiis auctæ, inſtructæque tormentis, mox etiam Ticino & tota Ciſalpina Gallia excedere coëgerunt.

92. Pontifex Bononiam, Bentivolis denuò ejectis, recepit. Genua ſe in libertatem vendicavit. Maximilianus Sfortia in Mediolanenſem Principatum repoſitus. Medicei, quos Galli Florentia pepulerant, ejecto Soderino in patriam paternumque Principatum reducti ſunt.

93. Hoc exitu finitum eſt Confœderatione Regum ſuſceptum contra Venetos bellum, memorabile exemplis cupiditatum & affectuum in Regibus, inconſtantiæ ac mutabilitatis voluntatum humanarum, incertæ dubiæque fidei Fœderum & Pacificationum, triſtiſſimique exitus non neceſſariorum bellorum.

94. Ex his itaque tenus hac adductis liquet, quam parum Pacificationibus Fœderibusque ſit fidendum, præcipuè illorum qui

qui omni tempore prætextum qualemcunque ambabus, ut ita dicitur, manibus arripiunt, quo bellandi finesque imperii sui sive jure sive injuria dilatandi cupidines igni ferroque demonstrant. Jam hisce ex superioribus seculis prolatis finem operi nostro adscribo, maximè quum fragiles pariter ac inconstantes Pacificationum Contractus, qui elapso duntaxat Seculo inter Status totius ferme Europæ intercessêre alio in Volumine veluti per transennam, ordine tamen haud vulgari, sub certo titulo adduximus.

TANTUM.

INDEX

Libb. IX. & X. de Armandia sive Arte Bellica & Pacis Olea.

A.

Achilles omnium argumentorum, est Ratio commodi, l. 10. Part. I. c. 3. n. 8.

Acies quid. l. 9. c. 14. n. 1.

Acies Romanorum quæ. l. 9. c. 14. n. 2. 7.

Aciei instructor primus fuit Homerus. l. & c. cit. n. 3. & seqq.

Aciem ordinandi tria observanda. l. 9. c. 14. n. 4.

Acies Vegetii qualis? l. 9. c. 14. n. 5.

Acies ordinanda non ex arbitrio, sed ut necessitas & circumstantiæ exigunt. l. 9. c. 14. n. 6. 9. Post aciem subsidia. l. 9. c. eod. n. 6. 9.

Acies Gellii. c. eod. n. 8. ejus species. ibid. Frons. ibid. subsidia. n. 9. Cuneus. n. 10. Forceps. n. 11. Orbis. n. 12. Serra. n. 13. Aleæ. n. 14. Globus. n. 15. Turris. n. 16.

Aciem educturus ex insidiis observet locum, tempus, occasionem. c. eod. n. 16.

Acie aperta pugnaturus quid? n. 17. licet aperto prælio confligere minus consultum, consultius ex insidiis, aut per Strategema. n. 18. per tot.

Ærarium utiliter exhauritur, si indè pax ematur. l. 10. Part. I. c. 3. n. 8.

Agesilai lacryma. l. 9. c. 7. n. 5.

Alberti Austriaci magnanimitas. l. 9. c. 2. n. 2.

Alexandri Farnesii egregium facinus. l. 9. c. 16. n. 15.

Alexander M. l. 9. c. 1. n. 1. 3.

Amnestia, quid? l. 10. P. I. c. 4. n. 2. quando Amnestia sive induciis maxime opus sit. c. eod. n. 2. 3.

Amnestiæ effectus. l. 10. Part. I. c. 5. n. 1. 2. 3.

Amnestia est potius inter pares. l. 10. Pars I. c. eod. n. 3.

Amnestiæ nomine, an generalis & absoluta venia intelligatur. l. 10. Part. I. c. eod. an in Amnestia fraudibus circumvenire liceat? l. eod. c. 5. n. 4.

Annona bello necessaria. l. 9. c. 8. n. 6. qua ratione comparanda. l. eod. c. 9. n. 7.

Antonius Cæsar. l. 9. c. 1. n. 1.

Ant-

Antwerpenſium contribuendi moroſitas cum damno eorum maximo. l. 9. c. 6. n. 4.

Apparatus militaris. l. 9. c. 9. per tot. ne ſit tardus & ab hoſte prævenitus. c. eod. n. 1. in tribus conſiſtit. ibid. n. 2. pecunia eſt nervus belli & primum Mobile totius apparatus. ibid. n. 3. licet diſcrepet Machiavellus. ibid. n. 4. refellitur. n. 5.

Arcanum Status Ludovici XIV. l. 10. Part. II. c. 6. n. 10. quale illud? ibid.

Ariſtodemus quomodo & quare Cumanos effeminavit. l. 9. c. 2. n. 31.

Armandus Richelius Cardinalis. l. 4. c. 1. n. 1.

Artem militarem docuere armorum imperiti. l. 9. c. 1. n. 1.

Ars militaris principi commendata. l. 9. c. 2. per tot.

Armorum vis. l. 9. c. 3. per tot. ab his pendet Respublica, ibid. n. 1.

Armorum jus ſibi ſoli reſervet Princeps. l. 9. c. 3. n. 3. c. 4. n. 3.

Armatus Princeps licet ſic tuto quieſcat, nunquam tamen otietur. l. 9. c. eod. n. 4.

Arma etiam in pace non deponenda, l. 10. Part. I. c. 6. n. 13.

Aſtus Burgundi in occupanda ſeſſione. l. 10. Part. II. c. 2. n. 6.

Aſtus Gallorum jamjam ſuccumbentium in prælio ad Montes, proclamatione Pacis Neomagenſis. l. 10. Part. II. c. 6. n. 8.

Aviditas prædandi multoties amiſit occaſiones optimas vincendi. l. 9. c. 8. n. 12.

Aurelianenſis Dux, Burgundi æmulus noctu occiſus. l. 10. Part. II. c. 2. n. 3.

Auriacum Principem Wilhelmum Regem Angliæ confitetur Rex Ludovicus XIV. contra fidem datam Regi Jacobo ſibi fœderato. l. 10. Part. II. c. 6. n. 37.

B.

Bannum quid. l. 10. Part. I. c. 8. n. 1. ſententia declaratoria opus non habet, ſi notorium ſit delictum fractæ pacis. c. eod. n. 2.

Belgii amiſſio imputatur ſtipendiis. l. 9. c. 8. n. 16. 17.

Belgii proceribus præſertim Orangio nunquam fuit ſerius ſincerusque animus cum Rege ineundi concordiam. l. 10. Part. I. c. 4. n. 26.

Belgio magnorum malorum cauſſa fuit Bruxellanus ſeditioſorum Nobilium conventus in domo Culmbergica. l. 9. c. 7. n. 30.

Belgradi expugnandi quanta olim à Turcis adhibita diligentia. l. 9. cap. 11.

Belgradum quomodo à Noſtris perditum. l. 9. c. 11. n. 11.

Belli cauſſa Romanis ſolita. l. 9. c. 4. n. 21. quos ſecutus Sueciæ Rex Guſtavus. c. eod. n. 22.

Belli cauſſæ duodecim. l. 9. c. 4. n. 9. ſeqq.

Belli conditiones quatuor. l. 9. c. 4. n. 5. quæ illæ? ibid. & ſeq.

- - aliæ cauſſæ. l. 9. c. 4. n. 20. duas proponit Cardinalis Richelius, ſed non ſatis legitimas. ibid.

- - cauſſæ coloratæ. l. 9. c. 4. n. 26.

Belli Duces insolentes. l. 9. c. 18. n. 8.
- - - ut se non suspectos reddant, ad quinque advertant. l. 9. c. eod.
- - Duci quomodo declinandum prælium. l. 9. c. 19. n. 26. seqq. ratio dandi mandata & signa in occulto tam ad recessum, quam ad prælium. n. 29. it. tesseram. n. 30. Clamor ante conflictum & cetera animositatis excitamenta. n. 31. exempla. ibid. modus confligendi ex Vegetio. n. 33. qua arte Lucullus. n. 34.
- - - post commissum prælium quid agendum. l. 9. c. 20. per tot. vigiliæ necessariæ. n. 1. humatio cæsorum. n. 2. de victoria aut clade rescribendum Principi. n. 3. reliqua vide sub aliis literis. c. eod.
- - - plane est ignominiosa temeritas. l. 9. c. 19. n. 1. 2. 3.
- - - opportunitates quærendæ. l. 9. c. eod. n. 6. Exempla. ibid.
- - *Ducis scientia* militaris quid? c. eod. n. 3. fortitudo quid? n. 4. Consilium quale? n. 5.
- - *Dux* ante aggrediatur hostem, quum auxiliares illi copiæ adveniant. l. 9. c. 19. advertat ad primos successus. c. eod. n. 7. hosti interdum permittat ultro impedimenta ad majus onus. ibid. sufficientem ante pugnam habeat exercitum, alias pro possibili abstinendum à pugna. n. 8. in bello longinquo exacte sit provisus, nec domi exspectet hostem, sed in alieno quærat. n. 9. sollicitudinem nimiam ne ostendat, metum obtegat, prælium ne differat rebus jam dispositis. n. 10. salubre tamen est, dextre declinare certamen, & ex insidiis atterere, fatigare, & plane exinanire hostem. Exempla. n. 11. Strategemate etiam utendum; hosti pons interdum sternendus, præ omnibus vero hostis consilia intelligenda, mox arte opposita eludenda, vel præcavenda n. 12. Dissidium omne inter Belli Duces, Præfectos & Officiales ex odio vel æmulatione tollendum, quod, quia frequens est toties mali bellorum tam progressus, quam eventus. num. 13. Æmulatio inter belli Duces quæ bona? n. 14. post tergum nihil hostile relinquat. n. 15. licet id impugnet Card. Richelius, & nos judicamus in certis casibus. n. 16. nihil hosti indulgeat, nullum temporis recte impendendi momentum negligat. n. 17. insistendum hosti devicto, nec una victoriâ sibi satisfaciendum, si sine periculo fieri possit. n. 18. exemplo multorum. ibid. ante prælium diù deliberandum cognoscendus hostis per omnia. n. 19. & 20. lassus ex itinere, vel confectus fame, nec cum formidoloso milite, nec repugnantibus officialibus, nec inexpedito loco congrediendum. n. eodem. aciem ordinaturus ad prælium, de quibus provideat. num. 21. subsidia post Aciem ponat. n. 22. fortissimos immittat primum; exindè postquam primi perruperint imbe-
cil-

cilliores. ibid. prior inſtruat aciem & ante pugnam omni poſſibili modo turbet in aliquo hoſtem. n. 23. primam irruptionem potius faciat, quam exſpectet ab hoſte, ut ſuadet Richelius. n. 24. aliquando ratio aliud ſuadet. ibid. in acie utiliter collocantur amici ſimul, it. nationes integræ ſimul. n. 20. præſens ſit Belli Dux in prælio, maxime, ubi trepidatio eſt inter milites, cujus utilitas multis comprobatur exemplis. n. 25.

Belli Juſtitia tam in cauſa, quam actione conſiſtit. l. 9. c. 4. n. 29.

Belli incommoda. l. 10. P. I. c. 1. n. 8.

Belli ſuſcipiendi cautelæ. l. 4. c. 4. n. 28.

Bellum in genere & in ſpecie. l. 9. c. 1. per tot. omni jure licitum. ib. n. 3. ſpectat ad juſtitiam vindicativam. n. 4. nec eſt contra Chriſtianam fidem. ibid. licet inter Chriſtianos principes bellum, niſi neceſſarium, plane ſceleſtum eſt. ibid. rationes. ib. quid? 5. offenſivum quid? ibid. defenſivum quid? 6. Belli aliæ diviſiones. 7. contra infideles & perſecutores Evangelii atque Reges apoſtatas juſtum eſt bellum. l. 9. c. 4. n. 9. in Rebelles. n. 11. & eorundem Protectores. n. 12. ut populus Iſraël contra tribum Benjamin. n. eod. in Injuriantes, ut David contra Regem Ammonitarum. n. 13. adverſus uſurpatores. num. 14. contra hoſtes. n. 15. adverſus æqua prohibentes. n. 16. contra hoſtium Fautores. n. 17. ad Fœderatos & ſocios tuendos. n. 18. adverſus Tyrannos. n. 19. in negantes tributa. n. 20. neceſſarium bellum ſemper juſtum eſt. n. 23. ſeqq. juſtum bellum non injuſte tractandum. n. 24. injuſte ſuſcipitur ab iis, qui fœdus primi ruperunt. n. 25. ſemper injuſtum eſt ſubditorum in Principem. n. 27. infelix, ſed breve, melius ferme cedit Reipublicæ, quam longum, licet felix. l. 9. c. 13. n. 4.

- - *Civile* deterrimum. l. 9. c. 7. n. 1. non quieſcit, niſi peſſumdata una vel altera parte. n. 2. abundantia rerum & beneficentia Principis in populum avertit ſeditiones. n. 3. ſignum certum diſſolvendi imperii. l. cit. c. 6. n. 5. ad fin.

- - *Sociale.* l. 9. c. 6. per tot. cautelæ circa hoc. c. eod. n. 1. qui in ſocietatem belli petendi. n. 2. quid hic cavendum. n. 3. 4. quæ dirimunt. n. 9. c. 6. n. 5. quæ conſervant. n. 6.

- - *inter Caſtellæ & Arragoniæ Reges* arbitrio Ludovici XII. Regis Franciæ finitum. l. 10. P. I. c. 3. ad fin.

- - *Anglorum in Gallos*, Ludovici XI. opera, auro & ære compoſitum. l. 10. P. I. c. 2. n. 4.

- - *in Gallia* pro bono publico dictum. l. 10. P. II. c. 2. n. 9.

- - *Neapolitanum* inter Ferdinandum Catholicum & Ludovicum XII. l. 10. P. II. c. 2. n. 28. 29. 30. Belli hujus cauſa. ibid.

- - *Mediolanenſe* inter Ludovicum XII. & Principem Sfortiam. l. eod. c. 2. n. 33. in quo victor Rex Galliæ. ibid. Rex omnibus ibi bene inſtructis

ſtructis repetit Galliam. n. 37. interea recuperat Sfortia Mediolanum. n. 38. quod rurſus Ludovicus occupat novo exercitu immiſſo, abducto, in carcerem Sfortia, ubi exſtinctus fuit. n. 39.

- - *Mediolanenſe* Germanorum contra Gallos. c. 2. n. 40. ejus cauſa. ibid.

- - *in Nepotes Pontificios*. c. 3. n 18. Roma obſeſſa: immiſſum eo Gallorum præſidium: Galli Belgio infeſtis. ibid.

- - ubi ſerio agitur, pax certa. c. 3. n. 21.

- - *Religionis* in Gallia ſub Henrico III. c. 4. n. 2. impoſturis hinc illinc plenum. ibid. factionibus duobus conſtabat, quarum utraque Regi ſuſpecta. c. eod. n. 3. Borboniorum & Ghuiſianorum privati fines. ibid. & n. 4. utrobique Religio, ambitionis erat prætextus. ibid. & n. 5. factiones & ſimultates utrarumque. n. 5. 6. 7. 8. & ſeqq.

- - *in Burgundia* & Flandria ab Henrico IV. Neo-Franciæ Rege contra Hiſpanum vario Marte per Bullionium Ducem non diu geſtum. l. 10. P. II. c. 4. n. 26.

- - *Civile Principum* & Regis Ludovici XIII. poſt lugubrem exceſſum Henrici IV. l. 10. Part. II. c. 5. n. 2.

- - *Civile alterum* Reginæ & Principum contra filium & Regem. l. 10 c. 5. n. 5.

- - *in Italia* in Cæſarem, Hiſpanum & Gallum, atque illius cauſa. c. 5. n. 16. 17. 18. renovatum acrius. n. 20.

- - *Suecicum*, cui ſe in capite implicuit Gallus, ſuggerente Card. Richelio contra Cæſarem, atrox & longum. c. 5. n. 23. ſeqq. Cauſæ illius: item progreſſus; Urbes captæ. &c. c. eod. & numeris iisd. Belli hujus diuturnitas. n. 27.

- - *primum* poſt pacem Pyrenæam. c. 6. n. 7. cauſa illius. c. eod. n. 6.

- - *alterum* Batavicum. c. 6. n. 8. cujus mediator Suecus; & paullo poſt ex mediatore partialis Galliæ factus, & hoſtis Cæſaris. ibid.

Bellum tam poſt pacem Neomagenſem, quam inducias in 20. annos pactas, reaſſumtum à Gallia. c. 6. n. 29. Regis Galli motiva. ibid. Bellum hoc latrocinio ſimilius: nec indictum nec Chriſtianè, ſed ſupra ipſam immanitatem geſtum. ibid. tandem & ſenſim per tot confœderatas potentias repreſſum, ut dubitare Rex cœperit de ejus felici exitu. n. 30. 31. tentavit deſuper ille pacem per Pontificem & Helvetios, ſed fruſtra. n. 32. 33. Sabaudum tamen ſibi conciliavit ingentibus promiſſis. ibid. Batavos per Harlajum ſollicitavit, nec quidquam obtinuit. n. 34. ingentia promiſit confœderatis, ut in pacis tractatum induceret. n. 35. ſed illico à promiſſis deſtitit. n. 36. ex voto tamen illi omnia ceſſêre. num. 37. & ſeqq.

C.

Captivi in Bello juſto ſervi efficiuntur. l. 9 c. 20. n. 20. quo effectu. ibid. & ſeqq.

Captivis non licet fugere. c. eod. n. 23.

Captivi, an cum pacto in libertatem miſſi, ne audeant militare adverſus Victorem, ſtare teneantur pacto & quomodo. c. eod. n. 25.

Caroli V. Imp. judicium circa delectum militis. l. 9. c. 10. n. 4.

Caroli Burgundi fatalis caſus ad Nancejum in conflictu cum Helvetiis. l. 9. c. 2. n. 11.

Caroli II. Franciæ Regis fœdus cum Solimanno. l. 10. P. II. c. 3. n. 12. fœderis conditiones. ibid. nihil ſimile objici poteſt Auſtriacis Principibus, licet id conetur (ſed perperam) Gramondus. n. 13. 14.

- - *IIX. Franciæ Regis* turpe factum ob raptam Annam Maximiliano deſponſatam, & inſuper Margaretam legitimam ſuam conjugem repudiatam. l. 10. P. II. c. 2. n. 17. 18.

- - *ejusdem* occupatio Regni Neapolitani infeliciter ceſſit Gallis. c. 2. n. 23. ejusdem in fuga periculum vitæ. ibid. ſola lues venerea in mercedem belli reportata. ibid. Cauſæ malorum recenſentur. ibid.

- - - ex morbo mutata in melius vita. l. 10. P. II. c. 2. n. 24. & obitus improviſus. ibid.

- - *IX. Franciæ Regis* infelix & præmaturus vitæ finis. l. cit. c. 3. n. 26.

Carolus V. quomodo ſedavit ſeditionem Gandavenſem. lib. 9. cap. 7. num. 16.

- - *Imper.* perſtringit coram Pontifice querulus malam fidem Franciſci Regis Franciæ, l. 10. P. II. c. 3. n. 3.

- - - invadit Franciam, totam commovet, ut Rex Franciſcus pacem petere cogeretur. l. eod. c. 3. n. 6.

Carolus Angliæ Rex à ſuis ſupplicio adfectus. l. 9. c. 7. n. 5.

Carolus Rex petit pacem â Burgundo. l. 10. P. II. c. 2. n. 9.

Carolus VII. Joannis Franciæ Regis ſucceſſor in Regno. l. 10. P. II. c. 2. n. 1.

Caſtra l. 9. c. 13. n. 1. bene metata ſecuritatem ſpondent. c. eod. n. 1. 2. ad caſtrorum mutationem qui requiratur. n. 3. quomodo metari debeant. ibid.

- - qua ratioone movenda. l eod. c. 13. n. 4. quo milite conſtant. c. eod. Equeſtri & pedeſtri, qui præcellit? ibid.

- - hoſtium exploranda. c. eod. n. 7. & judicanda quomodo. ibid.

Caſtrorum frequens mutatio utilis. l. 9. c. 13. n. 5.

Cauſa belli examinanda ad ſtateram. l. 9. c. 4. n. 22. ad fin.

- - - quam Cyrus allegat. l. eod. c. 4. n. 23.

Cauſa ſeditionis Belgicæ erant reipsâ duæ. l. eod. c. 7. n. 8. prætextus autem multi. l. eod. c. eod. num. 9. ſeqq.

Childericus ſolio dejectus ſubſtituto Martello. l. 9. c. 3. n. 4. ad fin. cur ille faſtis non commemoratus. ibid.

Clades Nobilitatis Galliæ ad S. Quintinum. l. 10. P. II. c. 3. n. 19. Caroli V. de hac clade ſenſus. n. 20.

Concitatores ſeditionis poſt mortem Auguſti. l. 9. c. 16. n. 4.

Columnenſes Principes deſertores Factionis Gallicæ in regno Neapolitano, & cur. l. 9. c. 18. n. 11.

Conditiones pacis. l. 10. P. I. c. 6. n. 1. Exemplum eſt pax Osnabrugenſis. ibid.

- - Pacis in genere ſunt, ut illa ſit integra. l. cit. c. 6. n. 3. qualem à Romanis voluerunt Privernates. ibid. provida: quæ iſta? n. 4. tuta: per obſides, depoſita, cautiones, æqualitatem. n. 5. 6. 7. diuturna. n. 8. quæ illam durare faciant. n. 10.

Conniventia Belli Ducum periculoſa. l. 9. c. 8. n. 10. ſeq.

Conſilium præſtat viribus. l. cit. c. 19. n. 5.

Conſtitutio Pacis publicæ. l. 10. P. I. c. 7. n. 1. quos illa comprehendit? n. 2. illius finis. n. 3. ignorantia ejus neminem excuſat. n. 4. requiſita illius, ut quis ex præfata conſtitutione agere valeat. ſunt tria: vis publica, vis armata, deſtinata voluntas. l. 1. n. 5. ſeqq.

Conventicula privata ſubditorum inquirenda & tollenda. l. c. c. 7. n. 30. per tot.

Cræſus, quomodo Bellum moverit in Cyrum ex prætextu colorato, l. cit. c. 4. n. 26.

D.

David Rex ſeditionem præ peſte abhorruit. l. 9. c. 7. n. 5.

Deditio Pomeraniæ in Brandenburgum. l. 10. P. II. c. 6. n. 9.

Defenſio ſui armata, non debet eſſe ſpecioſa, vel ex prætextu, ſed coacta. l. 10. P. I. c. 7. n. 9. in puncto fractæ pacis publicæ non tenetur ad moderamen inculpatæ tutelæ. l. 1. c. 7. n. 10.

Delectus militum interdum civitatibus ſalubris. l. 9. c. 10. n. 3. ad quinque in delectu advertendum, c. eod. n. 4.

Dexteritati majores vires quam fortitudini. l. 10. P. II. c. 6. n. 2.

Diſciplina militaris. l. 9. c. 8. per tot.

- - - conſervatur per duo c. eod. n. 14. per Correctionem & Providentiam. ibid. & in 15.

- - *Turcarum*. l. 9. c. 8. n. 3. ibid. Romanorum, quæ patet ex Epiſtola Aureliani. n. 4.

Diſciplinæ militaris tres corruptelæ. c. eod. n. 5.

- - - optimi eventus. num. 13. exemplo mirando Farneſii in Gallia. ibid.

Diviſio Romanorum circa prædam poſt devictum hoſtem. l. 9. c. 20. n. 10. 12. ſeq.

Diviſio Burgundiæ. l. 10. P. II. c. 2. n. 20. ſeq.

Divitias nimias non voluit Salomon. l. 9. c. 7. n. 28. de iisdem Ariſtotelis mens ibid.

C. Domitii fiducia ingens. l. 9. c. 17. per tot. ejus caſtitas, ſobrietas, temperantia.

rantia. c. eod. n. 1. Intellectus, eloquentia & labor. n. 2. amor erga ſuos commilitones. n. 4. auctoritas. n. 5. fortuna. n. 6. ſanguis. n. 7. facta. n. 8.

E.

Effectus Banni. lib. 10. Part. I. c. 9. num. 3.

Electio noviſſima Imperatoris habuit tres Candidatos. lib. 10. P. II. cap. 6 n. 4.

Electio Imperatoris Leopoldi ab Electoribus maturata fremeatibus Galliæ, Sueciæ & Cromwelli Legatis. l. 10. P. II. c. 6. n. 5. *ad fin.*

Error Confœderatorum quod ſe diviſerint in ſancienda pace cum Ludovico XIV. l. 10. P. II. c. 6. n. 10.

Error Ludovici XIV. in bello reaſſumto poſt inducias vicennarias. l. cit. c. 6. n 31.

Exarmandus populus ſuſpectus. l. 9. c. 7. n. 31. exemplo Imperatoris Turcarum. ibid.

Executio Banni c. 9. l. 10 P. I. *per tot.* procedit non ſolum in reos pactæ pacis, ſed etiam in contumaces. c. eod. n. 1. non tamen æquali effectu. c. eod. n. 2.

Executoris munus publicum eſt. ib.

Exercitus quid? l. 9. c. 12. n. 1. ordo maximus in ego exigitur, ib. Ducum in eo militumque munia. ib. promtitudo utrorumque. ibid.

Exercitus duo magni hoſtes. l. 9. c. eod. n. 2 mature colligendus. n. 3. 4.

Exercitus triplex. l 9. c. eod. n. 5.

Exercitus ex domeſtico milite operatur fidelius. c. eod. n. 6.

- - externi in Regnum admiſſi facti. n. 7. exempla. ibid.

- - ex nationibus mixtus æmulatione ducitur. n. 8. quæ omnino fovenda ex arcano Romanorum. n. 9. exempla. ib.

- - quantitas. c. 10. n. 10.

Exercitu proficiſcente quid obſervandum. l. 9. c. 13. n. 9. ſeqq. exempla præſertim Ducis Farneſii. ib.

Extrema moverunt Franciæ Legati in electione Leopoldi in Cæſarem. l. 10. P. II. c. 6. n. 14.

F.

Factiones quædam incorrigibiles. l. 9. c. 7. n. 13. ut Guelfa & Gibellina. ib.

Factiones virtuoſæ, quæ ſint & inter quos. c. 7. n. 19. aliæ vituperoſæ & ex nimia potentia in ſeditionem proclives. c. eod. n. 20. ut Orangii & aliorum. ibid. talibus quomodo obſiſtendum. n. 21. ſeqq.

- - in Gallia Navarræa & Ghuiſia ſub Carolo IX. lib. 10. Part. II. c. 3. n. 24.

- - ibidem Momoranciorum & Ghuiſiorum ſub Henrico II. c. 4. n. 5.

- - ſub Henrico III. Borboniorum Principumque hæreticorum ca Ghuiſianorum catholicorum. c. 4. n. 6. ſeqq.

Factionibus vincuntur populi alias invincibiles. l. 9. c. 7. n. 5.

Feminæ hinc inde feliciter pacem concluſerunt. l. 10. P. I. c. 3. n. 2. recenſentur aliquæ. ib.

Ferdinandi Catholici jus in Regnum Siciliæ & Neapolis. lib. 10. Part. II. cap. 2. num. 25.

Ferdinandi inveſtitura in præfatis regnis pro ſe & hæredibus data à Pontifice. lib. 9. cap. 2. num. 31. *ad fin.*

Ferrarienſi Duci calcaneum globo tormenti abroſum. lib. 9. cap. 11. num. 8.

Fides & Candor pactorum eſt Pacis diuturnæ indicium. lib. 10. Part. I. cap. 6. num. 7.

Finis domus Burgundiæ. lib. 10. Part. II. cap. 2. num. 11.

Firſtenbergius vid. *Fürſtenbergius.*

Flandria & aliæ Belgii provinciæ unitæ ſunt Burgundiæ ex nuptiis Margaritæ. lib. 10. Part. II. cap. 2. num. 1.

Fœdus cum Turca arcanum eſt Galliæ contra Auſtriacos. lib. 10. Part. II. cap. 3. num. 15.

Fœminæ vid. Feminæ.

Fortibus omnis facilè adhæret. lib. 9. cap. 2. num. 1.

Fortitudinem enervent deliciæ. cap. 8. num. 1. *ad med.*

Fortuna belli. lib. 9. cap. 15. *per tot.*

- - *Heroum* quid vulgo. cap. 15. quid reipſa. ib.

Fortunati Belli Duces recenſentur. ibid.

Fortuna Belli cui attribuenda? c. 15. num. 3.

Fortuna Barbarorum, Tyrannorum malorumque Principum, an à Deo? cap. 15. num. 2.

Fortunæ an committenda belli alea. c. 15. num. 4. ſeqq. cum diſtinctione. ib. num. 5.

Fortunam nemo accuſet. cap. 15. num. 7.

Fortunæ inconſtantia. lib. 10. Part. II. cap. 2. num. 3. *ad fin.*

Franciæ Rex ex improviſo adoritur Maximilianum in Belgio, prætendens hoc eſſe Ligium Galliæ. lib. 10. Part. II. cap. 2. num. 13.

Franciſcus Rex invadit Mediolanum & vincit. lib. 9. cap. 2. num. 48.

- - - fœdifragus, victus & captus à Carolo V. num. 56. poſt pacem Cameracenſem, deinde primus violavit fidem datam. cap. 3. num. 2. Ejusdem ridicula citatio Caroli V. ante Parlamentum. c. eod. num. 4.

Fridericus Palatinus Bannitus, & quomodo? ac quare? lib. 10. P. I. cap. 8. num. 4. *per tot.*

Fuga in bello aliquando utilis. lib. 9. cap. 20. num. 4. ſeq. eſt interdum Strategema. ibid.

Fugiendum in Caſtra., aut munimenta poſt prælium deperditum. c. eod.

Fugitivi quomodo perſequendi. cap. eod. num. 5. ſeq.

Fürſtenbergius Princeps, Cæſaris Vaſallus, captus à Cæſare dum fungeretur Legati officio pro Rege Franciæ l. 1. Part. II. c. 6. n. 8. magnam cauſam bello dedit. ibid.

G.

Gallia olim Principum livor in domum Burgundicam. l. 10. P. II. c. 2. n. 2. eorumdem primum diſſidium erupit. c. eod. num. 3. ſecundum. ibid. tertium. n. 7.

- - *Regibus* ultimis nullum eſſe in Mediolanum jus, neque etiam unquam prædeceſſoribus fuiſſe, oſtenditur. lib. 9. cap. 2. num. 47.

- - *& Hiſpaniæ* hoſtilitates poſt mortem Henrici IV. ſopitæ per geminum matrimonium adverſantibus licet Galliæ Principibus. cap. 5. num. 1.

Gallorum infidiæ in Auſtriacos per matrimonia. cap. 2. num. 42.

Ghuiſii Principes fratres morte multati ab Henrico Rege. lib. 10. Part. II. cap. 4. num. 11. unde majus in Gallia bellum exarſit, & in Regem ſeditio populi. num. 11.

Gloria Belli Ducum unde? lib. 9. cap. 17. num. 3.

H.

Henrici III. factio inter Navarræam & Ghuiſianam. lib. 9. cap. 7. num. 23.

Henrici III. ex Polonia reducis ad Regnum aditus, principium regiminis & mores. cap. 3. num. 27.

Henricus II. ſucceſſit Franciſco Patri, magnum Auſtriacorum hoſtis. lib. 10. Part. II. cap. 3. num. 5. ſeqq. Lotharingiam invadit, ibid. Cæſarem ad transactionem Paſſavienſem in favorem hæreticorum compellit. cap. 3. n. eod.

Henricus III. à cœnobita confoſſus. lib. 10. Part. II. cap. 4. num. 11.

Helvetiorum victoria contra Carolum Burgundum; unde prima eorum fortunæ origo. lib. 10. Part. II. cap. 2. num. 11.

Hiſpani quomodo expugnaverunt Duelandiam. lib. 9. cap. 11. num. 12.

Honeſtas conditionum, qualis in tranſigenda pace requiritur. lib. 10. P. I. cap. 6. num. 11. conditiones pacis non ita debent intendi, ut uni parti deſperatio ſubveniat. ibid. miſeram pacem nemo diu fert Saguntinorum & Lotharingi exemplo. ibid.

Hoſtis non domi expectandus, ſed quærendus in ſuo ſolo. lib. 9. c. 13. num. 8.

Hugonotorum in Gallia ſimulatæ pacificationes. lib. 10. Part. II. cap. 3. num. 28.

Hungariæ rebellibus perperam ſubmiſſa auxilia. lib. 6. cap. 5. num. 2. *ad fin.*

I.

Inducia ſunt Arcanorum Status. l. 10 Part. II. c. 4. n. 5.

- - quid? n. 5. earum neceſſitas. ibid.

- - quæ utiles. c. eod. n. 6.

- - præmeditatæ. c. eod. n. 7.

- - juratæ. n. 8.

- - multos perdiderunt. ib. *in fine.*

Judicio ſegnes reddunt homines. n. 4.

- - inſidioſæ ſunt ſæpe, non ſemper ineundæ cum hoſtibus potentibus. n. 3. quid ante Inducias incundas conſiderandum. ibid.

- - quinquennales inter Carolum V. & Henricum II. l. 10. Part. II. c. 3. n. 16.

Induciarum varia ratio, bona & mala. l. 10. Part. I. c. 4. n. 5.

Inducias cogitur inire Rex Hiſpaniæ cum ſuis ſubditis in Belgio ob auxilia & fomenta illis ob Henrico IV. ſubminiſtrata. l. 10. Part. II. c. 2. n. 23. *adfin.* Induciarum harum leges ultro citroque initæ. c. eod. n. 24. Inducíæ cum Rege Galliæ Ludovico XIV. per 20. Annos ſine ullo effectu & fide Regis ſervata contractæ. lib. cit. c. 6. num. 28. 29.

Inſimulationes Gallorum in Philippum II. tempore diſſidii civilis poſt facta Henrici III. congeſtæ. l. 20. Part. II. c. 4. n. 13.

Inſolentia prætenſionum Bethlem Gaborii. l. 10. Part. I. c. 6. n. 2. item moderni Ragotzii & Hungarorum rebellium. ibid.

Joannes Rex XVI. Franciæ ab Angliæ Rege graviſſima clade affectus, captus &c. lib. 10. Part. I. c. 1. num. 7.

Joannes Burgundus ſub ſpecie Pacificationis à Dauphino Franciæ in neccm vocatus. l. 10. Part. II. c. 2. n. 7.

Joannis Valeſii Regis Franciæ obitus. l. cit. c. 2. n. 1. Teſtamentum ejus & filii quatuor. ibid.

Judicium Politicorum de pace Vervinenſi & Lugdunenſi. l 10. Part. II. c. 4. n. 22.

Julius Pontifex. l. 9. c. 2. n. 3.

Jus Belli & pacis ad Majeſtatem ſpectat. l. 9. c. 4.

Jus omne in gladio eſt. c. 4. n. 20.

Juſtinianus Imperator. l. 9. c. 2. n. 3.

L.

Legatorum Franciæ querelæ & calumniæ contra Auſtriacos coram Electoribus. l. 10. c. 6. n. 4. ſed ſine ullo effectu. n. 5.

Leopoldo Cæſari raro utiles fuerunt cum Gallia pacificationes. L. cit. c. 6. n. 3.

Liviæ ad Auguſtum conſilium optimum de conſervanda pace interna. l. 10. Part I. c. 2. n. 6.

Lotharingi volubilitas. l. 10. Part. I. c. 6. n. 11.

Ludovici XI. ingratitudo & inſidiæ in domum Burgundicam. l. 10. Part. II. c. 2. n. 9. odium ejusdem in Carolum Burgundum &c. ibid. & num. 10.

Ludovici XII. hoſtilitates clam & palam in Maximilianum. l. 10. Part. II. c. 2. n. 44. idem excommunicatus; quare? n. 45.

Ludovicus XI. victus à Maximiliano Tornacum. l. 10. Part. II. c. 2. n. 15. illius monitum ad filium Carolum

rolum poſtea Franciæ Regem, n. 16.

- - - quomodo bellum geſſit. l. 9. c. 2. num. 4. quam occaſionem arripuit contra Burgundum bellum movendi. lib. cit. cap. 4. num. 26.

Ludovicus XII. qua ratione ſervavit Mediolanenſibus Amneſtiam. l. 10. Part. I. c. 5. n. 4.

Ludovicus Sforzia à fratre traditus, quia in Præfectura belli præteritus, l. 9. c. 18. n. 5.

- - - inveſtitus à Maximiliano in Ducem Mediolanenſem. l. 10. Part. II. c. 2. n. 35.

Lues venerea unde? l. 10. Part. II. c. 2. n. 23. *ad fin.*

Lyſandri inſolentia. l. 10. Part. I. c. 7. n. 2.

M.

Machina militares. l. 9. c. 11. n. 11. earum apud antiquos diverſitas, effectus &c. ibid. inferiores tamen noſtris Bombis & tormentis. ibid.

Machina Ducis Farneſii ad Corbolium. l. 9. c. 11. n. 12.

Machina horrenda Antwerpienſium cum clade maxima Hiſpanorum. l. cit. c. eod. n. 13.

Machinales pontes. cap. eod. n. 14.

Machina Orangii principis. n. 11.

Margareta Maximiliani filia deſponſata Carolo Regi Franciæ. l. 10. Part. II. c. 2. n. 15.

Maria Angliæ Regina procurat pacem inter Carolum V. & Henricum Galliæ Regem. l. 10. Part. II. c. 3. n. 16.

Maria Burgundiæ Belgiique totius heres. l. 10. Part. II. c. 2. n. 12. à multis expetita. ibid. ſed à Maximiliano in Sponſam acquiſita, opera inſignis matronæ Halvinæ. ibid. ampliſſimi illius Status Regno pares. n. 13. qui tamen non erant (ut falſo prætendunt Galli,) feuda Franciæ. n. 14. Rationes. ibid.

Marleburgius Dux remuneratus à Cæſare. l. 9. c. 18. n. 10.

Matrimonia pacem facilitant. l. 10. Part. I. c. 2. n. 5.

Maximiliani pacis publicæ conſtitutio. l. 10. Part. I. c. 1. n. 3.

Maximilianus bellum movet in Regem Galliæ Ludovicum XII. eumque totaltalia victor ad Ravennam expulit. lib. 10. Part. II. c. 2. num. 46.

Mediolanenſe bellum, ubi victi Galli. l. 10. Part. II. c. 2. n. 34.

Mediolanenſis Statûs deſcriptio. c. eod. n. 33.

Militaris pœna. l. 9. c. 8. n. 14.

N.

Namurcenſes exprobrant Farneſio diſciplinam. l. 9. c. 16. n. 5.

Navarræ Regni ab Hiſpanis occupatio & reſtitutio. l. 10. P. II. c. 2. n. 50. ſeqq.

Nea-

Neapolitani Regni diviſio inter Galliæ & Hiſpaniæ Reges. l. 10. Part. II. c. 2. n. 28.

Neceſſitas eſt pax per ſe. l. 10. Part. I. c. 2. n. 2. non illa expectanda eſt, ſed in tempore hæc quærenda. ibid.

Neceſſitatem hanc præveniendi modus. l. 10 Part. I. c. 2. n. 3.

Nemeſis divina. l. 10. Part. II. c. 2. n. 4.

Nobilitatis laus & prærogativa. l. 9. c. 17. n. 8.

Nimiæ commoditates in caſtris. l. 9. c. 8. n. 5.

Nullus Status excluditur à procuranda inter belligerantes pace. l. 10. P. I. c. 3. n. 3. nec etiam religioſus. c. eod. n. 4.

Numero non ſemper, ſed fortitudine animi vincitur hoſtis. l. 9. c. 12. n. 3. exemplo Alexandri & Juſtiniani. ibid.

Nunquam diù ferant Principes Magnatum potentiam. l. 9. c. 7. n. 27.

O.

Obedientia militaris. l. 9. c. 8. n. 2. apud Romanos magna. ibid.

Occupatio Regni Neapolitani à Carolo IIX. Rege Franciæ. l. 10. Part. II. c. 2. n. 22.

Omnia tentat Rex Ludovicus XIV. ut pacem habeat à confœderatis cum Cæſare. l. 10. Part. II. c. 6. n. 32. 33.

Orangius divulgat falſo mortem Regis Philippi apud Provincias Belgicas. l. 9. c. 26. n. 2.

Ordinem ſervare in bello ars maxima eſt. l. 9. c. 19. n. 27.

Oſores pacis DEUS punit. l. 10. Part. I. c. 1. n. 7.

Otium militare corrumpit diſciplinam. lib. 9. cap. 8. num. 6. præcipuè in hybernis, quod expertæ Hiſpanorum legiones. num. 7.

Otium militare interrumpendum à Ducibus per laborem quotidianum. lib. 9. cap. 8. num. 8. Romanorum & Aureliani exemplo. ibid. & num. 9.

P.

Pacis fructus. lib. 10. Part. I. cap. 3. n. 1.

- - *diſſuaſores* publici ſunt hoſtes. lib. cit. cap. 1. num. 8. *ad fin.*

- - negotium eſt ſummum arcanum Status. cap. 2. num. 11. Artaxerxis judicio. cap. 1. num. 8. *ad fin.*

- - tranſigendæ jus ad eum pertinet, qui ſuperiorem non agnoſcit. c. 2. n. 1.

- - ſpecies variæ. cap. 4. *per tot.*

Pacem longævam duo faciunt. cap. 6. n. 12. & 13.

- - non turbat armorum exercitium. c. 1. n. 6.

Pax incumbit Principibus ex munere.

re. lib. 10. Part. I. cap. 1. num. 3.
- - intereſt Reipublicæ lib. 10. Part. I. c. 1. *per tot.*
- - melior eſt victoria. cap. 1. num. 1.
- - oblata ultro, ſuſcipienda. n. 5.
- - per quos tranſigenda. lib. 9. cap. 3. *per tot.* quales eſſe debeant Pacis transactores. cap. 3. num. 5.
- - eſt donum DEI. lib. 9. cap. 2. num. 1. *ad fin.* obtinetur etiam precibus. ibid.
- - armata non ſolum quietem, ſed etiam ſecuritatem præſtat. cap. 1. num. 6.
- - in Inſula Conferentiæ inter Ludovicum XIV. & Philippum IV. matrimonio Regio concluſa. c. 2. n. 5.
- - interna potior externa. cap. 2. num. 6. quomodo illam procuravit Auguſtus. c. 2. n. 6.
- - eſt intuta & ferme nulla cum Barbaris & fœdifragis, &c. cap. 6. num. 2. exempla. ibid. intuta eſt, ubi unius paciſcentium ſe exarmare debet, altero armato. cap. 6. n. 7.
- - turpis, nec pax dicenda, quæ intercedit inter Dominum & Subditum. cap. 6. num. 2. exempla. ibid.
- - Gandavenſis Belgarum cum Joanne Auſtriaco, quam inæqualis & intuta Principi. cap. 6. num. 7. ejus effectus. ibid.
- - publica fracta. cap. 7. *per tot.* hæc crimen eſt in ipſum Statum. num. 2. æquiparatur rebellioni. ibid. ejus pœna eſt Bannum. n. 1.

Periclis egregium facinus pro patria. lib. 9. c. 19. n. 15.

Principi ſoli jus belli competit. 16. cit. cap. 4. num. 1. 2. 3. quid agendum cum inferior eſt ſeditioſis ſubditis. c. 7. n. 10.

Principis eſt maxima gloria armorum peritia. c. 2. n. 1.
- - reflexiones circa belli Ducem. c. eod. *per tot.*

Princeps omnium malorum reus redditur, quæ ex injuſto bello proveniunt. c. 4. n. 8.
- - belli Duces foveat & remuneretur. c. 18. num. 9. triplici mercede. num. 10. non facilè puniat licet criminoſos, &c. num. 11. ſeq.

Prudentia duplex togata & ſagata. l. 9. c. 19. n. 1. utraque temeritatem excludere debet. ibid.

Pyromantia inventum in ruinam naturæ & virtutis heroicæ. cap. 11. num. 1. 2. 3. ejus effectus terribiles. ibid. origo. num. 3. armamentario opus habet. num. 6. tormenta varia belli. num. 7. eorum vis. ibid. & num. 8. uſus. num. 9. &c.

Pyrrhus occaſionis neglector. cap. 7. num. 17.

Pythagoræ tria maxima mala, c. eod. num. 5.

R.

Rebelles devicti contemtim habendi. lib. 9. cap. 7. num. 32.

Regi absoluto contravertitur facultas alienandi res Regni. cap. 20. num. 32. 33. rationes. ibid.

- - personaliter tantum capto licet abalienare partem Regni in lytrum vel in compensationem damni causati. cap. 20. num. 32. seqq.

Regis Sueciæ Gustavi Adolphi ineptæ & tam longo bello indignæ causæ. lib. 9. cap. 4. num. 22.

Rex sive Princeps absolutus bello captus. cap. 20. non est occidendus. c. eod. num. 26 seq. nisi Reipubl. salus aliud expoſcat. num. 27. seq. non transfert Regni sui imperium in victorem. cap. 20. num. 29. seqq. nisi jure gentium, à quo abstrahunt Christiani Principes de more. ibid. manet sui Regni dominus in actu signato, licet impediatur esse in actu exercito. c. eod. num. 30. seqq.

Romæ cur tanta quies post obitum Romuli. lib. 10. Part. I. cap. 1. num. 4.

Rudolphi I. (tunc Comitis Habspurgici) rara pacificatio cum Abbate ad S. Gallum. lib. 10. P. I. cap. 2. num. 7. *ad fin.*

S.

Saxoniæ Dux Albertus quomodo Factiones Frisiæ superarit. lib. 9. cap. 7. num. 23.

Seditio nunquam in Principem licita. cap. 7. num. 4. prætextus nefarii. ibid.

- - an aliquando excusari valeat? Aristotelis mens. ibid. num. 25.

- - militaris. cap. 16. *per tot.*

- - legionum Germanicarum. it. Pannonicarum apud Romanos. c. 16. num. 6. 7.

Servi olim excludebantur à militia. lib. 9. cap. 10 num. 11.

Sophi Rex Persarum. lib. 9. cap. 2. num. 5.

Spolia, immobilia acquiruntur Principi bellum gerenti, etiam fœderatis juxta pacta fœderis. cap. 20. num. 12. seqq.

- - cui cedunt? cap. 20. *per tot.*

Status Imperii non omnes habent jus Armandiæ. lib. 9. cap. 4. num. 2. nisi in summa necessitate. ibid.

Stipendium militare quid? lib. 9. cap. 8. num. 15. absque hoc perit omnis disciplina. ibid.

Subditi caute sibi provideant in contrahenda Amnestia cum suo Domino. lib. 10. Part I. cap 5. num. 4. libentius onera subeunt sub militari Principe, quam sub pacifico. lib. 9. cap. 12. num. 1. nunquam belli justam causam habent in suum Principem. cap. 4. num. 2. tenentur obedire etiam barbaris, à quibus devicti. cap. 15. num. 2.

T.

Taraditas in bello exitiosa. l. 9. cap. 12. num. 4.

Teme-

Temeritas quid? lib 9. cap. 19 num. 2. hujus principium est præsumptio, finis desperatio. num. 3.

Tempus transigendæ pacis optimum, cum adhuc utrinque pares sunt vires lib. 10. Part. I. cap. 2. num. 2. Amici, Vicini, Neutrales se in tempore interponant &c. n. 3. exemplo Regum Franciæ aliorumque. ibid.

Theodosii lex de disciplina militari. lib. 9. c. 8. num. 20.

Toletani Ducis rigorosa militiæ disciplina. c. eod. num. 10.

Tormentorum, ne in manus hostis veniant, maxima cura sit Belli Ducibus c. 11. n 9.

Turbatores Reipublicæ expellendi, amovendi &c. exemplo Ludovici XIV. & Caroli M. c. 7. n. 30.

V.

VEneta ubi undè tanta quies. l. 9. c. 11. n. 4.

Veneti corrupto Maximiliani Imp. milite ex victis victores facti. l. 9. c. 16. n. 1.

Venia à Rege Philipp. II. dilata causavit extrema mala in Belgio c. 7. n. 24.

Vicinorum bellum semper suspectum. c. 5. n. 1. quid trahit alios secum. ib. singuli contra vicinum potentiorem, bellum ne gerant. cap. eod. n. 2.

Vicinorum Principum amicitiam, quæ conciliant. c. 5. n. 2. quid ad Vicini potentiam statuendum? c. eod. n. 3. ex vicinorum ruinis sunt potentiorum augmenta. n. 4. quibus autem omnino resistendum. ib. inter vicinos Reges medii populi liberi quomodo se habere debeant. n. 5.

Vicino præpotenti ne fidunt alii debiliores. c. 5. n. 6.

Victoria Anglorum contra Gallos. l. 10. Part. I. c. 1. num. 7. quare? ibid.

- - perfecta quæ? l. 9. c. 20.

Victori tria adhærent vitia, insolentia, crudelitas, ignavia. lib. 9. c. 20.

Viribus æquis pax fiat, lib. 10. Part. I. cap. 6. num. 12.

Usu pyromantiæ citius finiuntur bella. lib. 9. c. 11. num. 4.

Usus pyromantiæ pessimo fato translatus à Christianis ad Turcas. cap. 11. num. 5.

FINIS.